COMMENTARIA

DE DISPENSATIONIBUS, ACTIBUS HUMANIS, ET PECCATIS



AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPOGRAPHIA REGIA

M. DCC. LXXXIV.

ARCHIPRAESUL AMPLISSIME

Deliberandum diu mihi non fuit, cui praecipue hoc alterum lucubrationum mearum volumen inscriberem, ARCHIPRAESUL AMPLISSIME. Humanitas illa singularis, qua anno proxime elapso Commentarium de Legibus nomini tuo nuncupatum excepisti, satis mihi certum praebuit benevolentissimae voluntatis tuae testimonium. Itaque quod bonum felix fortunatumque sit, facilitas summa, ac pene incredibilis tua facit, ut a TE majorem in modum, atque in summi beneficii loco iterum petere audeam, primum ut me sinas laetitiae maximae, qua ejusdemmodi tua sum benignitate vel intimis medullis affectus specimen hoc publicum exhibere, deinde ut cultus, atque observantiae erga TE meae hoc pacto aliquod apud posteritatem exstare monumentum patiare. Quid enim mihi antiquius esse debuerat, quam ut beneficiorum tuorum magnitudini grata saltem

animi mei significatione responderem; quae cum aliis titulis quamplurimis, tum ea ipsa re adeo crevit, ut nihil esse possit supra? Illud igitur reliquum tantummodo erat, ut ejus diuturnitati consulerem, et quantum fieri per me posset, ad immortalitatem producerem. Utinam ingenii vires aequissimis votis respondeant, quaeque literis consignanda autumavi gravissimo tuo, limatoque omni in re judicio, sapientiaque probentur! Vides, EXCELLENTISSIME, ac REVERENDISSIME ARCHIPRAESUL, quae me rationes impulerint, ut denuo libellum hunc qualemcumque tibi sisterem. Accedit, quod ea sunt in TE omnia, quae ceteri scriptores requirunt, expetunt, impenseque sequi solent, quotiens unum aliquem deligunt egregium virum, ad quem sua opera instituant. Quae si cuivis in propatulo minime forent, neve ea fusiore, explicataque oratione percensendo modestiae tuae gravis futurus summopere certe essem, lubens volensque persequerer. Sin autem in Te animi virtutes, si ingenium, si rectum, atque elegans, ac mirabile mentis acumen, integerrimos mores, propositique tenacem aequitatem tuam mente ipse mecum pervoluto, quis esse potest unus, cui magis me, laboresque meos commendatos velim? Nec mihi beatus videbor, si quae typis tradenda putavi tanto viro sint placitura: interim ut tibi pro his, aliisque praeclaris erga me meritis gratias agam, exiguum hoc pertenuium laborum meorum munus offerre statui. Quod tamen si ea, qua praeditus es, humanitate patrocinio tuo fovere haud dedignaberis, id mihi beneficii cujusdam novi instar erit, meque Tibi quotidie magis devinctum habebis; atque hinc quoque fiet, ut hoc idem munus, quod si ex sua, vel Tua dignitate spectetur, perexiguum certe est, ac prope nihil, ex magnitudine tamen animi multo majora cupientis fuerit aestimatum, quid magnum, aut saltem aliquid esse videatur.

Humillimus, obsequentissimus, et obedientissimus servus
JOSEPH ANTONIUS ALASIA

INDEX

DISSERTATIONUM, CAPITUM, ARTICULORUM, ET PARAGRAPHORUM

COMMENTARIUM

DE DISPENSATIONIBUS

COMMENTARIUM

DE ACTIONIBUS HUMANIS, ET DE CONSCIENTIA

COMMENTARIUM

DE PECCATIS

INDEX DISSERTATIONUM ETC.

Imprimatur

Fr. DOMINICUS SARRA S. T. M. et Provic. S. Officii Taurini.

MATTHAEUS IGNATIUS BERTOLINI Col. Th. P. ac Rector.

V. se ne permette la stampa

GARRETTI DI FERRERE per la Gran Cancellaria.

COMMENTARIUM DE DISPENSATIONIBUS.

COMMENTARIUM HOC IN DUAS DISSERTATIONES DIVIDEMUS, IN QUARUM PRIMA AGEMUS DE DISPENSATIONIBUS IN GENERE, IN ALTERA DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

DISSERTATIO I.

DE DISPENSATIONIBUS IN GENERE.

CAPUT I.

De dispensationis natura, et divisione.

SUMMARIA

1. *Dispensatio definitur.*
2. *Exponitur differentia dispensationis ab abrogatione, derogatione, epichia, interpretatione, licentia, tolerantia, et privilegio.*
3. *Dispensatio alia totalis, alia partialis.*
4. *Alia necessaria, alia voluntaria.*
5. *Alia expressa, alia tacita.*
6. *Ad dispensationem non sufficit ratihabitio de futuro.*
7. *Objectioni fit satis.*
8. *Nec Superioris taciturnitas sufficit.*
9. *Objectio solvitur.*
10. *Dispensatio strictae interpretationis est.*

1. Dispensatio definiri potest exemtio unius, vel quorumdam ab observatione legis facta a legitimo Superiore.

2. Ex hac definitione colligitur dispensationem differre 1.° ab abrogatione, et derogatione, quae omnes

cives eximit, illa a tota lege, haec a parte legis tantum (1); at dispensatio unum, aut quosdam solum subditos a lege liberat. 2.° ab epichia, qua nullus, ut in dispensatione, eximitur ab obligatione legis, sed solum declaratur, Legislatorem aut noluisse, aut non potuisse casus aliquos in sua lege comprehendere. 3.° ab interpretatione, qua pariter quis a lege non eximitur, sed evolvendo sensum legis ambiguum, vel obscurum declarat legem quosdam casus non continere. 4.° a licentia, qua non relaxatur obligatio legis quoad aliquos, ut in dispensatione, sed solum apponitur conditio, sub qua lex non obligat. Sic Superior, dum Religioso facultatem facit aliquid dandi, non dispensat in lege, quae non prohibet aliquid dare, sed tantum vetat, ne quid detur absque Superioris licentia: 5.° a tolerantia, quae non liberat a culpa subditum contra legem agentem; secus autem dispensatio. 6.° demum a privilegio, ut vidimus *tomo primo pag.* 342. n. 6.

(1) *L.* 102. *ff. de verb. signif.*

3. Dispensatio dividitur 1.° in totalem, et partialem: prima a tota lege, secunda a parte tantum legis eximit. Sic ille, qui tempore quadragesimae a jejunio, et a carnibus dispensatur, totalem, qui solum a carnibus, partialem obtinet dispensationem.

4. Dividitur 2.° in necessariam, et voluntariam: illa debita est ex justitia, vel caritate; haec ex quadam honestate ob bonum, quod inde in Ecclesiam, vel Rempublicam provenit: est dispensatio debita ex justitia, quando Legislator praecipit inferiori, ut stante tali causa cum subditis dispenset: est dispensatio debita ex caritate, quando subditus ex legis observatione notabile pateretur incommodum: est demum debita ex quadam honestate, si inde in Ecclesiam, vel Rempublicam bonum provenire possit, quando scilicet Pontifex, vel Princeps ab aliqua lege quosdam dispensat ob eorum merita in Ecclesiam, vel Rempublicam.

5. Dividitur 3.° in expressam, et tacitam. Expressa ea dicitur, quae verbis, vel signis aequivalentibus exprimitur; tacita, quae ex facto Superioris deducitur. Sic si Superior praecipiat irregulari, ut suscipiat Ordines, eo ipso, tacite dispensat in irregularitate.

An ad dispensationem sufficiat ratihabitio de futuro, seu praesumta voluntas Superioris, qui esset dispensaturus, si dispensandi indigentiam cognosceret.

6. R). non sufficere; sicut enim ad imponendam legis obligationem requiritur voluntas praesens externo signo manifestata, nec sufficit praesumta; ita ad hanc obligationem tollendam; praesumta enim superioris voluntas reapse non dispensat a lege, sed indicat solum, subditum esse dispensandum, si eius indigentia cognosceretur; porro quamdiu quis a lege dispensatus non est, tamdiu ei manet obnoxius.

At, inquies, ad licentiam sufficit

praesumta voluntas; sic Religiosus ex praesumta Superioris voluntate aliquid licite facit: puta donat aliquid de monasterio; ergo etiam ad dispensationem.

7. ℟. ad licentiam non semper sufficere praesumtam voluntatem; sic si Religiosus aliquid notabile emeret ex praesumta Superioris voluntate, si Superior contradicat, invalida est emtio, quod esse non posset, si ad licentiam sufficeret praesumta voluntas; in quibusdam tamen casibus sufficit praesumta, quia in eisdem, sic usu, et consuetudine, quae vim legis habet, receptum est; alioquin neque ad licentiam satis est praesumta voluntas.

An sola taciturnitas Superioris, qui scit quempiam agere contra legem suam, sufficiat ad dispensationem.

8. ℟. probabilius non sufficere; etenim illa taciturnitas ex diversis causis oriri potest, puta ex Superioris negligentia, vel pusillanimitate, vel ex studio vitandi scandali, vel ex praevisione majoris mali in subdito, vel ex timore, ne correctio ipsi non sit profutura, sed potius obfutura; ergo illa certum esse non potest signum dispensationis.

Dices: Superior, qui videt subditos non servare legem, et tamen non contradicit, cum facile posset, censetur probare consuetudinem, quae legem tollit, ut diximus *tomo primo pag.* 325. §. 3.; ergo censetur dispensare in lege, quando videns, aliquem contra legem agere, tacet, et dissimulat; praesertim cum non sit praesumendum delictum in Superiore, qui nullius ruinam velle debet.

9. ℟. Superiorem eo ipso, quo probat leges permittentes consuetudines, quae leges tollunt, et abrogant, probare proinde consuetudines; quare si Superior illis non resistat, cum facile potest, eas probare censetur; at cum nullae sint leges, quae indicent Superiorem non resistentem illi, qui legem violat, eo ipso ejus factum probare, consequens est, taciturnitatem esse non posse in Superiore signum, quo probet actionem illius, qui contra legem agit. Equidem non est praesumendum delictum in Superiore; at taciturnitas non est semper peccatum, cum ea provenire possit ex studio vitandi scandali, vel ex cognita indole illius, qui legem violat; eo quod credat non obstante sua repugnantia, velle tamen eum in legem delinquere.

His adde, quod Superior ex adversariorum sententia non praesumitur peccare; peccaret autem, si videns subditum contra legem agentem, statim a lege dispensaret, quin cognosceret, an ille justam haberet causam, cur inde dispensetur.

10. Dispensatio, cum sit vulnus legis (1), stricte interpretanda est (2); ideoque dispensatus ad beneficia simpliciter, non censebitur dispensatus ad beneficia duplicia, dispensatus ad Ordines non censebitur dispensatus ad majores, nec dispensatus ad Ordines

majores censebitur dispensatus ad beneficia &c.

(1) *C.* Ipsa pietas 24. *c.* 23. *q.* 4.

(2) *Cap.* 1. *de filiis presbyt. in* 6. §. 1.

CAPUT II.

DE POTESTATE DISPENSANDI.

SUMMARIA

1. *Potestas dispensandi alia ordinaria, alia delegata.*
2. *In legibus humanis potestate ordinaria dispensandi gaudet Legislator.*
3. *Ejus successor.*
4. *Ejus Superior.*
5. *Inferior dispensare non potest in lege Superioris, nisi potestate delegata.*
6. *Summus Pontifex in omnibus legibus Ecclesiasticis dispensare potest.*
7. *Objectio solvitur.*
8. *Summus Pontifex non dispensat in jure naturae.*
9. *Neque in lege divina.*
10. *Fit satis objectioni.*
11. *Archiepiscopi, et Episcopi dispensare non possunt in legibus synodi provincialis.*
12. *Episcopi dispensare possunt in legibus latis in synodo Dioecesana.*
13. *An Episcopus dispensare possit in legibus synodalibus a Pontifice confirmatis, remissisve.*
14. *Inferior quibusdam in casibus dispensare potest in legibus Superioris.*
15. *Inferior non potest dispensare in lege Superioris, ex hoc ipso, quod Superior eam sibi non reservaverit.*
16. *In dubio de facultate dispensandi non potest inferior dispensare.*
17. *Superior cum semetipso dispensare potest.*

1. Potestas dispensandi duplex est, ordinaria una, delegata altera. Prima est ea, quae alicui competit ratione officii sui; secunda vero, quae alicui conceditur ab habente ordinariam.

Quis possit in legibus humanis dispensare.

2. ℟. ordinariam potestatem residere 1.° in ipso Legislatore, 2.° in ejus successore, 3.° in eius Superiore, non tamen in inferiore.

Potest 1.° Legislator dispensare in suis legibus, quia lex non obligat, nisi ex voluntate Legislatoris (1); ergo sublata hac voluntate per dispensationem lex obligare desinit.

(1) *Arg. l.* 1. *ff. de Constit.*

3. Potest quoque successor dispensare in legibus sui antecessoris; nam successor eamdem habet potestatem, ac ipse Legislator; unde non potest sui successoris manus ligare; quare Innocentius III (1) ita de suo praedecessore scribit: *Qui successoribus suis nullum potuit in hac parte praejudicium generare, pari post eum, imo eadem potestate funeturis, cum non habeat imperium par in parem.*

(1) *Cap.* 10. *de elect.*

4. Potest demum Superior in legibus inferioris dispensare; sicut enim ipse Superior potest legem inferioris abrogare, quanto magis in ea dispensare.

5. Inferior tamen nulla gaudet potestate dispensandi ordinaria in lege sui Superioris; enim vero dispensatio est actus jurisdictionis; inferior autem nullam habet jurisdictionem in lege Superioris (1); unde si quandoque dispensat, id facit potestate a Superiore sibi concessa, seu delegata.

(1) *Clem.* Ne Romani 2. *de elect.*

6. Hinc Romanus Pontifex non solum dispensat in omnibus legibus a se conditis, sed etiam in toto jure canonico juxta illud Innocentii III. (1): *Secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare*; tum etiam in legibus Concilii Generalis, quae jus humanum constituunt; quare jus dispensandi in jure humano Romano Pontifici non aufertur, etiamsi Concilium universale futuris Romanorum Pontificum dispensationibus deroget; siquidem potestas Romano Pontifici á Deo, non a Concilio data est, ut patet ex his Christi verbis (2): *Pasce agnos meos*; potestas enim pascendi, seu ferendi leges involvit potestatem dispensandi. Demum in iis dispensat, quae Apostoli, prout Pastores Ecclesiae, propria auctoritate statuerunt: hinc Romanus Pontifex saepe dispensavit cum Neophitis, et bigamis, quos Apostolus Paulus ab Ordinibus suo tempore arcendos volebat.

(1) *Cap.* 4. *de concess. praeb.*

(2) *Joannis* 21. *v.* 17.

7. Ex his consequitur canonem Zosimi Papae (1) his verbis conceptum: *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, ne hujus quidem sedis potest auctorita s*, intelligendum esse de iis statutis, quae jus naturale, vel divinum referunt, ut notavit Glossa.

(1) *C.* 7. *c.* 25. *q.* 1.

An Summus Pontifex possit dispensare in lege naturae, vel in lege divina.

8. ℟. 1.° non posse dispensare in lege naturae. Enim vero ex dictis *tomo primo pag.* 56. *n.* 3. et 4. ne ipse quidem Deus in lege naturae dispensare potest; ergo tanto minus ipse Summus Pontifex.

9. ℟. 2.° probabilius nec posse dispensare in lege divina: id constat in primis ex auctoritate D. Thomae, qui sic scribit (1): *Dicendum, quod Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia: ita scilicet, quod quaecumque sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiae Praelatos sunt dispensabilia a Papa; haec enim sunt, quae dicuntur esse juris humani, vel positivi: circa ea vero, quae sunt juris divini, vel naturalis dispensare non potest, quia ista habent efficaciam ex institutione divina.* Deinde, ut quis possit dispensare in lege Divina; oportet, ut hanc specialem facultatem a Deo acceperit; *Lex enim Superioris per inferiorem tolli non potest* (2); alioquin caput membris subjiceretur; at nullibi constat neque ex Scriptura, neque ex traditione, Summum Pontificem hanc a Deo accepisse potestatem. Adde,

quod haec potestas vergeret in damnum Ecclesiae, quae non posset suam unitatem, uniformitatem, constantiam in fide, et in cultu divino servare, si leges divinae a Pontifice mutari possent; praeterea leges a Christo latae pertinent ad Fidem, Sacramenta, ac Sacrificium Eucharistiae, quae sunt Religionis nostrae fundamenta, ideoque sunt fundamentales, ac proinde debent esse immutabiles respectu omnium: et sane Concilium Tridentinum (3) aperte docet, ne Ecclesiam quidem, ideoque nec Summum Pontificem posse mutare leges pertinentes ad substantiam Sacramentorum; ergo nec alias leges divinas; cum desit ratio, cur in una dispensare non possit, bene vero in aliis. Ergo potestas Summi Pontificis circa leges divinas mere positivas est potestas illas interpretandi; neutiquam vero in iis dispensandi.

(1) *Quodlib.* 4. *art.* 13.

(2) *Clem.* Ne Romani 2. *de elect.*

(3) *Sess.* 21. *cap.* 2.

10. Itaque ea verba Evangelii: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* (1), satis non sunt ad adstruendam in Summo Pontifice potestatem dispensandi in lege divina; alioquin probarent in legibus omnibus divinis Ecclesiam, vel Summum Pontificem posse dispensare, quod et ipsi adversarii admittere nolunt, sed indicant, et innuunt solam potestatem interpretandi, et declarandi casus, ad quos lex divina non extenditur.

(1) *Matth.* 16. *v.* 19.

An Archiepiscopi, vel Episcopi possint dispensare in legibus Synodi Provincialis.

11. ℟. non posse; hae quippe leges conditae sunt non ab uno, aut altero Archiepiscopo, vel Episcopo, sed ab omnibus simul collective, constituentibus propterea unum mysticum corpus majorem habens jurisdictionem, quam in singulis reperiatur Episcopis, ideoque quilibet Episcopus non poterit iis derogare. Quamvis autem Archiepiscopus Concilio Provinciali praesideat, est tamen illo inferior. Idque inprimis patet ex Concilio Tridentino (1): „ ubi (verba „ sunt Sylvii) (2) de detrectantibus „ solvere portionem Seminario eri- „ gendo necessariam dicitur: *Episco- „ pum, Archiepiscopum, et Superio- „ res Synodus Provincialis acriter cor- „ ripere, eosque ad omnia supradicta „ cogere debeat.* Et sessione 24. cap. 3. „ *a Metropolitanis etiam post plene „ visitatam propriam Dioecesim non „ visitentur Cathedrales Ecclesiae, „ neque Dioeceses suorum comprovin- „ cialium, nisi causa cognita, et pro- „ bata in Concilio Provinciali*: ubi „ Concilium Provinciale satis clare „ significatur esse majus, seu juris- „ dictione superius ipso Archiepis- „ copo; licet Archiepiscopus sit ma- „ jor quantum ad praesidendum. Ac- „ cedit, quod in capite *Multis* dist. „ 17. cum dicitur, quod si inter „ Episcopos alicujus provinciae fuerit

„ controversia, quae non possit in-„ ter ipsos componi, *ad majorem*, „ hoc est ad Metropolitanam sedem „ referatur: et statim sequitur: *etsi* „ *illic facile, et juste non discernun-* „ *tur, ubi fuerit synodus regulariter* „ *congregata, canonice, et juste ju-* „ *dicentur*. Ex quibus verbis mani-„ festum est, dari recursum a Me-„ tropolitano ad Synodum Provin-„ cialem. Nam de Provinciali esse „ sermonem patet tum ex eo, quod „ ad hujusmodi causas neque suffi-„ cit Episcopalis, neque requiritur „ generalis: tum quia ibidem addi-„ tur: *Majores vero, et difficiliores* „ *quaestiones ad Sedem Apostolicam* „ *semper referantur*. Non ergo vult, „ ut causae minores, de quibus ser-„ mo procedit, vel ad Sedem Apo-„ stolicam, vel ad Concilium Ge-„ nerale (quod foret difficilius) re-„ ferantur, sed ad Provinciale. Docent tamen plerique Theologi usu, et praxi receptum esse, ut Archiepiscopi, et Episcopi in legibus Synodi Provincialis dispensent. Nec desunt alii Theologi, qui asserant, eosdem Archiepiscopos, et Episcopos posse in iisdem legibus jure dispensare.

(1) *Sess.* 23. *cap.* 18.

(2) *In q.* 97. *art.* 4. *concl.* 3.

Quod diximus de legibus in Synodo Provinciali latis respectu Archiepiscopi, vel Episcopi, idem dicendum de legibus Capituli Provincialis respectu Provincialis, et Capituli Generalis respectu Generalis propter eamdem rationem; cum Provincialis Capitulo Provinciali, et Generalis Capitulo generali inferior sit; unde neque hi, neque illi possunt in hisce legibus dispensare.

An possit Episcopus dispensare in legibus latis in Synodo Dioecesana, vel de consensu Capituli.

12. ℟. posse; nam tota quanta potestas condendi leges in Synodo, ea tota penes Episcopum est, non vero penes Canonicos, aut Parochos, cum isti in Synodo sint tantum assessores, aut consiliarii; quamvis autem Episcopus exquisierit consensum, aut consilium Capituli in edendis Synodalibus Constitutionibus, non tamen tenetur exquirere Capituli consensum, aut consilium, dum aliquem vult eximere a synodalis statuti observatione. Jura enim uni Episcopo inesse potestatem dispensandi innuunt, nulla facta Capituli mentione (1).

(1) *Cap.* Etsi Clerici 4. *de judiciis* §. 1. *Cap.* Cum ex eo 34. *de elect. in* 6.

An Episcopus possit dispensare in legibus Synodalibus, quando a Summo Pontifice sunt confirmatae.

13. ℟. id a nobis jam expensum esse *tom.* 1. *pag.* 285. §. 9. vide ibi dicta.

An inferior in legibus Superioris dispensare quandoque possit.

14. ℟. superius jam a nobis ostensum esse inferiorem non posse in legibus Superioris potestate ordinaria dispensare; alioquin caput membris subjiceretur. Hinc apud nos nemo

potest a legum nostrarum observantia dispensare, nisi Princeps (1).

(1) *In proemio Regiar. Constit.* §.2.

Dixi potestate ordinaria; nam inferior ex expressa, vel tacita potestate delegata dispensare potest in hisce casibus 1.° quando id ipsi permittitur a Superiore. Sic Tridentinum (1) concedit Episcopis potestatem dispensandi in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum: addunt plures, posse inferiorem dispensare in lege Superioris, quando a Superiore id implicite conceditur. Censent autem implicite concessam esse facultatem dispensandi, quando non designatur singulariter dispensator, quia verba, quibus permittitur dispensatio, necessario diriguntur ad Episcopum, cum non dirigantur ad Papam, qui hac licentia non indiget ad dispensandum; verum haec sic concepta nobis non arrident. Hinc quamvis jus canonicum (2) sanciat clericum excommunicatum non posse retinere duo beneficia, *nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum*; non potest tamen Episcopus ei facere facultatem duo beneficia retinendi.

(1) *Sess.* 24. *cap.* 6.

(2) *Cap.* 7. *de cler. excom.*

2.° Quando jam invaluit consuetudo, ut in lege Superioris dispenset; etenim sicut consuetudo legitima auferre potest dispensandi facultatem, ita eamdem concedere potest, ut vidimus *tom.* 1. agentes de consuetudine. Hinc Episcopi dispensant in jejuniis ecclesiasticis, licet facile ad Papam recurri possit.

3.° Dispensare possunt inferiores in legibus Superiorum, quando facile non potest adiri Superior, et aliunde periculum est in mora. Etenim *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum* (1). Hoc enim exigit commune bonum; alioquin potestas dispensandi in Superiore esset potius in destructionem, quam in aedificationem.

(1) *De reg. juris cap.* 4.

An inferior dispensare possit in lege Superioris, quando Superior expresse eam sibi non reservavit.

15. R/. 1.° certum esse, Episcopos non posse dispensare in iis legibus, quae semetipsos afficiunt, etiamsi Superior eam sibi non reservavit; nam hae leges rationem habent praecepti, a quo Episcopi, ut inferiores se eximere non possunt. Quare Episcopi non possunt semetipsos dispensare ab his legibus, quae ipsis praecipiunt, ut statis temporibus Ecclesiam visitent, aut synodum celebrent, vel ab iis legibus, quae ipsis prohibent, ne sacros Ordines extra tempora conferant.

R/. 2.° nec in aliis legibus Episcopos posse dispensare ex hoc ipso, quod Superior dispensationem sibi non reservavit. Clara sunt in hac re juris canonici testimonia. *Nos*, inquit Clemens V., *inter cetera praecipue*

attendentes, *quod lex Superioris per inferiorem tolli non potest.* Idque ita intelligendum declarat, ut nequeat ab inferiore *dispensari quomodolibet circa ipsam, seu aliquam ejus partem* (1). *Quidam autem*, inquit Joannes XXII, *eorum dictum habitum, et vivendi ritum a quibusdam Episcopis, seu eorum Superioribus, vel aliis Ecclesiarum Praelatis habuisse profitentur, quos nec eis concedere licuit contra formam Concilii Generalis* (2). Neque opponatur, Legislatorem eo ipso, quo sibi legem non reservat, aliis concedere facultatem dispensandi, uti habetur in jure Canonico (3). Nam in capitulo citato, sermo non est de quacumque lege, sed solum de censura excommunicationis, quia cum maxime intersit bono publico spirituali, ut Confessarii potestatem absolvendi habeant ab ea excommunicatione in casibus, qui frequentissime occurrunt, prout sunt excommunicationes, quas Superior sibi expresse non reservavit, voluit Summus Pontifex, ut ab istis quilibet Confessarius potestatem absolvendi haberet. At bonum publicum spirituale in aliis legibus, quas Superior sibi specialiter non reservavit dispensandas, non exigit, ut haec facultas inferiori concedatur.

(1) *Clement.* Ne Romani *de elect.*

(2) *In cap.* Sancta Romana *de Relig. dom. inter Extrav. Joannis XXII.*

(3) *Cap.* Nuper *de sent. excom.*

An in dubio, num inferior facultatem habeat dispensandi, possit dispensare.

16. ℟. non posse; tum quia in dubiis tutior pars est eligenda; tum quia ita docet S. Thomas (1) his verbis: *Si vero causa sit dubia, debet aliquis ad Superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi.* Et alio loco (2): *Interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet absque determinatione Principis a verbis legis recedere.* Nec dicas posse Episcopum dispensare, quando votum castitatis dubium est; in hoc enim casu agitur de reservatione, quae cum sit odiosa, stricte est interpretanda; ideoque solum extendenda ad vota castitatis certa, perpetua, et absoluta. Adde consuetudine receptum esse, ut in hisce votis dubiis Episcopi dispensent, neutiquam vero in legibus generalibus. Ex his consequitur non esse audiendos eos Theologos, qui cum Salmanticensibus, aliisque probabilistis distinguentes dubitationem de existentia causae, et de sufficientia ejusdem, docent Episcopum in primo casu dispensare non posse, in altero vero nullam esse necessariam dispensationem; vana enim est hujusmodi distinctio. Sane qui dubitat de sufficientia causae, dubitat propterea etiam, an existat causa legitima dispensandi.

(1) 2. 2. *q.* 147. *art.* 4.

(2) 2. 2. *q.* 120. *art.* 1. *ad* 3.

An Superior cum semetipso possit dispensare.

17. ℟. posse; quia Superior non est deterioris conditionis, quam sit

subditus; unde sicuti subditum, ita et seipsum poterit dispensare vel per se, vel committendo alteri potestatem dispensandi secum. Equidem nemo potest exercere in se jurisdictionem coactivam, aut contentiosam; at nihil prohibet, quominus in se exerceat jurisdictionem voluntariam, quae non exigit distinctionem personarum, sicut coactiva, et contentiosa. Verum, si proprie loqui velimus, Superior secum non dispensat in sua lege, quia Legislator hac non obligatur, sed solum in lege naturali, quae obligat ipsum ad modum legis propriae, seu declarat, se lege naturali ob justam, quam habet, causam non teneri.

CAPUT III.

De causis dispensationum.

SUMMARIA.

1. *Peccat dispensans sine causa.*
2. *Dispensans sine causa in materia gravi lethaliter peccat.*
3. *Peccat quoque ille, cui dispensatio sine causa conceditur.*
4. *Dispensatio sine causa ab inferiori concessa nulla est.*
5. *Dispensatio a Legislatore in propria lege valida est; aliud dicendum de iis dispensationibus, in quibus jus naturale, vel divinum immiscetur.*
6. *Fit satis objectionibus.*
7. *Qui utitur dispensatione sine causa concessa, non incurrit poenas a lege humana impositas.*
8. *Qui exponit Superiori causam, quam dubitat esse sufficientem ad dispensationem, si eam obtineat, ea uti potest.*
9. *Exponuntur in genere causae legitimae dispensationis.*
10. *In praxi definire difficile est, quaenam causa ad dispensandum sufficiens sit.*
11. *Valet dispensatio data a Superiore in lege sua absque causae cognitione.*
12. *Non tamen valet data ab inferiore.*
13. *Ad valorem dispensationis petitio necessario praecedere non debet.*

1. An illicita sit dispensatio sine causa concessa.

1. ℟. illicitam esse tum ei, qui concedit, tum ei, cui conceditur. Et 1.° quidem illicita est concedenti: *Si absque ratione*, inquit S. Thomas (1), *Superior licentiam, sive dispensationem pro sola voluntate tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens, infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem si rationem dispensandi ignoret*. Similia docet S. Bernardus inquiens (2): *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est*. Et alio loco (3): postquam dixit leges ne ab ipsis quidem Praelatis sine

offensa posse mutari, sic subdit: „ Numquid autem hoc ego vel solus sentiam, vel primus dico? An „ non hoc ipsum, vel Papa Gelasius sensit? Ait siquidem: *ubi necessitas non est, inconvertibilia „ maneant Sanctorum Patrum decreta.* „ Leo quoque Papa: *ubi*, inquit, „ *necessitas non est, nullo modo Sanctorum Patrum constituta violen*„ *tur*: Hinc Tridentinum (4) decernit, ut dispensationes omnes ex veris, et rationabilibus causis concedantur.

(1) 1. 2. *q.* 97. *art.* 4.

(2) *Lib.* 3. *de consid. cap.* 4.

(3) *Lib. de praecept., et dispens. cap.* 11.

(4) *Sess.* 7. *cap.* 2. *de Reform.*

Suffragatur quoque ratio; nam 1.° Superior committit peccatum acceptionis personarum, et peccat contra justitiam distributivam, dum sine ulla causa a legis onere liberat eum, qui non erat liberandus. 2.° Superior sua uti debet potestate in aedificationem, non in destructionem; aliter autem facit dispensans sine causa.

2. Ex his consequitur graviter peccare Superiorem, si materia gravis sit, dum sine justa causa dispensat; agit enim contra officium proprium, bonum commune pervertit, et laedit caritatem, dum praebet occasionem peccandi multis, qui facile putant, id sibi licere, quod aliis, quos absque ulla speciali causa ab observandis legibus abstinere vident. Hinc Tridentinum (1) ait, dispensare sine causa *nihil aliud esse, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire.* Imo, si dispensatio tractum successivum haberet, toties peccaret Superior, quoties male datam dispensationem non revocaret, sicuti toties peccat fur, quoties data opportunitate non restituit.

(1) *Sess.* 25. *cap.* 18.

3. Est etiam illicita dispensatio ei, cui conceditur absque justa causa; iste enim peccat eam petendo, quia peccandi causam offert Superiori; peccat etiam eam acceptando, quia Superioris peccato cooperatur; peccat demum ea utendo, etiam cum valida est; quamvis enim tunc non violet legem humanam, a qua solutus est, violat tamen legem naturalem, quae postulat, ut pars sine causa non discordet a toto; hujus autem peccati gravitas a materiae gravitate repetenda est. Hinc S. Bernardus (1) scribens ad Monachum quemdam adversus aliquos, qui asserebant se a lege immunes esse, eo quod dispensationem a Romano Pontifice obtinuerant, sic exclamat: *Mira cautela, ac stupenda providentia! malum, quod jam corde conceperant, opera tamen cauti fuere non implere, nisi cum licentia . . . quo lucro? Numquid ideo, aut malum esse desiit, aut minoratum, quia Papa concessit? Quis vero malum esse neget assensum praebere malo? Quod tamen fecisse Summum Pontificem nequaquam crediderim, nisi aut circum-*

ventum mendacio, aut importunitate victum. Similia habet Cardinalis Bellarminus sic scribens (2): *Hic cavillus* (nempe dispensatio obtenta a Summo Pontifice) *securos reddit multos, tutum vero neminem. Quoniam Papa non est dominus, sed dispensator: ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, et qui ea utitur, eadem semper irretitur iniquitate.*

(1) *Epist.* 7.

(2) *In epist. ad Nepotem.*

An Dispensatio sine causa valida sit.

4. R. 1.° Dispensationem sine causa ab inferiore in lege Superioris concessam invalidam esse; quia iste egreditur limites suae jurisdictionis; nam Superior non censetur dare inferiori potestatem dispensandi imprudenter.

5. R. 2.° Dispensationem sine causa a Legislatore in propria lege probabilius validam esse; lex enim totam vim suam habet a Legislatoris voluntate (1); ergo sicut potuit legem hanc condere, aut eam abrogare sine causa, aut ab initio decernere, ut hos solum, non illos obstringat; ita valide poterit etiam sine causa, quos voluerit, ab ejus vinculo eximere.

(1) *Arg. l. 1. ff. de Constit.*

Dixi in propria lege; nam si ageretur de iis dispensationibus, quae fierent a Legislatore in iis omnibus casibus, in quibus jus naturale, aut divinum immiscetur, invalidae omnino essent. Hinc ii, *qui pensiones retinent*, ait Cardinalis Toleti (1) *etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt. Nec excusantur, quia Papa dedit . . . ; si enim pecunias quis accipiat ab Oeconomo, quem scit male dispensare rem domini, et contra justitiam, non potest tunc retinere. Papa autem non est dominus bonorum, et redituum Ecclesiae, sed tantum universalis dispensator. Unde sicut cum dispensat hominem in voto, non facit hominem securum in conscientia, nisi causa adsit; ita in pensionum, et beneficiorum distributione.*

(1) *L. 5. Instruct. Sacerd. cap.* 83.

Plura nobis objiciunt contrariae sententiae patroni; et 1.° ajunt, legem sine causa rationabili editam nullam esse; ergo et dispensationem. Ajunt 2.°, potestatem datam esse a Deo Legislatori in aedificationem, non in destructionem; ideoque invalide sine causa dispensare. Ajunt 3.° quemcumque Legislatorem Deo inferiorem esse; porro ex dictis superius invalide dispensat inferior contra voluntatem Superioris. Ajunt demum, S. Bernardum supra laudatum vocare dispensationem sine causa *dissipationem*, et Tridentinum (1) asserere dispensationem sine causa esse *subreptitiam*, propterea que nullam.

(1) *Sess.* 25. *cap.* 18.

6. R. ad primum, legem sine causa rationabili promulgatam nullam esse, quia ex dictis *tom.* 1. ad essentiam legis duo potissimum requiruntur, voluntas nempe Legislatoris,

et utilitas boni communis; non vero ad abrogationem, sed sola voluntas sufficit; unde sicuti Legislator sine causa valide legem abrogat quoad omnes, ita valide sine causa dispensat quoad aliquos.

℟. ad secundum, potestatem dispensandi datam esse Legislatori eo modo, quo data est potestas Episcopo communicandi facultatem absolvendi Sacerdoti; sicut autem Episcopus valide negat facultatem absolvendi Sacerdoti absque justa causa; cum damnata sit haec propositio ab Alexandro VII.: *Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato*; ita pariter valide dispensat absque causa. Similiter quamvis bona non sint data prodigo ad dilapidationem, sed ad legitimam administrationem, tamen si ea dilapidet, valide se gerit, licet illicite.

℟. ad tertium, quemcumque Legislatorem esse Deo inferiorem non secus, ac Episcopus, et prodigus: atqui tamen ex dictis isti valide sua potestate utuntur, quamvis illicite; ita et Legislator.

℟. ad quartum, dispensationem sine causa appellari a S. Bernardo *dissipationem*, non quia sit invalida, sed quia illicita, eo modo, quo dissipatio bonorum a prodigo facta est illicita, non invalida. Demum Tridentinum appellat dispensationem sine causa *subreptitiam*, quia cum Summus Pontifex nunquam dispenset sine causa, si inveniatur concessa dispensatio sine causa, ea censenda erit subreptitia.

An qui utitur dispensatione valida sine justa causa obtenta, incurrat poenas lege humana impositas.

7. ℟. non incurrere, quia dispensatio valida tollit obligationem a lege humana prodeuntem; unde iste solum peccat contra legem naturalem, quae praecipit, ut membra se conforment toti ob bonum commune, et prohibet, ne quis absque justa causa onera communia declinet, atque a reliquis civibus absque ratione discedat. Porro peccatum hoc ejusdem speciei esse videtur, ac sit actus, qui per legem humanam praescribitur; lex enim naturalis videtur praescribere, ut quis ex eodem motivo servet illum actum, qui aliis praecipitur per legem humanam. Hinc peccare videtur contra Religionem, qui die festo missam non audit, etiamsi sine causa ab audienda missa fuerit dispensatus. Non desunt tamen, qui censent dispensatum sine justa causa peccare tantum contra justitiam legalem, aut distributivam, non vero contra eam specialem virtutem, quae per legem humanam praescribitur.

8. Qui dubitat, num sufficientem habeat rationem petendi dispensationem, non peccat, si eam causam sincere proponat Superiori, atque utatur dispensatione, si sibi concedatur, modo dubium deponat prudenter judicando Superiorem nolle

peccare, adeoque causam dispensandi sufficientem esse, nisi oppositum ei evidenter subinde constaret.

Quaenam sint legitimae causae dispensationis.

9. ℟. duas tantum numerari legitimae dispensationis causas, necessitatem scilicet, vel notabilem utilitatem. *Ubi necessitas urget*, ait S. Bernardus (1), *excusabilis dispensatio est*; *ubi utilitas provocat*, *dispensatio laudabilis est . . . . Nam cum nihil horum est*, *non plane fidelis dispensatio*, *sed crudelis dissipatio est*. Concinit Seraphicus (2), qui in dispensando requirit, ut *sit causa idonea*, *scilicet necessitas*, *vel utilitas*; *alioquin non dispensatio*, *sed dissipatio debet dici*. Hinc evitatio scandali (3), evitatio majoris mali (4), merita personae (5), pietas (6), misericordia (7), Religio (8) causae esse possunt sufficientes, cur Superior ad dispensationem deveniat. Quoties ergo necessitas occurret, Superior non solum poterit, verum etiam tenebitur dispensare; quare peccant ii Superiores, qui nimia severitate cortici legis inhaerentes, legisque spiritum non accurate perpendentes, dispensare renuunt, etiamsi id maxime bono communi expediat; sunt enim causa, cur plures in murmurationes erumpant, atque dispensandi in grave periculum violandi legem conjiciantur. Si autem utilitas particularis occurrat, nullumque impendeat scandalum, aut communi bono detrimentum, poterit in hoc casu Superior licite dispensationem denegare; dispensatio enim gratia est, quam concedere in hoc casu non adstringitur. Ceterum in his casibus, in quibus Superior tenetur saltem ex caritate dispensare, non propterea subditus legis obligationem evadit, si ei denegetur dispensatio; causa enim ex hypothesi sufficiens est ad dispensationem, neutiquam vero ad tollendam obligationem.

(1) *L.* 3. *de consid. cap.* 4. *n.* 18.

(2) *In* 4. *sent. distinct.* 19. *dub.* 6.

(3) *Cap.*Cum teneamur 6. *de praeb. et dignit.*

(4) *Can.* Dispensationes 16. *cau.* 1. *q.* 7.

(5) *Cap.* Innotuit 20. *de elect.*, *et cap.*De multa 28. *de praeb.et dignit.*

(6) *Cap.* Porro 1. *de Cler. pugn. in Duel.*

(7) *Can.* In singulis 19. *dist.* 86.

(8) *Can.* Si quis Diaconus 29. *dist.* 50.

10. Quaenam in particulari sit causa justa, et sufficiens ad dispensationem, non ita facile definiri potest; pendet enim hoc ex variis circumstantiis, ex quibus non ita facile constare potest, num ea adsit necessitas, vel utilitas, de qua locuti sumus; unde hoc loco observari sufficiat, talem 1.°, et tantam non requiri causam, quae ad tollendam legem sufficiens sit; tunc enim opus non esset dispensatione, sed tantum interpretatione. 2.° Non requiri talem causam, quae Supe-

riorem cogat ad dispensationem concedendam, sed eam sufficere, ex qua Superior moveri possit ad eximendum subditum ab obligatione legis. 3.° Justam causam non consistere in indivisibili. Quare munus erit Superioris in causam expositam inquirere, et sic ex varietate causae quosdam totaliter a lege liberare, alios a parte dumtaxat legis, quibusdam etiam aliud onus imponere, quod tamen levius sit illo, quod a lege impositum est; alioquin, si onus aequale imponeretur, dispensatio non esset, sed commutatio.

An valeat dispensatio, si causa dispensandi sufficiens existat, sed eam ignoret dispensans.

11. ℟. 1.° valere, si detur a Superiore in lege sua; quia si Superior valide dispensat sine causa, valide quoque dispensabit sine causae cognitione.

12. ℟. 2.° Non valere dispensationem datam ab inferiore sine causae cognitione, cum Superior non censeatur dare inferiori facultatem dispensandi sine causae cognitione. Hinc Benedictus XIV. in sua Constitutione (1) declaravit, expressionem causarum, earumque verificationem in dispensationibus ad validitatem pertinere; unde praecepit omnibus Procuratoribus etc., ut sciscitentur ab oratoribus veras causas, et illas sincere exponant sub poena falsi.

(1) *Incipiente* Ad Apostolicae servitutis *edita die x. martii* 1742.

13. Ad validam dispensationem nulla absolute requiritur petitio, aut supplicatio, sed poterit Superior, quando id necessitas, vel utilitas postulabit, proprio motu eam conferre. Neque enim sive ex natura sua, sive ex aliqua lege positiva ea petitio requiritur. Imo non solum sine petitione subdito concedere dispensationem valebit, verum etiam ei praecipere, ut ea dispensatione utatur, cum id expediens judicaverit.

CAPUT IV.

De iis, qui sunt dispensandi.

SUMMARIA.

1. *Subditi solum dispensari possunt a legibus.*
2. *Vagi dispensari possunt a Superiore illius loci, in quo morantur.*
3. *Peregrini, et forenses dispensari possunt a legibus municipalibus illius loci, in quo morantur per ejus loci Superiorem.*
4. *Peregrini, et forenses non possunt in perpetuum dispensari a legibus communibus per Superiorem illius loci, in quo moram trahunt.*

1. Certum est penes omnes, eos solum posse dispensari, qui subditi sunt Legislatori; enim vero dispensatio actus jurisdictionis est, qui nonnisi in subditos explicari potest; potestas namque condendi leges secum involvit potestatem dispensandi,

cum haec ab illa dependeat. Quapropter nec Praelati Ecclesiastici ullam habent potestatem dispensandi in legibus temporalibus Principum Secularium, nec Seculares Principes in legibus Ecclesiasticis. Sic etiam Episcopi dispensare quidem possunt subditos propriae Dioecesis, non autem alienae. Generales Regularium subditos universae propriae Religionis, Provinciales subditos suae Provinciae; atque ita de ceteris sentiendum.

Quaestio hic tantum instituitur, an Vagi, et Forenses possint dispensari a Superiore illius loci, in quo ad tempus commorantur.

2. Cui quaestioni respondeo 1.° certum esse, vagos posse dispensari a Superiore illius loci, in quo resident, ut omnes concedunt.

3. ℟. 2.° Peregrinos, et Forenses posse dispensari a lege municipali per Superiorem illius loci, in quo moram trahunt; quia ad Superiorem illius loci pertinet, ut omnes ibi commorantes leges observent; ergo etiam perpendere causas, quae postulant, ut dispensatio concedatur; ergo dispensare. Deinde Forensis obligatur legibus loci illius, per quem transit, ne deformitatem gignat; ergo Superior loci illius jurisdictionem habet cogendi illum ad talem observationem; ergo jurisdictionem, ut possit ex causa obligationem relaxare; alias Forensis deterioris conditionis esset quolibet incola; siquidem esset obligatus legibus, sicut sunt incolae, et non haberet recursum ad obtinendam illarum dispensationem.

4. ℟. 3.° In legibus communibus, votis, juramentis, et poenis contractis necessario requiri domicilium ad obtinendam dispensationem; ideoque Superiorem illius loci non posse in perpetuum dispensare. Id in primis constat ex pluribus declarationibus Sacrae Congregationis relatis a Garzia (1), quarum una haec est: *Absolvere Ordinarius potest ex decreto Tridentini in Sacramento Poenitentiae Forensem, qui gerit officium Praetoris, Medici, vel Officialis, qui habet domum, commoratur in civitate, vel Dioecesi, et in eis Ecclesiastica Sacramenta percipit, non tamen poterit cum eis dispensare.* Constat id ex ratione; ad tollendam enim obligationem, quae perpetuo afficit peregrinum, et forensem, non sufficit jurisdictio temporaria, sed necessaria est jurisdictio de se perpetua.

(1) *De Beneficiis p.* 2. *cap.* 10. *n.* 139.

Dixi Superiorem in perpetuum non posse dispensare; si enim ageretur de suspensione legis communis, voti, vel juramenti etc., crederem ad tempus dispensare posse, seu suspendere obligationem ex rationabili causa; quamvis enim iste Superior non habeat jurisdictionem de se perpetuam in Forensem, habet tamen temporariam; ergo in eo suspendere poterit obligationem inde contractam.

CAPUT V.

De defectibus, qui vitiosam, et invalidam reddere possunt dispensationem.

SUMMARIA.

1. *Vitia dispensationum alia sunt extrinseca, alia intrinseca: extrinseca variis modis contingunt.*
2. *Intrinseca ad obreptionem, et subreptionem reducuntur, atque dolo, vel simplicitate contingere possunt.*
3. *Duplex distinguitur dispensationis causa, finalis una, altera impulsiva.*
4. *Obreptio, vel subreptio dolosa sive circa causam finalem, sive circa impulsivam vitiat dispensationem.*
5. *Poenae in dolose impetrantes dispensationem.*
6. *Obreptio, vel subreptio ex simplicitate circa causam finalem vitiat dispensationem, si unum tantum caput contineat; si autem plura, eaque disjuncta, illud tantum caput vitiabitur, in quo est obreptio, vel subreptio; si autem conjuncta, corruet dispensatio, si obreptio, vel subreptio sit circa caput principale; non autem si sit circa partem accessoriam.*
7. *Error in nomine vitiat dispensationem.*
8. *Error in persona nullam reddit dispensationem.*
9. *Corruit dispensatio, si error sit in nomine Dioecesis.*
10. *Si scriptor Brevis, vel Orator; vel ejus Procurator Pontifici exposuerint unum impedimentum pro alio, corruit dispensatio, nisi loco minoris impedimenti expositum sit aliud majus in eodem genere.*
11. *Corruit dispensatio, si causa allegata falsa sit, licet plures aliae, et quidem verae allegari potuissent.*
12. *Si dispensatio integretur ex pluribus causis, et una ex his sit falsa, corruit dispensatio; si autem ex his causis quaelibet sufficiat, si causa falsa ex malitia allegata sit, corruit quoque dispensatio, non autem si ex simplicitate.*
13. *Valide dispensatur, qui veram allegat causam, sed eam falsis testibus probat.*
14. *Praecedentis dispensationis mentio non est facienda in consecutione secundae, nisi prima moraliter adaugeat difficultatem secundae.*
15. *Omnia impedimenta a solo Papa dispensabilia, sunt simul manifestanda in obtinenda dispensatione.*
16. *Inferior non potest dispensationem a Superiore denegatam concedere, nisi causa evidentes sufficiens appareat.*
17. *Vis clausulae* motu proprio *indicatur.*
18. *Non cessat dispensatio, si tantum cesset causa impulsiva.*
19. *Quatuor tempora sunt consideranda in dispensatione.*
20. *Probabilius nulla est dispensatio, si causa non subsistat eo tempore, quo Pontifex dat mandatum ad dispensandum.*

21. *Si causa cessaverit post mandatum Pontificis, Delegatus non potest dispensare.*
22. *Non corruit dispensatio, si causa cessaverit, postquam dispensatio suum ultimum obtinuerit effectum.*
23. *Dispensatio, quae habet tractum successivum, cessat, si ejus causa cessaverit.*
24. *Dispensatio absolute concessa non cessat, licet causa finalis cessaverit, antequam mandetur executioni.*
25. *Objectiones refutantur.*
26. *An dispensatio extinguatur per mortem dispensantis, vel per renunciationem: remissive.*

1. Vitia dispensationum alia sunt extrinseca, alia intrinseca. Extrinsecum vitium consistit in defectu formae, seu solemnitatis substantialis; porro dispensationes sunt invalidae ab extrinseco 1.° Si aliquid omissum sit ex forma substantiali, puta nomen Pontificis, data etc. 2.° Si rasura, vel litura secuta sit in loco praesertim substantiali, vel vitium contigerit, aut fractura in sigillo (1). 3.° Si inveniatur error latinitatis (2). 4.° Si aliquid contineatur contra jus commune, de quo mentio non fiat (3). Neque enim credibile est Pontificem velle juri derogare (4).

(1) *Cap.* 6. *de Fide instrum.*
(2) *Cap.* 11. *de Rescript.*
(3) *Can.* 15. *c.* 25. *q.* 2.
(4) *Cap.* Ecclesia 56. *de elect.*

2. Intrinsecum vitium tunc habetur, cum non narratur id, quod narrandum est, vel eo modo, quo narrandum est, vel falsum exprimitur. Hujusce vitii duae sunt partes obreptio, seu expressio falsitatis, et subreptio, seu reticentia veritatis; quod utrumque fieri potest vel dolo, dum scienter exprimitur falsum, aut tacetur verum, vel per ignorantiam, aut simplicitatem (1). Cum autem obreptio, et subreptio frequenter in jure, et usu promiscue usurpentur, propterea quidquid dictum erit de uno, intelligetur pariter de altero.

(1) *Cap.* 20. *de Rescript.*

An obreptio, vel subreptio irritent dispensationem.

3. ℟. praemittendum causam obtinendae dispensationis duplicem esse, motivam unam, seu finalem, et alteram impulsivam. Causa motiva ea est, quae principaliter, et ordinarie inducit ad concedendam gratiam, ita ut ea non existente, aut nullo modo, aut nonnisi cum quibusdam conditionibus, et limitationibus concessa fuisset. Causa vero impulsiva dicitur ea, quae de se non sufficit, adjuvat tamen causam motivam ad impetrationem gratiae. Sic infirmitas est causa motiva, doctrina vero, aut nobilitas causa est impulsiva, ut quis eximatur a lege jejunii. Porro illa censetur causa motiva, et finalis, quae de jure, aut stylo Curiae sufficit ad concedendam dispensationem.

4. Hisce praemissis ℟. obreptionem, aut subreptionem dolosam, seu

ex malitia, sive versetur circa causam finalem, sive versetur tantum circa causam impulsivam vitiare dispensationem. Id apertissime constat ex jure Canonico, et jure Civili. Et 1.° quidem ex jure Canonico; nam Innocentius III. (1) absolute, et indistincte statuit, ut illi, qui per fraudem, vel malitiam falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem *in suae perversionis poenam nullum ex iis* (dispensationis scilicet) *literis commodum consequantur*, nulla ibi facta distinctione inter causam finalem, et impulsivam, ubi obreptio, vel subreptio est dolosa, quam tamen distinctionem facit Pontifex in secunda parte, ubi agitur de obreptione, vel subreptione ex simplicitate, vel ignorantia. Ergo revera vult Pontifex, ut quotiescumque dolus, vel fraus intervenerit, sive sit circa causam finalem, sive solum circa impulsivam, nulla, et irrita sit dispensatio, et hoc in odium dolosi, et in poenam fraudis. Idem statuit Innocentius III. in superiori capitulo (2) his verbis: *Mendax precator careat penitus impetratis, quia fraus, et dolus ei patrocinari non debent.*

(1) *Cap. 20. de Rescript.*

(2) *Cap. 15. eod. tit.*

Id etiam constat ex jure Civili, etiamsi dispensationes essent legibus consentaneae (1).

(1) *L. 29. ff. ad l. Corn. de fals.*

5. Iis, qui dolose dispensationes obtinuerunt ex jure Canonico non alia imminet poena, nisi, ut Rescripti fructu, et jure omni destituantur (1); sed jure civili graviter decernitur puniendus, qui per dolum Rescriptum obtinuerit (2), poena etiam Legis Corneliae de falsis (3), et penes nos praeter compensationem damnorum decem etiam scutorum poena (4).

(1) *Cap. 2. et passim de Rescript.*

(2) *L. 5. Cod. si contra jus.*

(3) *L. 29. ff. ad l. C. de falsis.*

(4) *Reg. Constit. l. 2. tit. 2. cap. 2. §. 5.*

6. Si vero obreptio, aut subreptio sit ex simplicitate, vel ignorantia, tunc vel dispensatio unum tantum caput continet, vel plura; si unum tantum, cessat dispensatio, si obreptio, vel subreptio sit circa causam finalem. Id in primis constat ex clausula, quae inseri solet in dispensatione: *Si preces veritate nitantur*, quae debet semper subintelligi, licet non fuerit apposita (1). Id insuper constat ex eo, quod Superior numquam intendit dispensare, nisi propter hanc causam (2). Ergo si ea non subsistat, corruet dispensatio, deficiente voluntate in dispensante. Nec hic allegari potest ignorantia, simplicitas, vel bona fides; quia ex his non est petenda vis dispensationis, sed potius ex voluntate Superioris, quae hic deest. Secus vero dicendum, si obreptio, vel subreptio sit solum circa causam impulsivam ob contrariam rationem (3).

(1) *Cap.* 2. *de Rescript.*

(2) *Cap.* 2. *de filiis Presbyt. in* 6.

(3) *Cap.* 20. *de Rescript.*

Sin autem dispensatio plura contineat capita, videndum erit, an omnia capita aeque sint principalia, et ita inter se disjuncta, ut unum non pendeat ab alio, vel ex his unum est principale, cetera accessoria. Si primum: dispensatio corruet in ea tantum parte, in qua fuit obreptio, vel subreptio circa causam finalem (1); unde his assentiri non possumus, qui censent propter obreptionis, vel subreptionis vitium, licet multa sint capita, dispensationem in toto corruere, sed censemus corruere in ea dumtaxat parte, in qua obreptio, vel subreptio contigit, si ab aliis partibus sit discreta. Etenim in iis, quae ab invicem separari possunt, jura voluerunt, utile per inutile non vitiari (2).

(1) *Cap.* 4. *de Rescript.*

(2) *L.* 1. *§.* 5. *ff. de verb. obl.*, *l.* 20., *et* 29. *ff. de usuris.*

Si dispensationis membra ita inter se sint connexa, ut unum ab alio pendeat, vitiabitur dispensatio, si obreptio, aut subreptio in principali parte sit; quia corruente principali corruit et accessorium (1). Aliter vero dicendum, si obreptio, vel subreptio circa causam finalem in parte accessoria locum habeat. In hoc enim casu cum principale subsistat independenter ab accessorio, cessabit quidem dispensatio in parte accessoria, neutiquam vero in parte principali.

(1) *L.* 129. *§.* 1. *ff. de reg. jur.*

An error in nomine vitiet dispensationem.

7. ℟. Negant plures, modo de persona constet, quia Pontifex intendit dispensationem concedere petenti, sive is sit Petrus, sive Paulus, quod aequus dispensator non spectat, sed solum causae aequitatem. Sic in testamentis, etiamsi in nomine Legatarii testator erraverit, si tamen de persona constet, valet legatum (1); ergo a pari valet dispensatio, si error sit in nomine, modo de persona constet. Verum aliter docet Corradus; iste enim allegato omnium Curialium testimonio scribit stylum esse antiquissimum Curiae, qui pro lege servandus est (2), vitiari dispensationem, si erratum sit in nomine personae: puta si exprimatur nomen Petri pro nomine Pauli: atque huic sententiae favet, ut intellexi, usus, et praxis nostrae Curiae, ut scilicet, quando erratum est in nomine, Romam mittatur Rescriptum corrigendum, solviturque aliquid modicum pro correctione.

(1) *Instit. tit.* 20. *de Legatis §.* Si quidem 29.

(2) *Cap.* Quam gravi *de crim. fal.*

An error in persona vitiet dispensationem.

8. ℟. vitiare; si enim error in nomine vitiat dispensationem, quanto magis error in persona; hinc usus obtinuit, ut quando hujusmodi error contingit, corrigendum mittatur Romam quoque Rescriptum.

An valeat dispensatio, si erratum sit in nomine Dioecesis.

9. ℟. plures affirmare, validam esse hanc dispensationem, quia intentio Pontificis, a qua sola vim habet Rescriptum, est, ut tale Rescriptum dirigatur ad Ordinarium oratricis. Ille ergo Ordinarius, ad quem per errorem fuit directum Rescriptum, mittere illud debebit ad Ordinarium oratricis, a quo poterit executioni mandari. Alii vero probabilius sentiunt contrarium; unde si Rescriptum, quod dirigendum erat ad Archiepiscopum Taurinensem, directum fuerit ad Episcopum Vercellensem, neuter ex iis Praelatis illud exequi poterit; non Vercellensis, cui per errorem, et contra intentionem Pontificis commissum fuit; non Taurinensis, cui nulla facta fuit commissio, et talem esse usum, et praxim nostrae Curiae intellexi.

An, si unum pro alio impedimentum expressum fuerit, vitietur dispensatio.

10. ℟. videndum esse, an in expressione impedimenti erratum sit a scriptore Brevis, vel ab Oratore, vel ejus Procuratore. Si a scriptore Brevis, valet juxta plures Rescriptum, modo constet veritatem Summo Pontifici narratam fuisse a supplicante, ejusque supplicationi annuisse Pontificem; nam, inquiunt, intentio Pontificis est dispensare ab illo impedimento, quod sibi ab Oratore propositum fuit. Ergo ab hoc revera impedimento per illud Rescriptum solvetur Orator, licet scriptor Brevis per errorem aliud impedimentum in hoc Rescripto expresserit. Etenim non tam verba, quam intentio dispensantis est attendenda, praesertim cum verba Rescripti sint stricte explicanda, nisi de intentione mandantis aliud appareat expresse (1); porro in nostro casu aliud expresse constat de intentione Pontificis. Melius tamen sentiunt, qui contrarium opinantur; enim vero Delegatus tenetur sequi formam Rescripti, alioquin nulliter agit (2). Nec refert, quod certus sit de errore scriptoris; quia ad ipsum, ut simplicem mandatarium non pertinet cognoscere, an error irrepserit, sed solum exequi debet id, quod sibi exequendum commissum est; et talem esse Curiae praxim testatur Corradus (3), nisi fortasse majus impedimentum in eodem genere pro minori fuerit expressum, ut mox dicitur.

(1) *Cap. 6. de Rescript. in 6.*

(2) *Cap. 22. de Rescript.*

(3) *Lib. 7. disp. Apost. cap. 5. n. 29.*

Si vero non scriptor Brevis, sed Orator, vel ejus Procurator unum pro alio exposuerit impedimentum, tunc vel loco minoris impedimenti exposuit aliud majus in eodem genere: puta secundum gradum consanguinitatis pro tertio gradu ejusdem consanguinitatis; et in hoc casu valet Rescriptum; qui enim dispensat a majori impedimento, eodem

tempore dispensat a minori, si majus, et minus sint in eodem genere, quia dispensatio totius est dispensatio partis in toto contentae. Vel loco unius impedimenti exposuit aliud diversi generis, puta consanguinitatem pro affinitate, et tunc Rescriptum corruet, quamvis id ex inadvertentia factum sit. Etenim Rescriptum totam vim suam habet ab intentione Legislatoris; porro Pontifex intendit dispensare ab eo impedimento, quod sibi propositum fuit; ergo, cum impedimentum affinitatis non fuerit illi propositum, nullam habuit intentionem ab eo dispensandi, cum ignoti nulla sit voluntas.

An si ex pluribus causis veris, et sufficientibus, quae proponi possent, una tantum proponatur, quae falsa sit, valida sit dispensatio.

11. ℟. invalidam esse; quia Pontifex in hoc casu per illam clausulam: si *preces veritate nitantur*, quae clausula, etiamsi non apponatur, semper in Rescriptis intelligenda est, (1) non intendit dispensare, nisi sub conditione, quod illa unica causa exposita sit vera. Si igitur sit falsa, corruit dispensatio, quia cessat omnino in Pontifice intentio dispensandi.

(1) *Cap.* 2. *de Rescript.*

An valeat dispensatio, cum plures allegantur causae, quarum una est falsa.

12. ℟. distinguendo, vel ex pluribus hisce causis una tantum integratur causa sufficiens, vel quaelibet ex iis sufficiens est ad obtinendam dispensationem.

Si primum, invalida est dispensatio; nam quaelibet ex iis causis est insufficiens, et solum ex omnibus simul sumptis una integratur causa sufficiens; ergo si una ex ipsis, utpote falsa, desit, jam nulla haberi poterit, seu integrari causa sufficiens. Ergo deerit etiam hoc ipso voluntas dispensandi in Pontifice; nam haec voluntas tota fundatur super unam causam sufficientem, quae in hoc casu non habetur.

Si secundum, si scilicet quaelibet ex causis adductis sit sufficiens, et una illarum sit falsa, tunc si ex malitia falsa haec causa exposita fuerit, vitiabitur Rescriptum, licet aliae sint sufficientes causae, quae verae sunt (1). Si vero ex simplicitate, vel ignorantia, valet tunc Rescriptum, quia ex hypothesi aliae sunt causae verae, et sufficientes, quae rationem habent causae finalis (2). Hinc valebit dispensatio in gradu consanguinitatis, si causa scandali subsistat, licet altera causa susceptae prolis, quae insciis Oratoribus mortua fuerit, allegata, sit falsa. Nam copulativa duarum finalium resolvitur in disjunctivam (3), cum sufficiat unam ex his causis verificari (4).

(1) *Cap.* 20. *de Rescript.*

(2) *Cit. cap.* 20.

(3) *Arg. l.* 53. *ff. de verb. sign.*

(4) *Reg.* 70. *in* 6.

An, si quis veram alleget causam, sed eam probet falsis testibus, valide dispensetur.

13. ℟. affirmative, quia preces veritati nituntur, et aliunde dolus, vel malitia non est circa causam impulsivam, vel finalem.

An valeat dispensatio sine mentione praecedentis jam obtentae.

14. ℟. inspiciendum esse, num primae dispensationis consecutio valde adaugeat difficultatem pro concessione secundae, an secus; si primum, mentio praecedentis dispensationis jam obtentae facienda est, quia alioquin Superior non dispensasset, aut nonnisi cum quibusdam limitationibus. Hinc si quis ab impedimento criminis fuerit dispensatus, et deinde illud repetierit, debebit de ejusmodi repetitione mentionem facere, quia Papa non praesumitur velle idem genus criminis pluries remittere (1). Sic pariter si Beneficiatus fuerit dispensatus a residentia per quinquennium, et expleto quinquennio eandem gratiam petat, necessario exprimere debebit priorem obtentam. Si secundum, nulla habenda erit mentio praecedentis dispensationis ex contraria ratione.

(1) *L.* Nemo 3. *Cod. de Episcopali audientia, ubi dicitur*: Remissionem veniae crimina semel commissa non habeant.

Quandonam autem judicandum sit consecutionem prioris dispensationis augere moraliter difficultatem pro concessione secundae, nulla regula generalis dari potest, sed id pro qualibet materia, vel beneficiali, vel matrimoniali etc. repetendum erit ex stylo Curiae, et consuetudine. Quoad materias matrimoniales, quaenam ex stylo Curiae exprimenda sint, utpote augentia moralem difficultatem dispensandi, inferius dicemus.

Ceterum nostro jure inspecto obreptitium, et nullum est Rescriptum posterius obtentum, si nulla prioris jam obtenti habita sit mentio, illudque obtinens ad refusionem omnium damnorum adigitur (1).

(1) *Reg. Const. l.* 3. *tit.* 2. §. 12.

An pluribus ligatus impedimentis teneatur omnium mentionem facere in obtinenda dispensatione.

15. ℟. omnia impedimenta a solo Papa dispensabilia esse simul manifestanda, si dispensatio ad eundem finem tendat, puta ad unum matrimonium; nam sic fert usus, et stylus Curiae, qui pro lege servandus est (1). Adde quod Pontifex vel non dispensaret, vel non eodem modo, sed cum quibusdam limitationibus.

(1) *Cap.* Quam gravi 6. *de crimin. fals.*

Dixi omnia impedimenta a solo Papa dispensabilia; si enim quis posset obtinere dispensationem voti castitatis ab Episcopo in iis casibus, in quibus ipse potest, non erit necesse, ut hujusce impedimenti mentionem faciat. Dixi secundo, si dispensatio ad eundem finem tendat, nam si dispensatio ad diversum finem obtineatur, non erit necessarium omnia impedimenta simul ex-

primere; sic qui vult dispensari in voto castitatis ad matrimonium contrahendum, non tenetur exprimere, se irregularem esse.

An inferior possit dispensationem a Superiore denegatam concedere.

16. ℟. per se loquendo non posse; ratio est, quia, cum Pontifex negat alicui dispensationem, judicat causam, ob quam petitur, insufficientem esse; unde si Episcopus ob eandem causam dispensationem deinde concederet, jam se Pontifice sapientiorem ostenderet, judicando sufficientem fuisse illam causam, quae Pontifici insufficiens visa est; imo se plus posse, quam Papam, demonstraret, quod sane illicitum est.

Dixi per se loquendo; nam si causa esset omnino manifesta, seu evidenter sufficiens, tum posset Episcopus dispensare; quia merito in hoc casu praesumitur talem causam vel non fuisse ab Oratore satis expositam, vel Summum Pontificem gravibus aliis pluribus distentum negotiis, non satis ipsam causam, vel aliquam causae circumstantiam ponderasse.

Hic erit observandum, prout observavimus *tom.* 1. *pag.* 358. *n.* 40., literas gratiae, vel justitiae obtentas ab una Congregatione prius ab altera denegatas, nullas esse (1).

(1) *Decreto Innocentii XII. die* 4. *junii* 1694.

Quid sibi velit clausula *motu proprio*, quae quandoque apponitur in dispensationibus.

17. ℟. hanc clausulam non sanare vitium obreptionis, purgare tamen vitium subreptionis (1), nisi reticentia veri sit contra jus tertii, quia Papa numquam praesumitur velle juri tertii praejudicare (2), vel supprimat inhabilitatem ob praesumtam voluntatem Pontificis eo casu dispensationem verisimiliter non concessuri.

(1) *Cap.* Si motu proprio 23. *de praeb. in* 6.

(2) *Cap.* Super eo 15. *de offic. et potest. jud. deleg.*

An cessante causa dispensationis cesset dispensatio.

18. ℟. praemittendum 1.° , inter se convenire Doctores, cessante causa secundaria, et impulsiva tantum, remanente principali, aut cessante principali, sed non totali, ita ut adhuc remaneat sufficiens, propter quam solet dispensari, non cessare dispensationem. Quaestio igitur hic est de causa finali, non vero de causa impulsiva.

19. Praemittendum 2.° distinguenda esse quatuor tempora. Primum tempus est, quando Oratores Romam mittunt supplicationes, atque Pontifex dat mandatum ad dispensandum. Secundum, quando Delegatus procedit ad dispensationem concedendam. Tertium, quando dispensatio jam obtenta est per Delegatum, sed dispensatio nondum sortita est suum ultimum effectum: puta si quis fuerit dispensatus ad matrimonium contrahendum, sed nondum matrimonium contraxerit. Quartum,

quando dispensatio obtenta suum habuit ultimum effectum; puta si quis dispensatus ad ordines, jam eos receperit.

20. ℟. 1.° plures asserere, necesse non esse causam finalem veram existere primo tempore, quando scilicet Papa dat mandatum ad dispensandum, sed sufficere, si vera sit tempore actualis concessionis, quia clausula, *si preces veritate nitantur*, refertur ad tempus concessionis, seu actualis dispensationis per executorem factae. Notant enim hodierno stylo non solere dispensationes concedi in forma gratiae factae, uti fiebat de stylo veteri (1); quo in casu causa debebat esse vera, quando Papa Romae dispensabat, sed in forma gratiae faciendae; hoc est Papa committit, seu dat mandatum executori, ut is, si causam allegatam veram esse cognoverit, dispensationem nomine Papae impertiatur. Alii vero probabilius censent, nullam esse dispensationem, si causa finalis non subsistat eo tempore, quo dat Pontifex mandatum ad dispensandum (2). Etenim si Pontifex scivisset, causam sibi expositam fuisse falsam, nunquam mandatum ad dispensandum dedisset, cum a fraudibus plurimum abhorreat (3).

(1) *Cap.* 20. *de Rescript.*

(2) *Cap.* 9. *de Rescript. in* 6.

(3) *L.* Si cui ibi per medias vias *ff. de servit.*

21. ℟. 2.° Officialem delegatum ad dispensandum non posse valide dispensare, si post mandatum, seu indultum Pontificis cessaverit causa dispensationis finalis. Ratio est, quia mandatum ad dispensandum datur sub conditione: *Si preces veritate nituntur*; sed preces non nituntur veritate, cessante causa, ob quam data fuit Delegato potestas dispensandi; ergo Delegatus ad dispensandum non potest valide dispensare, si justa dispensandi causa cesset; quare si petas dispensationem, ut possis nubere consanguineae ad legitimandam prolem, quae moriatur, antequam delegatus dispensationem concedat, nulla est dispensatio.

22. ℟. 3.° Cessante causa finali quarto tempore, cum scilicet dispensatio non solum obtenta est, verum etiam suum ultimum effectum est sortita: puta matrimonium jam sit contractum, non propterea cessare dispensationem. Ratio est, quia cum effectus fuerit licite, et legitime consummatus virtute dispensationis, nulla apparet ratio, cur debeat cessare ob cessationem causae, praesertim cum ex regula juris (1) *factum legitimum retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.*

(1) *Reg. jur.* 73. *in* 6. *cui consentiunt Papinianus l.* 5. *ff. de lege Falcidia, atq. Justinianus* §. 14. *inst. de legatis.*

℟. 4.° Magna, quae est in hac re difficultas, tunc habetur, quando dispensatio obtenta fuit, sed nondum mandata executioni, an scilicet, cor-

ruente causa finali, cessare debeat dispensatio.

23. Et primo quidem cessat in communiori sententia dispensatio, si habeat tractum successivum v. g. in jejunio quadragesimali; nam in hoc casu virtualiter tot sunt dispensationes, quot dies; cuique enim diei sua est distincta obligatio, ideoque distincta singulis diebus virtualiter esse debet dispensatio. Ad discernendum autem, quando dispensatio habeat tractum successivum, necne, maxime juvat communis sensus, et praxis timoratorum.

24. Si autem dispensatio non habeat tractum successivum, sed unico actu sit perfecta, et consummata, nobis probabilior videtur sententia illorum, qui ajunt in hoc casu non cessare dispensationem. Quia per dispensationem validam fuit extincta obligatio legis; porro ablata semel per veram dispensationem haec amplius non reviviscit; sicuti lex semel ob veram causam abrogata non resurgit, licet cesset abrogationis causa. Si dicas obligationem legis non fuisse absolute exstinctam, sed conditionate, quamdiu causa duraret, quia dispensatio fuit data sub ista conditione, jam inde consequens esset, cessare quoque dispensationem, cessante causa finali, etiamsi suum ultimum effectum obtinuisset. Sic si quis, quia pauper a Principe obtinuisset officium, vel a Pontifice beneficium, si postea fieret dives, nec officium, nec beneficium retinere posset, cum cessaverit causa finalis, quod tamen adversarii non admittunt.

Si addas, cessante causa, cessare debere effectum (1), et paria esse nullam ab initio causam fuisse, et fuisse aliquam, sed desiisse, et datum ex causa, ea cessante, condici posse (2).

(1) *Cap. 60 de appellat.*

(2) *Arg. legis primae §. 2. ff. de condict. sine causa.*

25. Respondet Maschat (1) ad primum, *regulam illam tum procedere, quando effectus non est uno actu perfectus, et consummatus, sed semper pendet a causa, sicut accidit in dispensationibus tractum successivum habentibus*, v. g. *in jejunio quadragesimali, ubi virtualiter tot sunt dispensationes, quot dies, ac proinde causa singulis diebus debet existere; secus redit obligatio jejunandi: e contra in nostro casu effectus dispensationis unico actu est perfectus, et consummatus, et proinde durat, etsi caussa cesset. Ad secundum in nostro casu non esse paria ob rationem mox datam: quia dispensatio in fieri tantum, non vero in conservari pendet a veritate causae: secus, si constante matrimonio, causa cessaret, dispensatio esset inutilis. Nec est paritas a condictione sine causa; nam dans ex causa intentionem suam alligat causae non tantum praesenti, sed etiam perseveranti: e contra dispensans intentionem suam alligat causae verae de praesenti, non vero de futuro perseveranti.*

(1) *De dispens. matrim.* §. 2. *in fine*.

Addi potest aliter concedi dispensationes, quae habent tractum successivum, aliter, quae unico actu perficiuntur, et consummantur. Primae solent sub conditione, et quidem expressa concedi; unde qui petit, e. g. dispensationem ab officii recitatione, eam obtinet, sed sub hac conditione: *si causa tandiu perduraverit*. Secundae vero conceduntur absolute; quorsum ita? nisi quia in primo casu dispensans vult dispensationem suam pendere a causa in futurum perseverante, non vero in secundo. Si dicas peccaturum dispensantem, si velit continuari dispensationem sine causa, quum eximeret ab onere communi eum, qui non habet causam, unde eximatur; responderi potest tutos esse in conscientia Legislatores, si in legibus condendis, vel dispensandis sequantur id, quod communiter contingit (1): communiter autem contingit, ut causa non cesset, antequam dispensatio suum obtinuerit ultimum effectum. Si demum regeras, cessante causa, ut vidimus, cessare legem, (2) ideoque et dispensationem; respondetur, cessare legem, quia, cessante causa, lex evadit inutilis toti communitati; at, cessante causa, in dispensatione utilis adhuc est dispensatio ei, qui dispensatus est. Et sic respondisse S. Congregationem tradit Dejustis (3).

(1) *L.* 5. *ff. de legibus.*

(2) *Tom.* 1. *pag.* 287. *n.* 2.

(3) *Lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 26. *de dispensat.*

An dispensatio extinguatur per mortem dispensantis, vel per renuntiationem.

26. ℟. idem dicendum esse de hac dispensatione, ac diximus de privilegio, quando est gratia facta *tom.* 1 *pag.* 351. *n.* 5., *et pag.* 356. *n.* 33. *vide ibi dicta.*

DISSERTATIO II.

DE MATRIMONIALIBUS DISPENSATIONIBUS.

CAPUT I.

De potestate dispensandi in impedimentis.

SUMMARIA

1. *Ecclesia dispensare potest in quovis impedimento de jure Ecclesiastico.*
2. *Potest id quoque Summus Pontifex.*
3. *Nec Ecclesia, nec Summus Pontifex dispensare potest in impedimentis jure naturae dirimentibus.*
4. *Episcopi regulariter dispensare nequeunt in impedimentis jure Ecclesiastico dirimentibus.*
5. *Possunt tamen quandoque in matrimonio contracto.*
6. *Possunt etiam quandoque in matrimonio contrahendo.*
7. *Ex usu recepto dispensant in impedimentis matrimonio contracto supervenientibus.*

8. *Dispensant pariter in impedimentis impedientibus, quibusdam exceptis.*

9. *Facultas haec Episcoporum potest pro foro interno cuicumque Clerico delegari.*

10. *Haec potestas Episcopi non competit ejus Vicario Generali, sed, Sede vacante, competit quoque Capitulo; aliter sentiendum, si fuerit Episcopo a Pontifice specialiter delegata.*

Quis possit in impedimentis dispensare.

1. ℟. 1.° Ecclesiam posse dispensare in quovis impedimento de jure Ecclesiastico: *Si quis dixerit*, inquit Tridentinum (1), *eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant, anathema sit*. Et sane Ecclesia impedimenta constituere potest (2), ergo in iis dispensare; quia qui leges condere, etiam in iis dispensare valet.

(1) *Trid. sess.* 24. *can.* 3. *et* 4.

(2) *Trid. ibidem can.* 4.

2. ℟. 2.° Summum Pontificem in quovis pariter impedimento de jure Ecclesiastico dispensare posse; quia, utpote Supremus Pastor, sicut leges universales, adeoque et impedimenta pro tota Ecclesia constituere potest; ita et in iis dispensare, cum plenam habeat in toto jure Canonico dispensandi potestatem (1), et Pontificis auctoritas in legibus a Generali Concilio latis semper intelligatur excepta (2); alioquin si Pontifici non inesset haec facultas, nec Episcopis competeret; unde cum saepe saepius necessariae sint dispensationes, saepe saepius quoque haberi deberent Concilia, ut dispensationes concederentur; quod sane impossibile foret.

(1) *Cap.* Innotuit 20. *de elect.*, *cap.* Per Venerabilem 13. *Qui filii sint legitimi.*

(2) *Cap.* Significasti 4. *de elect.*, *et cap.* Proposuit 4. *de concess. praeb.*, *Trid. sess.* 25. *cap.* 21.

3. Dixi *de jure Ecclesiastico*; nam in impedimentis jure naturali dirimentibus, puta in errore circa personam, in impotentia perpetua, ligamine, seu vinculo matrimonii consummati, consanguinitate in primo gradu lineae rectae nec Ecclesia, nec Pontifex dispensare possunt, ut consentiunt Theologi; cum neque ex verbo Dei scripto, neque ex tradito constet a Deo fuisse Ecclesiae, vel Pontifici collatam hanc potestatem. An vero dispensare possit in voto solemni, et in matrimonio tantum rato alibi disputant Theologi.

4. ℟. 3.° Episcopos regulariter loquendo non posse in impedimentis de jure Ecclesiastico dirimentibus dispensare. Enim vero omnia juris Ecclesiastici impedimenta constituta

sunt, vel a Conciliis Generalibus, vel a Romano Pontifice; neque enim Episcopi, vel Concilia particularia pro toto orbe impedimenta constituere poterant; ergo in iis non poterunt Episcopi dispensare, cum lex Superioris per inferiorem tolli non possit (1). Sed fac, impedimenta dirimentia non esse a Concilio Generali, vel a Summo Pontifice constituta: Sane *Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesiam universam tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare* (2); ergo et impedimenta matrimonii, cum maxime expediat, ut leges universales, quales sunt impedimenta, ab eo solo relaxentur, qui supremam habet in Ecclesia potestatem. Si dicas, non constare de hac reservatione: respondetur, non constare quidem de expressa reservatione, sed de implicita nemini dubium esse potest, qui animadvertat consuetudinem esse in Ecclesia universalem, ut impedimenta dirimentia nonnisi a Pontifice dispensentur.

(1) *Clem.* Ne Romani 2. *de elect.*

(2) *Trid. sess.* 14. *cap.* 7.

5. Dixi *regulariter loquendo*; nam cum consuetudo, sicuti jus novum (1), ita et jurisdictionem inducere possit; si quae sit consuetudo, ut Episcopi in quibusdam casibus dispensent, erit ei inhaerendum. Porro consuetudine receptum est, ut Episcopi in his casibus dispensent. Et primo in matrimonio jam contracto, *modo simul concurrant sex circumstantiae*: 1.° , *scilicet*, *ut jam matrimonium fuerit contractum in facie Ecclesiae, omnibusque solemnitatibus adhibitis*: 2.°, *ut contractum fuerit bona fide ex juris, vel facti ignorantia* (addunt plures, Episcopos dispensare posse, cum alter tantum ex conjugibus bona fide contraxerit; quia innocenti (2) non debet nocere alterius malitia): 3.° *ut sit consummatum*: 4.° *ut impedimentum sit occultum*: 5.° *ut non possit facile adiri prima Sedes, seu dispensatio a Papa obtineri ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, aliasque similes causas*: 6.° *denique, ut non possit separatio fieri sine scandalo*: ita Benedictus XIV. (3), qui animadvertit hanc dispensationem prodesse solum pro foro conscientiae, non vero pro foro externo. Quocirca si impedimentum antea occultum postea detegatur, et deducatur ad forum contentiosum, opus erit nova dispensatione a Summo Pontifice impetranda.

(1) *L.* 35. *ff. de leg.*

(2) *Cap.* 22. *de reg. jur. in* 6.

(3) *Lib.* 9. *cap.* 2. *n.* 1.

6. 2.° Juxta plerosque Theologos Episcopi dispensare possunt in matrimonio contrahendo, modo impedimentum occultum sit, et modo matrimonium differri non possit absque scandalo, et sponsorum infamia; ad praecavenda enim praedicta gravia mala credibile est, Summum Pontificem nolle sibi reservare potestatem

dispensandi; reservatio enim in hoc casu non esset in aedificationem, sed potius in destructionem, et perniciem animarum; et ita, declarasse Sixtum Quintum refert Pyrrhus Corradus in praxi dispensationum (1).

(1) *Lib.* 8. *cap.* 4.

Dixi, *modo impedimentum occultum sit*, si enim impedimentum esset publicum, etiamsi gravis urgeret illud contrahendi necessitas, non poterunt tamen Episcopi dispensare ex variis Sacrae Congregationis responsis apud Rigantium, ut refert Benedictus XIV. loco citato, cum necessitas contrahendi, et gravia inde eventura incommoda, quando impedimentum est publicum, ab hominum malitia provenire soleant.

7. 3.° Episcopos dispensare posse in impedimentis supervenientibus post matrimonium legitime contractum, quibus aufertur potestas exigendi debiti conjugalis, ut est affinitas orta ex incestu; quia ita fert recepta consuetudo.

8. 4.° Episcopos dispensare posse in impedimentis mere impedientibus ex constanti pariter consuetudine, si excipiantur impedimenta orta ex sponsalibus cum altero initis, cujus juri derogari non potest, vel ex voto aut ingrediendae Religionis, aut perpetuae castitatis, quae Summo Pontifici reservata sunt.

9. Haec potestas, quae Episcopis competit, dispensandi, poterit ab iis, cuicumque Clerico delegari, sive quia talis est consuetudo, sive quia talis delegatio nullo jure prohibetur. Ceterum haec delegatio fieri tantum potest pro foro conscientiae; si enim Fpiscopus pro hoc tantum foro dispensare valet, alterum delegare non poterit pro foro externo.

10. Haec potestas, quam explicant Episcopi in quibusdam impedimentis, cum sit jurisdictionis ordinariae, et necessariae, competit quoque Capitulo, Sede vacante, utpote quod succedat in jurisdictione ordinaria Episcopali, non tamen Vicario Generali Episcopi, nisi specialiter fuerit delegatus (1); quia in generali mandato non veniunt casus speciales, et extraordinarii (2). Si tamen alicui Episcopo a Summo Pontifice facta esset specialis facultas dispensandi in aliquo impedimento, Sede vacante, uti ea non posset Capitulum; quia *privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona* (3). Ex quo licet concludere, quod si Episcopus ad aliam sedem transferatur, possit adhuc facultate uti sibi concessa.

(1) *Arg. Trid. sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.*

(2) *Reg.* 81. *in* 6.

(3) *Cap.* 7. *de reg. jur. in* 6.

CAPUT II.

De potestate Sacrae Poenitentiariae in impedimentorum dispensatione.

SUMMARIA

1. *Poenitentiaria dispensare potest pro foro conscientiae in omnibus impedimentis impedientibus.*
2. *Poenitentiaria non dispensat in quovis gradu consanguinitatis, vel affinitatis orto ex copula licita, nec in cognatione spirituali.*
3. *Poenitentiaria dispensare potest in occulto honestatis impedimento ex sponsalibus orto, licet matrimonium adhuc contrahendum sit.*
4. *Poenitentiaria aliqua matrimonia jam contracta in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita convalidat.*
5. *Poenitentiaria dispensat in cognatione spirituali, matrimonio jam contracto.*
6. *Poenitentiaria convalidare potest dispensationem nullam ex non narrata copula occulta.*
7. *Poenitentiaria convalidare potest dispensationem, narrata quidem in Dataria copula publica, sed non occulta cum intentione in ipsa copula habita ad facilius obtinendam dispensationem.*
8. *Poenitentiaria non convalidat dispensationem invalidam ob falsitatem narratae copulae.*
9. *Poenitentiaria dispensare potest super occulto impedimento affinitatis ex copula illicita.*
10. *Poenitentiaria dispensare quoque potest in occulto impedimento criminis.*
11. *Poenitentiaria legitimare potest prolem, si in adulterio non sit concepta.*
12. *Poenitentiaria a Pontifice quandoque extraordinariam obtinet facultatem.*
13. *Dicta superius sedulo consideranda etiam ad expensas vitandas.*

Quid possit Sacra Poenitentiaria in impedimentorum dispensatione.

1. ℟. 1.° *In matrimoniis contrahendis posse majorem Poenitentiarium in foro conscientiae tantum super impedimentis occultis, quae matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare* (1). Ergo qui voto, vel ingrediendae religionis, vel castitatis ligatur, si velit matrimonium inire, poterit ad majorem Poenitentiarium recurrere, qui stante legitima causa in aliud pium opus votum commutabit.

(1) *Ex Constit. Benedicti XIV. incip.* Pastor Bonus §. 39.

2. ℟. 2.° *in matrimoniis contrahendis* non posse dispensationem concedere *super quocumque impedimento ex quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, sive ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiae tantum, tametsi impedimentum sit occultum, et periculum scandalorum immi-*

neat (1). Ergo qui hujusmodi impedimentis tenetur pro eorum dispensatione non ad sacram Poenitentiariam, sed ad Datariam confugere necesse habebit.

(1) *Ex cit. Constit. et §.*

3. ℟. 3.° Majorem Poenitentiarium dispensare posse in occulto publicae honestatis impedimento, licet de matrimoniis contrahendis agatur. Enim vero cum dispensatio hujus impedimenti ante Constitutionem Innocentii XII., cujus initium *Romanus Pontifex*, et Constitutionem Benedicti XIV. *Pastor Bonus* ad majorem Poenitentiarium pertineret, nec a praedictis Constitutionibus haec facultas fuerit revocata; imo Innocentius XII. vivae vocis oraculo (ut refert Benedictus XIV. *tom.* 4. *instit.* 20. §. 7.) declaraverit adhuc spectare ad praedictum Poenitentiarium eas facultates, quas ei non abstulerat; evidens est majorem Poenitentiarium in dicto impedimento adhuc dispensare posse.

4. ℟. 4.° non posse majorem Poenitentiarium dispensare, seu convalidare matrimonia jam contracta *in gradibus primo, et secundo, seu secundo tantum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita etiam in occultis; praeter quam si in secundo tantum gradu praedicto impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores simul publice contraxerint, et convixerint, et uti conjuges legitimi reputati fuerint: in tertio autem, et quarto gradibus occultis, in contractis posse dispensare; atque etiam in iisdem tertio, et quarto gradibus publicis posse revalidare matrimonia ex causa subreptionis, et obreptionis occulta literarum Apostolicarum nulliter contracta; praeterquam si falsitas consistat in narratione praecedentis copulae, quae antea revera non intercesserit* (1). Ergo in hoc ultimo casu, si dispensatio a Dataria obtenta super gradibus tertio, vel quarto publicis fuerit nulla ex causa subreptionis, vel obreptionis occulta literarum Apostolicarum, poterit Major Poenitentiarius matrimonia hujusmodi revalidare; *Nisi falsitas consistat in narratione praecedentis copulae, quae antea revera non intercesserit*: quia nulla in Oratores redundat infamia, si ipsi ad Datariam iterum recurrentes asserant copulam, quam exposuerant, non intercessisse.

(1) *Cit. Constit.* §. 40.

5. ℟. 5.° Summum Poenitentiarium dispensare in matrimoniis contractis super occulto cognationis spiritualis impedimento ex iisdem rationibus, quibus usi sumus in Responsione tertia. Dixi in matrimoniis contractis, quia in matrimoniis contrahendis dispensare non potest, ut vidimus in responsione secunda.

Quid, si dispensatio super quocumque gradu prohibito fuerit obtenta, sed non narrata copula incestuosa.

6. ℟ dispensationem hanc nullam esse, sed si copula fuerit occulta,

poterit Major Poenitentiarius in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis dispensationem a Dataria obtentam convalidare; itaut si Oratores a Dataria fuerint dispensati in primo, et secundo, aut secundo tantum gradu, quinquaginta ducatorum auri de camera solutio facienda sit ad Datariam transmittendorum; nihil autem solvendum, si dispensati fuerint in tertio, vel quarto gradu, vel etiam in primo, et secundo, sed in forma pauperum. Id totum constat ex his citatae Constitutionis (1) verbis: *Quod si aliqui oratores obtinuerint a nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito, in primo, et secundo, vel in secundo tantum, etiam in tertio, vel quarto cum reticentia copulae inter eos secutae, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, et ratione hujusmodi reticentiae petant dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu revalidatione matrimonii contracti; possit idem Major Poenitentiarius, si copula sit adhuc secreta, hujusmodi dispensationem, seu respective revalidationem in foro conscientiae tantum concedere, facta quando agitur de primo, et secundo, vel secundo tantum gradu compositione quinquaginta ducatorum auri de camera ad Datariam transmittendorum, ad effectum, ut inconcussi moris est, erogandi in eleemosynas, nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum: quo casu etiam haec gratia similiter absque ulla compositione expediatur* (1).

(1) §. 41.

Quid, si Oratores expresserint copulam publicam in Dataria, non vero expresserint se eam habuisse, ut facilius dispensationem obtinerent.

7. ℟. Si intentio haec sit occulta, possunt Oratores confugere ad Majorem Poenitentiarium, qui poterit dispensare, sive matrimonium jam sit contractum, sive sit contrahendum, licet copula habita publica fuerit; sed si Oratores fuerint conjuncti in primo, et secundo, vel secundo gradu tantum consanguinitatis, vel affinitatis, ab his solvenda erit summa taxanda arbitrio Majoris Poenitentiarii transmittenda ad Datariam; quae quidem summa non erit solvenda, si fuerint dispensati in forma pauperum, vel etiamsi non fuerint dispensati in forma pauperum, hic, et nunc tamen pauperes sint, *itaut vere, et realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere non possint*: quo in casu Major Poenitentiarius *opportune providebit*; similiter summa illa non erit solvenda, si conjuncti fuerint in tertio, vel quarto gradu tantum. En verba constitutionis (1): *Si qui vero Oratores obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi, et secundi, sive secundi dumtaxat gradus consanguinitatis, seu affinitatis cum expressione quidem carnalis copulae, sed tacita, occulta, et maliosa intentione in ipsa copula habita*

ad facilius obtinendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis ad dictam Poenitentiariam recurrant, possit idem Major Poenitentiarius desuper absolute dispensare cum miserabilibus personis explicite adfirmantibus, se uti tales, et sub illa expressa qualitate, et forma miserabilium dispensationes a Dataria obtinuisse. Cum iis vero, qui non tamquam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sive uti nobiles, sive ut illustres, ab eadem Dataria similiter dispensati fuerint, non dispenset, nisi soluta prius in Dataria ad effectum pariter erogandi in eleemosynas taxa definienda arbitrio ejusdem Majoris Poenitentiarii, pensatis circumstantiis cujusque casus, et respectu habito ad praejudicium componendae, et ad vires supplicantium. Si tamen isti pauperes essent, itaut vere, et realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere non possent, praefatus Major Poenitentiarius opportune in hoc casu provideat, facto verbo, si peculiaris difficultas id postulet, cum Sanctissimo.

(1) §. 42. *dictae Constit.*

Quid, si Oratores copulam ad obtinendam dispensationem expresserint, quam tamen non habuerint?

8. ℟. in hoc casu non ad Poenitentiariam, sed ad Datariam confugiendum esse, ut dictum est in responsione 4.

9. ℟. 6. Majorem Poenitentiarium *Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu ex actu fornicario proveniente, quotiescumque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis, seu scandalorum non immineret, vel non adesset, in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis in foro conscientiae dispensare, et dispensari mandare posse, et valere* (1).

(1) §. 43. *dictae Constit.*

10. ℟. 7.° Majorem Poenitentiarium *Super occulto impedimento criminis adulterii; si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro machinante, commissum, posse tam in contrahendis, quam in contractis matrimoniis dispensare. Si vero crimen ejusmodi fuisset, utroque, vel altero machinante, patratum, posse in occultis pariter dispensationem concedere, raro tamen, et quando necessitas postulaverit, ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Poenitentiarii, re praesertim discussa in Congregatione, vel signatura, arbitrandum erit* (1).

(1) §. 44. *ejusd. Constit.*

11. ℟. 8.° Majorem Poenitentiarium in iis casibus, in quibus diximus, factam ei fuisse facultatem dispensandi, posse dispensare, *etiamsi gradus, et impedimenta hujusmodi multiplicia sint, quacumque, et quantacumque multiplicitate, et prolem, ubi opus erit, sive suscipiendam, non tamen in adulterio conceptam, in foro conscientiae tantum, posse legitimam decernere* (1).

(1) §. 45. *praedictae Const.*

12. ℟. 9.° In iis casibus, in quibus

maxime expedit, ut secreta obtineatur dispensatio, et aliunde in his casibus nulla competit Majori Poenitentiario potestas, si ad eum recurratur, extraordinariam a Summo Pontifice solet impetrare facultatem.

13. Hucusque dicta sedulo considerare debent tum Parochi, tum Confessarii, sive ut iis constet, quibus in casibus ad Sacram Poenitentiariam recurrere possint, vel debeant, sive ne in causa sint, cur parochiani, aut poenitentes expensas faciant in comparanda sibi a Dataria dispensatione, quam a Poenitentiaria obtinere poterant. Finge, ut aliquod afferam exemplum, parochianum, vel poenitentem Parocho, vel Confessario narrare, se occulta sponsalia iniisse cum Berta, cujus sororem, Berta contenta, velit in matrimonium ducere; si Parochus, vel Confessarius propalent hoc impedimentum credentes a sola Dataria dispensandum esse, quia nullam Oratoribus infamiam parit; ex occulto fiet publicum, et propterea Poenitentiaria, quae gaudebat potestate dispensandi in hoc impedimento, si remansisset occultum, ut patet ex responsione tertia, non poterit amplius dispensare; unde evidens est Parochum, vel Confessarium causam esse earum expensarum, quas facere debent in obtinenda a Dataria dispensatione. Idem dicendum si matrimonium fuerit nullum ob consanguinitatem, vel affinitatem in tertio, vel quarto gradu, vel secundo tantum, si impedimentum per decennium saltem duraverit occultum. Vide responsionem 4.

CAPUT III.

De iis, quae exprimenda sunt, ut valida obtineatur Dispensatio.

ARTICULUS I.

De iis, quae in genere exprimenda sunt.

SUMMARIA.

1. *Duplex est Romae tribunal pro obtinendis dispensationibus.*
2. *Referuntur discrimina utriusque tribunalis.*
3. *Modus indicatur, quo scribendum sit ad Poenitentiariam.*
4. *Modus scribendi ad Datariam exprimitur.*
5. *Quilibet ad Poenitentiariam, vel Datariam scribere potest.*
6. *Qui dispensationem obtinere intendit pro contrahendo matrimonio inspicere 1.° debet, an impedimentum sit dispensabile.*
7. *2.° Factum cum suis circumstantiis clare Pontifici exponere.*
8. *3.° Omnia impedimenta, si plura sint, et si ex iis aliqua sint publica, alia occulta, publica in Dataria, publica simul, et occulta in Poenitentiaria.*
9. *Copulam inter consanguineos, vel affines habitam, et quidem cum expressione intentionis facilius obti-*

nendi dispensationem, licet haec intentio se teneat ex parte unius.
10. *Licet mente solum concepta.*
11. *Modo tamen copula perfecta sit.*
12. *Et formalis secundum aliquos, sed contrarium est verius.*
13. *Etiamsi talis sit ex parte unius tantum.*
14. *Non erit tamen exprimenda, si post dispensationem habita sit.*
15. *Vel quot vicibus repetita.*
16. *Vel repetita post executionem dispensationis inter Oratorem, et Oratricis consanguineam.*
17. *Copula inter conjunctos cognatione spirituali, vel publica honestate est manifestanda.*
18. *Est pariter manifestanda inter conjunctos quovis alio impedimento.*
19. *Quid exprimendum ad obtinendam dispensationem pro matrimonio contracto.*
20. *Pro matrimonio tam contracto, quam contrahendo exponenda est causa dispensationis.*

1. Notandum 1.° duplex esse Romae tribunal, a quo obtineri possunt dispensationes, sacra scilicet Poenitentiaria, et Dataria.

2. Notandum 2.° haec esse praecipua inter utrumque tribunal discrimina. 1.° dispensatio a Poenitentiaria conceditur super omnibus impedimentis occultis impedientibus, et pro quibusdam occultis dirimentibus tam in contrahendis matrimoniis, quam in jam contractis pro solo foro conscientiae, itaut detecto impedimento non prosit pro foro externo; a Dataria pro impedimentis publicis, et quandoque occultis (puta in impedimento occulto proveniente ex cognatione spirituali, si de matrimonio contrahendo agatur; ut vidimus in responsione secunda capitis praecedentis) et pro utroque foro interno scilicet, seu conscientiae, et externo. 2.° in supplicatione ad Poenitentiariam exprimenda non sunt nomina Oratorum, vel cognomina, sed ficta solum e. g. Cajus, Berta; vel literae A. B. etc., nec nomen Dioecesis; at in supplicatione ad Datariam exprimuntur nomina, et cognomina Oratorum, Dioecesis originis, vel ambae Dioeceses, si Oratores ex diversa Dioecesi sint, quia solet Summus Pontifex Rescriptum dirigere ad Ordinarium oratricis. 3.° In Poenitentiaria nullae solvuntur expensae, et si in quibusdam casibus particularibus quidpiam solvitur, illud ad Datariam transmittitur (n. 6. cap. praeced.); at in Dataria, nisi dispensatio obtineatur in forma pauperum, solvenda est taxa non modica, quae in pios usus impeditur. 4.° Mortuo Pontifice non possunt amplius obtineri dispensationes matrimoniales pro foro externo, quia Datarii officium expirat (1), annulusque Piscatoris, seu sigillum Pontificis tunc frangitur; obtineri tamen possunt pro foro interno a Poenitentiaria, cujus facultates non extinguuntur per mortem Pontificis (2).

(1) *Constit.* 61. *Pii IV.*

(2) *Clem.* 2. *de elect.* §. 1. Eo tamen proviso, *et Constit. Benedicti XIV.* Pastor bonus.

3. Notandum 3.° aliter inscribi Literas, quibus a Poenitentiaria, aliter eas, quibus a Dataria petitur dispensatio. Quando dispensatio obtinenda est a Poenitentiaria, inscriptio extra, seu superscriptio non dirigitur ad Papam, sed ad Majorem Poenitentiarium hoc pacto:

Eminentissimo, et Reverendissimo
D. D. Cardinali
Majori Poenitentiario.
Romam.

Intus autem supplicatio incipitur his verbis:

Eminentissime, et Reverendissime
Domine.

Haec autem esse poterit supplicationis forma, seu exemplar, quod aliis dispensationum supplicationibus facile accommodari potest.

Exemplar pro matrimonio contrahendo.

Titius conscius (vel ignarus) *impedimenti carnaliter cognovit Bertam, postea tractatum habuit de contrahendo matrimonio cum sorore dictae Bertae; cum autem dictum impedimentum sit occultum, tractatus vero sit publicus, et nisi matrimonium contrahatur, scandala timeantur, de praemissis, de quibus maxime dolet, cupit absolvi, et secum dispensari. Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere ad me etc.* Hic vero exprimitur nomen, et cognomen illius, ad quem rescribendum, nomen ibidem civitatis, vel pagi, quo Rescriptum dirigendum est, et haec vulgari lingua, ne possit error contingere.

Aliud exemplar pro matrimonio contracto.

Lucius conscius (vel ignarus) *impedimenti contraxit in facie Ecclesiae matrimonium cum muliere, cujus sororem carnaliter cognovit. Quare, cum absque scandalo separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis, et dispensationis remedio; dignetur etc.* ut supra.

Aliud exemplar pro voto castitatis.

Cajus annos quindecim natus vovit castitatem perpetuam; cum autem in gravi incontinentiae periculo versetur, supplicat pro commutatione, aut dispensatione voti, ut inde matrimonium contrahere possit. Dignetur etc. ut supra.

4. Quando dispensatio a dataria petitur, supplicatio, seu epistola supplex non dirigitur ad Cardinalem datarium, sed ad Pontificem, et interius epistola his verbis incipit: *Beatissime Pater*; exterius autem inscriptio fit hoc pacto: ad *Summum Pontificem.*

Exemplar dispensationis obtinendae a Dataria.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devotorum oratorum Petri Boschis Dioecesis Astensis, et Catterinae Rhodes Dioecesis Taurinensis ex Oppido Avilianae, quod cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, dictus orator cum dicta dote minus competente oratricem in uxorem ducere intendat. Sed quia tertio gradu aequali a communi stipite proveniente conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt; ideo supplicant, quatenus dignetur cum ipsis, ut impedimento hoc non obstante, matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, ac in eo postmodum remanere libere, ac licite valeant, dispensare. Datum N. die N. mensis N. anno N.

Aliud exemplar pro dispensatione pro foro externo in forma pauperum.

Beatissime Pater.

Exponitur Sanctitati Vestrae humiliter pro parte devotorum oratorum (ponuntur nomina eorum, Dioecesis, Civitas, et Parochia, ut supra) *quod dicti oratores Orthodoxae fidei cultores vere pauperes, ac miserabiles, et labore suo, et industria tantum viventes, conscii se in tertio consanguinitatis gradu a communi stipite proveniente conjunctos esse, se invicem, non quidem data opera, ut crimine admisso Sedem Apostolicam ad misericordiam, et gratiam erga ipsos faciliorem redderent, sed solum vesana libidine victi carnaliter cognoverint, prolemque susceperint; cum autem, Sanctissime Pater, nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, innuptaque, et proles illegitima remaneret, graviaque inde scandala orirentur, cupiunt supradicti oratores matrimonialiter copulari; sed quia obstante impedimento ejusmodi desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae dispensatione, ideo supplicant etc.* ut supra etc.

Notandum, si copula sit habita cum ignorantia, vel sub spe faciliorem reddendi dispensationem, exprimendum id esse, et quidem an una tantum, an utraque pars cum ea ignorantia, vel intentione copulam habuerit, ut inferius dicetur.

5. Notandum 4.° ad Datariam, vel Poenitentiariam recurrere posse non solum Curiae officiales, sed etiam Parochum, vel Confessarium, vel eum, qui dispensationis beneficio indiget, imo et quemcumque. Ceterum, qui in supplicationibus ejusmodi efformandis non satis instructi sunt, multo melius sibi consulent, quando de recursu ad Datariam praesertim agitur, ut consulant Parochum, aliosve in hisce

rebus versatos, ne fortasse cum novis expensis denuo dispensationem obtinere debeant, eo quod prima fuerit obreptitia ob non narrata, quae de jure, et stylo Curiae erant exprimenda. Hisce notatis.

6. Ille igitur, qui dispensationem obtinere intendit, inspicere in primis debebit, an impedimentum sit ejus generis, in quo Summus Pontifex dispensare possit, et soleat. Sic nunquam in linea recta dispensat in secundo, tertio, vel quarto consanguinitatis gradu; nec pariter in primo lineae traversae gradu, inter fratrem, scilicet et sororem. Sic pro foro externo dispensare non solet, nisi ob causas gravissimas, quae vix occurrant, in impedimento disparis cultus, et in impedimento criminis, quando crimen publicum est, et mors conjugis secuta est, altero, vel utroque machinante.

7. 2.° Factum cum suis circumstantiis clare, et sincere nullo verborum apparatu, nec ignotis, et peregrinis vocibus (alioquin supplicatio dilacerari solet, ut advertit Corradus) Italico, vel Latino sermone, vel etiam vulgari lingua, quia tam Dataria, quam Poenitentiaria suos habent ex quacumque regione subordinatos ministros, exponere studebit.

8. 3.° Exprimet in supplicatione omnia impedimenta, quibus detinetur, in propria specie, et gradu; itaut nec dubium pro certo, vel contra, nec unum pro alio supponatur, cum omnibus necessariis circumstantiis, ne ob taciturnitatem alicujus circumstantiae, quae de jure, vel de stylo Curiae exprimenda est, subreptitia reddatur dispensatio; nisi fortasse ex iis impedimentis aliquod sit, cujus dispensatio aliunde haberi posset, ut si quis ligatus esset impedimento affinitatis, et voto castitatis ad tempus, puta ad triennium, tunc ab Episcopo obtinere poterit dispensationem a voto; vel nisi unum impedimentum sit publicum, alterum occultum, tunc pro publico recurrere debebit ad Datariam, et pro occulto ad Poenitentiariam, ei manifestando impedimentum publicum, cujus dispensationem a Dataria jam obtinuit, vel obtenturus est. Neque vero necesse est, ut quis prius ad Poenitentiariam, deinde ad Datariam recurrat; sed si dubitare possit sibi a Poenitentiaria denegandam esse dispensationem, prius ad Poenitentiariam erit confugiendum, ne fortasse cum multis expensis obtineat dispensationem, quae inutilis ipsi futura sit.

An, quando dispensatio petitur, exprimenda sit copula habita inter consanguineos, vel affines.

9. ℟. copulam hanc, si perfecta, et incestuosa sit, exprimendam esse, sive petatur dispensatio pro matrimonio contrahendo, sive pro revalidatione matrimonii jam contracti. Patet ex dictis cap. antec. n. 6. Et si haec copula habita fuerit, ut facilius obtineretur dispensatio, erit etiam id exprimendum; alioquin irrita erit

dispensatio, ut constat ex capite praecedenti. n. 7., licet ista intentio se teneat solum ex parte unius; idque tum ex stylo Curiae, tum quia factum exprimi debet cum suis omnibus circumstantiis, tum quia hic gravius punitur, majorque ab eo exigitur pecuniae compensatio (1).

(1) *Corradus praxi Dispens. lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 18.

Sed quid, si ista intentio fuerit solum mente concepta, tenentur ne oratores eam exprimere?

10. ℟. teneri, quia ita fert stylus Curiae; nec dicas, hanc pravam intentionem, utpote exterius non prodeuntem, non subjacere Ecclesiae potestati; hic enim non agitur de poena, quam in crimina interna non infligit Ecclesia, sed de gratia, seu dispensatione, quam non vult concedere, si illa intentio non manifestetur.

11. Dixi 1.° Si perfecta sit; nam si fuerit imperfecta, scilicet non consummata per veram virilis seminis intra vas effusionem, non est vera copula, eo quod isti consanguinei, vel affines hoc pacto se conjungentes non fiant una caro (1).

(1) *Benedictus XIV. Instit.* 87. §. 23.

12. Dixi 2.° Si perfecta, et incestuosa sit: ex quo consequitur 1.° copulam materialem, quando scilicet consanguinei, vel affines ignorabant probabiliter esse consanguineos, vel affines, proprie non esse incestum, ut colligitur ex jure canonico (1), vel saltem non esse formalem; ideoque dictam copulam secundum aliquos non esse exprimendam (2). Verum, inquit Corradus (3) „ contrarium est verius... „ attento stylo Curiae, qui pro lege „ servatur c. *Quam gravi de cri-* „ *mine falsi*, et quotidiana praxis „ docet.

(1) *Cap.* 1. *de eo, qui cognovit consanguineam.*

(2) *Benedictus XIV. loco citato.*

(3) *Lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 30.

13. Consequitur 2.° Copulam habitam inter consanguineos, vel affines, posteaquam dispensatio a Delegato fuerit executioni mandata, non esse amplius incestuosam; eo quod ipsi contrahentes post obtentam dispensationem non sint amplius consanguinei, vel affines, ideoque necessariam non esse novam dispensationem.

Sed quid, si scientia impedimenti se teneat solum ex parte unius ex contrahere volentibus?

14. ℟. probabilius exprimendam esse copulam tum ex stylo Curiae, ut tradit Corradus (1), tum quia conscius impedimenti cognoscendo consanguineam, vel affinem gravius punitur, majorque mulcta ipsi imponitur.

(1) *Lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 18.

Erit ne exprimendum, quot vicibus copula intercesserit?

15. ℟. negative, sive repetita sit inter oratores, sive inter oratorem, et consanguineam oratricis, tum ex

stylo Curiae (1), tum quia novum impedimentum nec inducit, nec auget, nec propterea difficiliorem reddit Pontificem ad dispensandum.

(1) *Corradus l.8. c.1. n.49. disp.Ap.*

Quid, si copula repetita fuerit inter oratorem, et oratricis consanguineam post executionem dispensationis, erit ne opus nova dispensatione?

16. Respondet Alphonsus de Ligorio (1) opus non esse nova dispensatione; quia affinitas illa jam sublata erat per dispensationem quoad effectum contrahendi matrimonii; et hoc videtur innuere clausula illa, *hac vice*, quae solet apponi in dispensationis literis; atque refert declarationem Sacrae Poenitentiariae authenticam, quam ipse vidit editam die 21. septembris 1752. his verbis conceptam: *Sacra Poenitentiaria ad praemissa respondet, quod si orator alias super eodem primi affinitatis gradus impedimento ad matrimonium contrahendum cum muliere de praesenti ejus conjuge fuerit dispensatus, etiamsi ipse post obtentam gratiam, atque ante matrimonii celebrationem denuo cum supradicta mulieris matre relapsus sit, nova dispensatione non indigere.* His tamen non obstantibus crederem nova opus esse dispensatione, quia nostris temporibus nova conceditur in hoc casu dispensatio; quum ex repetita copula novum oriatur impedimentum; unde ab ea declaratione, si forte prodiit, recessum est.

(1) *De impedim. matrim. n. 1140.*

Erit ne manifestanda copula habita inter conjunctos cognatione spirituali, vel publica honestate?

17. ℟. esse manifestandam ex decreto S. Congregationis relato a Corrado (1) cujus haec sunt verba: *S. Congregatio censuit, dispensationem subreptitiam, si inter consanguineos, vel affines, aut spirituali cognatione conjunctos carnalis copula praecessisset, cujus mentionem in supplicatione non fecissent.*

(1) *Lib. 8. cap. 1. n. 39.*

18. Imo est exprimenda copula habita inter eos, qui quovis alio impedimento detinentur ex decreto S. Congregationis penes Corradum (1) hujus tenoris: *Qui se cognoverunt carnaliter sine tractatu, et cogitatione matrimonii, volentes postea matrimonium contrahere, et petentes secum dispensari in aliquo impedimento, tacentes se carnaliter cognovisse .... nullam obtinuerunt dispensationem, ex eo solo, quia non narraverunt cognitionem carnalem.*

(1) *Lib. 8. cap. 1. n. 38.*

19. Si illi, qui obtinere volunt dispensationem, jam matrimonium contraxerint, sed invalide ob aliquod impedimentum dirimens, exprimere debebunt 1.° an ambo, vel horum unus, cum, vel sine scientia impedimenti matrimonium contraxerint (etenim subreptitia esset dispensatio, si exponatur, oratores bona fide contraxisse, quando unus impedimentum non ignorabat; et prout subreptitia prodesse non poterit inno-

centi propter ejus indivisibilitatem). 2.° et multo magis, an cum dicta scientia consummaverint; quia cum his Tridentinum (1) specialiter prohibet dispensari; et quamvis Tridentinum eo loci loquatur solum de iis, qui contrahunt intra gradus prohibitos, nihilo tamen minus ejus dispositio locum habet in quibuscumque impedimentis, tum ex stylo, et praxi Curiae (2), tum quia id indicare videntur subsequentia Tridentini verba: *Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod subesse cognoscatur etc.*; quae verba quodvis impedimentum innunt. 3.° An oratores sub spe facilioris dispensationis contraxerint, vel sub ea spe consummaverint matrimonium; nam peccantes sub spe facilius consequendae dispensationis, graviter puniuntur, et ita se habet inveteratus Curiae stylus (3). 4.° An praecesserint legitimae denunciationes, vel saltem de licentia Ordinarii omissae sint, et an haec licentia per fraudem fuerit obtenta; quia si sine denunciationibus, (vel, quod idem est, iis omissis ob licentiam Ordinarii fraudulenter extortam; tunc enim haec licentia perinde haberetur, ac si non fuisset concessa) contraxerint, ex Tridentino (4) carere debebunt omni dispensatione, non quidem, quod iis omnino deneganda sit, sed quia longe difficilius iis conceditur.

(1) *Ex Trid. sess.* 24. *cap.* 5.

(2) *Corradus l.* 8. *cap.* 3. *n.* 2. *disp. Apost.*

(3) *Idem Corradus l.* 8. *cap.* 1. *n.* 15.

(4) *Loco jam citato.*

20. Demum tam pro matrimonio contrahendo, quam pro contracto addi debet causa, quae Pontificem movere debet ad concedendam dispensationem: De iis causis dicam cap. 4.

ARTICULUS II.

De iis, quae circa quodvis impedimentum emprimenda sunt.

SUMMARIA.

1. *Quid exprimendum circa consanguinitatem.*
2. *Non corruit dispensatio, si in ea petenda gradus reticitus non sit primus.*
3. *Quid exprimendum circa affinitatem.*
4. *Quid circa cognationem spiritualem.*
5. *Quid circa honestatem publicam.*
6. *Quid circa criminis impedimentum.*
7. *Dum petitur dispensatio super quovis impedimento, semper facienda est mentio de raptu, si sit secutus, licet mulier raptui consenserit.*
8. *Prohibitus ex dispensatione aliud matrimonium inire, mortua comparte, valide aliud init, sed illicite absque dispensatione.*

Hactenus de iis, quae exprimenda erant in genere, nunc ad singularia descendimus, et 1.° circa con-

sanguinitatem exprimendum est, an oratores sint in linea recta, vel transversa; nam in linea recta numquam dispensat Summus Pontifex. 2.° quo gradu inter se distent; quo enim propinquior est gradus, eo difficilius dispensatur; si tamen fuisset expressus gradus propinquior pro remotiori v. g., tertius pro quarto, non corrueret dispensatio, quia propinquior includit remotiorem. 3.° si distent in gradu inaequali, et foemina sit proximior stipiti, id pariter narrandum erit; quia Pontifex difficilius quoque dispensat; cum per matrimonium foemina, quae erat superior viro, fiat ei subdita. 4.° an duplici, vel triplici, vel quadruplici gradu conjuncti sint, nempe an consanguinitas sit duplicata, vel triplicata, vel quadruplicata (1). 5.° An habuerint inter se copulam, et quidem, an sub spe facilioris dispensationis, etiamsi haec spes ex parte unius se teneat (*art. praeced. n.* 9.) Si copula sit occulta, et impedimentum consanguinitatis vel sit publicum, vel dispensari non possit, licet occultum, a magno Poenitentiario juxta superius dicta de ipsius facultate, tunc copula una cum impedimento consanguinitatis erit manifestanda Poenitentiariae; impedimentum vero consanguinitatis Datariae, prout diximus *art. praeced. n.* 8.

(1) *Benedictus XIV. Constit.* Etsi Matrimonialis §. 1. *et* 6.

An, non expresso gradu propinquiori in consanguinitate, corruat dispensatio.

2. ℟. non corruere, si gradus propinquior reticitus non sit primus (1), sed is, cum quo dispensatum est, obtinere debebit ab Apostolica Sede literas declaratorias, quibus constet dispensationem sic obtentam subreptionis, vel obreptionis vitio notari non posse (2), et hoc ad vitandum scandalum, ne forte scientes, reticitum esse gradum propinquiorem, credant matrimonium nullum esse. Hinc Delegatus pro foro externo non debebit procedere ad dispensationem, usque dum dictae literae fuerint obtentae; quod si matrimonium jam sit contractum, Ordinarius conjuges separare tenebitur, donec dictas literas exhibuerint; si tamen nullum timeretur scandalum, eo quod ignoraretur, gradum proximiorem esse reticitum, non erunt obligandi conjuges ab Ordinario ad praedictas literas obtinendas; cum hae solum requirantur ad scandalum vitandum.

(1) *Benedictus XIV. Constit.* Etsi Matrimonialis §. 6.

(2) *Ibidem ex Constit. Pii V.* Sanctissimus.

3. Circa affinitatem exprimendum est 1.° utrum oratores sint in linea recta, an in tranversa; quia in illa difficilius, quam in hac dispensatur. 2.° in quo gradu sint: si foemina sit propinquior stipiti, non erit hoc necessario exprimendum, ut in consanguinitate, sed sufficiet inaequalitatem graduum describere; quia in affinitate non apparet ea peculiaris indecentia, quae est in consangui-

nitate. 3.° An gradus sit duplex, puta si quis duas ejus, quam ducere intendit, sorores cognovisset, vel triplex, puta si duas sorores, et matrem quoque sibi copulasset etc. 4.° utrum affinitas oriatur ex copula licita, an ex illicita, si dispensatio petatur super primo, vel secundo gradu; quia quando oritur ex copula licita, adest etiam impedimentum publicae honestatis, quod non cognoscit Pontifex, ideoque in eo non dispensat, nisi copula licita exprimatur. 5.° Copula, et quidem exprimenda eo modo, quo diximus de consanguinitate.

4. Circa cognationem spiritualem exprimendum est 1.° utrum cognatio ex baptismo, an ex confirmatione exurgat, cum fortius sit vinculum, quod ex baptismo oritur. 2.° utrum sit paternitas, an maternitas, utrum compaternitas, an commaternitas, cum longe indecentius sit contrahere cum filia spirituali, quam cum ejus matre, et in paternitate, vel maternitate spirituali Summus Pontifex non soleat dispensare, nisi ob causas, quae vix occurrunt. 3.° An cognatio spiritualis sit duplex, puta si quis tenuerit eundem filium in baptismo, et in confirmatione; vel si quis tenuerit filios illius, qui filios suos tenuit; non tamen necessum est exprimere, an plures tenuerit in baptismo, vel confirmatione filios illius, quam ducere intendit, quia inde non multiplicatur cognatio; idque declaravit Clemens VIII., ut refert Garzia (1).

(1) *De benefic. part.* 8. *cap.* 3. *n.* 78.

5. Circa honestatem publicam exprimendum est 1.° utrum haec oriatur ex sponsalibus, an ex matrimonio rato, quia ex matrimonio fortius vinculum oritur. 2.° Si ex matrimonio rato, utrum ex uno, an ex pluribus capitibus descendat; sic siquis contraxisset matrimonium cum persona duplici consanguinitatis vinculo juncta personae, quam ducere intendit, ex duplici capite impeditur. 3.° Si ex matrimonio rato, explicandi sunt gradus; secus si ex sponsalibus, quia in his primus tantum gradus habetur. Si Oratores essent in gradu inaequali, satis erit exprimere gradum remotiorem; nam Constitutio Pii V., quae exigit literas declaratorias super gradu proximiori attingit solum consanguinitatem.

6. Circa criminis impedimentum exponendum est 1.° utrum ex machinatione, an ex adulterio sine machinatione, an ex utroque simul nascatur; quando enim mors conjugis secuta est altero, aut utroque machinante, Pontifex non solet dispensare pro foro externo, raro pro foro interno. 2.° An idem crimen fuisset jam patratum, et nunc repetitum; quia Pontifex non vult iterum condonare idem crimen, *cum remissionem veniae crimina semel commissa non habeant* (1).

(1) *Lege* Nemo 3. *Cod. de Episc. aud.*

7. Quamvis ob raptum nulla requiratur dispensatio, quando mulier non est amplius in potestate raptoris, si tamen ob aliud impedimentum dirimens dispensatio peteretur, facienda esset mentio de raptu secuto, alias nulla esset dispensatio; quia Pontifex in omnibus mandatis dispensationum matrimonialium apponit clausulam: *Dummodo dicta mulier propter hoc* (idest propter matrimonium contrahendum) *rapta non fuerit* juxta regulam quadragesimam nonam Cancellariae, in qua sic: *voluit, quod in literis dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut alias prohibito ponatur clausula: dummodo dicta mulier propter hoc rapta non fuerit*: Et si in mandato non fuisset apposita, tamen de stylo Curiae subintelligeretur, ut docet Corradus (1). Et mentio hujusmodi raptus adhuc facienda est, licet mulier raptui consenserit ex decreto Sacrae Congregationis penes Rigantium (2).

(1) *Lib.* 8. *cap.* 6. *n.* 54. *Dispens. Apost.*

(2) *In Regulam* 49. *n.* 97.

8. Cum in quibusdam Rescriptis haec inseratur clausula: *Volumus autem, quod contrahentium praefatorum alter alteri supervivens perpetuo absque spe conjugii remaneat*; quaeri potest, an secundum matrimonium a conjuge superstite absque dispensatione contractum non solum illicitum, sed nullum quoque sit.

℟. Validum esse, idque colligitur ex iis, quae dicta sunt *tom.* 1. *pag.* 300. *n.* 8. *et sequentibus*; atque ita censuit Sacra Congregatio (1).

(1) 7. *Julii* 1705.

CAPUT IV.

De Matrimonialium dispensationum causis.

SUMMARIA

1. *Prima causa est angustia loci.*
2. *Secunda defectus dotis.*
3. *Tertia litium finis.*
4. *Quarta inimicitiarum compositio.*
5. *Quinta viduitas oratricis cum multis filiis.*
6. *Sexta aetas oratricis ultra vigesimum quartum annum.*
7. *Septima periculum perversionis.*
8. *Octava excellentia meritorum.*
9. *Nona causa in genere.*
10. *Decima conservatio bonorum in eadem familia.*
11. *Undecima conservatio illustris familiae.*
12. *Duodecima evitatio scandalorum.*

Causas jam exposuimus (*cap.* 3. *n.* 9.) generales, quae facere possunt pro quibuscumque dispensationibus sive matrimonialibus, sive aliis; nunc paucis enumerandae sunt causae propriae matrimonialium dispensationum; et hae sunt stylo Curiae consecratae.

1. prima est *angustia loci*, quando in loco originis mulier non potest invenire paris conditionis virum, cui

nubat nisi consanguineum, vel affinem; si mulier se transtulerit in aliam Dioecesim, vel alium Dioecesis locum, utriusque loci angustia exprimi debet, et coram Delegato verificari, nisi in loco domicilii a decennio, et ultra habitaverit, quo in casu hujus loci angustiam verificari satis erit. Nomine autem loci non venit civitas, quae habeat Episcopum, nisi fortasse *tercentum focularìorum numerum non excedat*, nec veniunt suburbia, nisi per milliare, vel circiter a civitate distarent (1). Si error sit in expressione loci, vel locorum, non poterit Delegatus literas executioni mandare, sed curare debebit, ut error corrigatur in Curia; alioquin invalide dispensabit; error enim in hoc casu esset in causa finali, quatenus nulla alia causa allegatur, quam eorumdem locorum angustia; practici tamen expeditores ad vitandum periculum subreptionis, dum iis non constat de vero loco originis, solent generaliter exponere, oratores in locis, in quibus orti sunt, invenire non posse virum paris conditionis, cui nubant. Quamvis oratrix in locis suae patriae finitimis invenire possit virum sibi aequalem; potest tamen Delegatus procedere ad dispensandum ex decreto S. Congregationis relato a Sanchez. Cum Pontifex moveatur ad dispensandum; quia durum est oratrici, ejusque parentibus, si extra patriam nubat.

(1) *Corradus lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 42.

2. Secunda est defectus dotis oratricis, quando mulier aut nullam habet dotem, aut ita tenuem, aut litibus involutam, ut non possit paris conditionis viro nubere, nisi consanguineo, vel affini, qui eam ducere intendat sine dote, vel cum ea quidem, sed incompetente, vel ex integro eam dotare, vel dotem augere, vel lites in se suscipere, vel tertius haec omnia praestare velit, si mulier nubat consanguineo, vel affini: ratio dispensationis est, quia valde expedit Reipublicae, ut puella innupta non remaneat cum periculo incontinentiae, vel cogatur nubere indigno. Si mulier repudiet hereditatem sibi delatam eo fine, ut ob dotis defectum obtinere posset dispensationem, invalide dispensabitur; quia in hoc casu cessat causa finalis dispensationis, nempe dotis defectus, et proinde periculum ipsius nubendi indigno, vel innuptae remanendae; haec enim censetur dives, cum dives habeatur ille, qui ad acquirendas divitias actionem habet (1). Adde, quod hic intercedit fraus ex parte puellae, quae fraudulenter repudiat hereditatem, ut nubat consanguineo; Pontifex autem numquam intendit fraudibus patrocinari, cum legislatores ab iis maxime abhorreant (2).

(1) *Lege* Qui potest facere 174. *de reg. jur.*

(2) *Cap.* Ex tenore 16. *de Rescr.*, *et l.* In fundo 38. *ff. de rei vind.*

3. Tertia est litium finis, quando

ſcilicet graves lites inter oratores, vel eorum parentes, consanguineos, vel affines super rebus magni momenti extinguerentur, si oratores matrimonium inter ſe inirent. Etenim litium extinctio maxime ad bonum publicum, et Reipublicae commodum conducit (1); cum jura omnia valdè festinent imponere finem litibus (2), et salus Reipublicae ex litium multitudine summopere laedatur (3). Cum in literis Apostolicis haec clausula inseratur: *facta prius litium cessione, seu compositione*, invalide Delegatus ad dispensandum procedet ante litium cessionem, et compositionem, quia clausula posita ablativo absoluto conditionem importat (4).

(1) *Cap.* Dispendia 3. *de Rescript. in 6.*

(2) *L.* 2. *Cod. de re judic.*

(3) *Cic. lib.* 1. *de leg.*

(4) *Lege* A Testatore 109. *ff. de condit.*, *et demonstr.*

4. Quarta est inimicitiarum compositio, quando graves inter oratorum parentes consanguineos, vel affines inimicitiae componerentur, si oratores matrimonialiter copularentur. Etenim pax, et unio est necessarium fundamentum felicitatis tum temporalis, tum spiritualis (1); quia, teste Augustino (2), *ipsa est, quae simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari.* Ad hanc causam revocatur pacis confirmatio, si periculum sit, ut inimicitiae iterum exoriantur, et pullulent.

(1) *Lege* Congruentius 4. *Cod. de patria potestate.*

(2) *De Verbis Domini cap.* 158.

5. Quinta est viduitas oratricis cum multis filiis, et ad eos alendos impotentia, quos alere intendit orator; in hoc autem casu dispensatio conceditur sub hac conditione: *postquam orator idonee caverit, se dictis filiis alimenta praestiturum*. Haec causa non solet admitti, nisi in gradibus remotioribus.

6. Sexta est aetas, quando oratrix annum vigesimum quartum, et ultra suae aetatis agens, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec causa admittitur solum pro innuptis, ne cum periculo animae innuptae remaneant, non vero pro viduis, de quibus lex non curat (1). Si una sola dies deficeret, gratia esset subreptitia, nec posset Delegatus dispensationem exequi, quia arbitrium nullum Delegato conceditur in iis, quae a lege, vel legislatore sunt determinata.

(1) *Authent.* Cui relictum *C. de indicta viduitate.*

7. Septima est periculum perversionis, quod obtinet in iis locis, in quibus Catholici permixti vivunt cum haereticis; cum enim difficile admodum sit ibi internoscere eos, qui catholicam religionem profitentur, ne contingat oratoribus aliquo impedimento ligatis cum haereticis

matrimonium contrahere, ipsis permittitur, ut inter se matrimonialiter copulentur.

8. Octava est excellentia meritorum; aequum enim est, ut ii, qui de Ecclesia benemeriti sunt pro fide catholica tuenda, vel pro ejusdem Ecclesiae juribus defendendis, ejus benignitatem experiantur.

9. Nona est causa in genere, nempe *ex certis rationabilibus causis animum eorum moventibus*, quae licet non exprimantur, numquam tamen Pontifex sine iis dispensat; Major enim compositio, et gravis mulcta, quae imponitur, impendenda in usus pios, puta pro redemptione captivorum, pro restauratione Ecclesiarum etc. loco causae, quae exponi debuerat, esse potest (1). Sicut enim Pontifex commutare valet votum in aliquam eleemosynam; ita et vinculum impedimenti. Quum maxime conferat ad publicum Ecclesiae Catholicae bonum fidei propagatio, redemptio captivorum ab Infidelium manibus etc. Hinc consequitur Delegatum non debere verificare causas generaliter expositas, quia iis, utpote sibi non expositis, moveri non potuit Pontifex. Nec refert, quod in literis mandetur Delegato, ut *diligenter de narratis se informet*; quia haec verba referuntur ad impedimentum allegatum, num ita se habeat, pro ut expositum est, ad nobilitatem gradus, et alia, si quae in supplicatione expressa (2).

(1) *Benedictus XIV. instit.* 87. *n.* 26.

(2) *Sacra Congr.* 2. *septemb.* 1699. *in Patavina.*

Rident, inquies, haeretici solutionem pecuniae, licet in usus pios impendendae pro dispensationibus obtinendis; unde Tridentinum duobus in locis (1) praecepit, ut hujusmodi dispensationes gratis concederentur.

(1) *Sess.* 24. *cap.* 5. *et sess.* 25. *cap.* 18.

℟. Rident quoque haeretici eleemosynam pro Missae Sacrificio; numquid propterea dixeris eam esse improbandam? Quod pertinet ad Tridentinum id unum dico Tridentinum noluisse ullo in casu Summi Pontificis auctoritatem coarctare, ut patet ex ejus verbis (1): *Postremo sancta Synodus omnia, et singula, sub quibuscumque clausulis, et verbis, quae de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tam sub fel. rec. Paulo III., ac Julio III., quam sub Beatissimo Pio IV. Pontificibus Maximis, in hoc Sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicae et sit, et esse intelligatur* Unde potuerunt Summi Pontifices ob justas, et graves causas ad bonum publicum pertinentes, quales esse possunt redemptio captivorum, fidei propagatio etc. a Tridentini decretis recedere. Sed in hac re vide Cardinalem Pallavicinum solutionem pecuniae pro dispensationibus vindicantem (2).

(1) *Sess.* 25. *cap.* 21.

(2) *L. 23. c. 8. n. 21. historiae Concilii Tridentini.*

10. Decima est conservatio bonorum in eadem familia; ex conservatione enim bonorum in familiis Respublica abundat viris potentibus, qui maxime conferre possunt ad Reipublicae tranquillitatem, et ob hanc causam probantur in familiis Majoratus.

11. Undecima est conservatio illustris familiae. Haec causa affinis est praecedenti; nam, ut advertit Ulpianus (1), valde expedit Reipublicae, ut illustres familiae conserventur.

(1) *Lege 1. de ventre in possess. mittendo.*

12. Duodecima est evitatio scandalorum; et haec causa maxime locum habet in matrimoniis jam contractis; quia vix, ac ne vix quidem fieri potest, ut putati conjuges separentur absque scandalorum periculo, et perturbationis rerum. Idem dicendum, si ligati publicis impedimentis ex copula prolem habuerint, vel cum suspicione copulae conversati sint, ita ut puella diffamata neminem alium invenire possit, cui nubat.

CAPUT V.

De commissione, et executione dispensationum matrimonialium pro foro externo.

SUMMARIA

1. *Ad quos pro foro externo dirigantur literae dispensationum. num. 1. 2. 3.*
4. *Literas dispensationis ad Vicarium Generalem directas exequi non potest Episcopus, nec e contra; successores tamen Episcopi, vel Vicarii eas exequi poterunt, si Pontifex in commissione solam dignitatem, et officium expresserit.*
5. *Delegatus invalide dispensat ante praesentationem literarum sibi factam, earumque recognitionem, non tamen eas tenetur exhibere in cancellaria Episcopali.*
6. *Quid praestare debeat Executor literarum.*

1. Dispensationum matrimonialium commissiones, seu literae, si extra Curiam fiant, dirigi solent ad oratorum Ordinarios, vel ad eorum Vicarios generales, et, si oratores sint ex diversis Dioecesibus, diriguntur ad Ordinarium, vel Vicarium generalem oratricis. Et ita ex praxi (1). Ordinarii nomine ex usu Romanae Curiae venit Ordinarius originis, non domicilii; si autem oratores velint dispensationem committi Ordinario domicilii, id erit in supplicatione

exprimendum; alioquin nulla erit dispensatio, quia Pontifex ad Ordinarium originis Rescriptum dirigere intendit, nisi aliud expresse declaraverit (2).

(1) *Corradus in praxi dispens. Apost. lib. 7. cap. 5. n. 24. et 26.*

(2) *Dejustis lib. 1. cap. 4. n. 68.*

2. Praedictae literae diriguntur pariter ad eos Praelatos inferiores, qui jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, et nullius sunt Dioecesis (1), non tamen eorum Vicariis generalibus ex decreto Sacrae Congregationis relato a Corrado (2), qui asserit solum Vicarium generalem Abbatis Montis Cassinensis habere hoc privilegium ex indulto Sixti V. Verum nostris temporibus usu, et praxi receptum est, ut memoratae literae ad Vicarios generales dirigantur.

(1) *Ex Decr. S. Congr. 23. decembris 1623.*

(2) *Lib. 7. cap. 4. n. 57.*

3. Vicariis Capitularibus, Sede vacante, non demandantur literae dispensationis, sed viciniori Episcopo; nec istis fas est *exequi literas Apostolicas Episcopo, seu ejus officiali directas, ac proinde irrita esse matrimonia in vim dictarum dispensationum contracta* (1). Si tamen recurratur ad Pontificem, eique exponatur causa, ob quam aequum sit literas dispensationis mandari executioni a Vicario Capitulari, solet concedi, sed pro ea vice tantum.

(1) *S. Congreg. 24. maji 1621.*

4. Literas dispensationis ad Vicarium generalem directas exequi non potest Episcopus, nec e contra; quia facultas haec sive Episcopo, sive Vicario competit jure delegato, non ordinario; in causis autem delegatis Tribunal Vicarii est diversum a Tribunali Episcopi. Quando Pontifex in commissione non exprimit nomen Episcopi, vel Vicarii, sed solum dignitatem, et officium puta *venerabili fratri nostro Archiepiscopo Taurinensi, vel dilecto filio nostro Vicario Archiepiscopi Taurinensis committimus*, tunc hanc commissionem exequi poterunt successores in officio; aliter dicendum, quando nomen proprium exprimit; unde si Executor eam exequi non valet, quia mortuus, vel longe abest, erit petenda nova commissio; quae de stylo Curiae vocatur *mutatio Judicis.*

5. Quamvis Delegatus sciat ab oratoribus, obtentas esse literas dispensationis, si iis sibi non praesentatis, et recognitis dispenset, invalida erit dispensatio (1). Hinc Tridentinum decernit, dispensationes etiam in forma gratiosa carere effectu, nisi prius ab Ordinario cognoscantur (2). Si tamen Executor literarum non fuerit Ordinarius, poterit procedere ad dispensationem absque illarum exhibitione in Cancellaria Episcopali (3); quia iste Papam delegantem repraesentat, et non suam, sed Apostolicam, quae ubique obtinet, exercet jurisdictionem (4).

(1) *Cap. 12. de appellat. in fine,*

cap. 14. *de Rescript.*, *S. Congreg.* 12. *junii* 1606.

(2) *Sess.* 22. *cap.* 5.

(3) *S. Congreg. in Turritana* 15. *novembris* 1704.

(4) *Cap.* Sane 11. *de Officio Delegati.*

6. Executor in primis debet diligenter inquirere, num literae sint conformes ſtylo Curiae, habeantque solitas clausulas; alioquin redduntur de dolo, et fraude suspectae (1); tum inquiret in causae veritatem. Etenim causae verificatio necessario facienda est; secus invalida erit dispensatio (2). Verificatio autem haec, utpote relicta conscientiae Executoris, non est judicialiter facienda, nisi fortasse adesset contradictor, qui citandus erit, atque acta in scripturam redigenda essent. Hanc verificationem causae potest Executor aliis subdelegare, non tamen ipsam dispensationem; quae videtur esse nudum ministerium, et proinde subdelegationi minime subjectum (3). Adde, quod in hisce dispensationibus, cum solum committantur Episcopis, eorumque Officialibus, videtur electa industria personae; porro, quando eligitur industria personae, Delegatus etiam a Principe subdelegare non potest (4). Aliter sentit Rigantius ad Regulam 48. n. 16., et sequentibus. Si in supplicatione causa nulla in specie fuerit apposita, ad hujus verificationem non tenebitur Executor (cap. praeced. n. 9.)

(1) *Cap.* 2. *de Rescript.*

(2) *Ex Constit. Benedicti XIV.* Ad Apost. servitutis.

(3) *Cap. fin.* §. Ceterum *de Officio Delegati.*

(4) *Cap. fin. de Officio Delegati, cap.* Is, cui 12. *eod. tit. in* 6.

Executor nihil prorsus (ideoque nec esculenta, nec poculenta brevi consumenda) accipere potest etiam sponte oblatum *pro mercede laboris*: puta ratione sigilli, papyri, examinis testium etc. *Notariis vero pro examine testium quartam partem auri, seu ducati licebit accipere* (1).

(1) *S. Congreg.* 3. *augusti* 1572.

Quamvis in literis dispensationum praecipiatur matrimonium contrahi servata forma Tridentini; hoc tamen non prohibet, quominus, si justa causa adsit, Ordinarius in denunciationibus possit dispensare.

Antequam Executor dispensationem exequatur, absolvere debet oratores a censuris, quae absolutio, cum fiat tantum *ad effectum* obtinendae dispensationis, est ad reincidentiam; unde, si qua censura innodati sunt, in eandem reincidunt, secuta dispensatione.

Demum si cognoverit, preces veritati niti, aliudque nihil obstare, ad dispensationem deveniet, cujus authenticum oratoribus tradet dispensationis transumtum, ut inde matrimonium contrahant: dixi *aliudque nihil obstet*, quia si comperiat oratores laborare alio impedimento, vel ex eo matrimonio damnum aliis in-

ferendum sit, vel gravia inde scandala oritura pertimeantur: in primo casu iterum recurrendum ad Pontificem omnia impedimenta narrando eo modo, quo diximus cap. 3. n. 8.; in aliis vero a dispensatione supersedendum (1). Cum in hisce casibus, licet nullum sit inter partes impedimentum, matrimonium ne permittere quidem possit Episcopus (2).

(1) *Cap.* Nihil 2. *de praescript.*

(2) *Cap.* Super eo 3. *de cognat. spirit.*

ARTICULUS UNICUS

De executione dispensationum in forma pauperum.

SUMMARIA

1. *Exponuntur narranda ad obtinendam dispensationem in forma pauperum a numero 1. usque ad 6.*
6. *Oratores censentur pauperes, licet spem habeant pinguis hereditatis.*
7. *Oratores non reputantur pauperes, nisi in casu singulari, si parentes divites habeant.*

1. Pro dispensatione in forma pauperum obtinenda haec sunt necessaria, itaut si unum deficiat, ea non concedatur. 1.° Debet inter oratores intervenisse copula, vel tam familiaris conversatio, ut eos de copula suspectos reddat; itaut scandala timeantur, nisi inter eos matrimonium sequatur.

2. Narrandum est 2.°, utrum copula habita sit cum, an sine scientia impedimenti, utrum cum, an sine fraude, sine intentione scilicet facilius obtinendi dispensationem, utrum scientia, vel fraus se teneat ex parte utriusque, an unius tantum.

3. Debent 3.° esse vere *pauperes*, itaut ex bonorum suorum fructibus ultra suam sustentationem nihil habeant, quo solvere possint taxam; tum etiam debent esse vere *miserabiles*, hoc est, ut ex *proprio labore, et industria* viventes ultra suam sustentationem nihil superflui habeant pro taxa solvenda. Uno verbo nec ex bonorum fructibus, nec ex labore, et industria, nec ex utrisque simul ultra suam sustentationem aliquid habere debent, quo taxam solvere queant; et quia clausula haec: *dummodo ipsi sint pauperes, et miserabiles, et ex labore, et industria tantum vivant*: concipitur in numero plurali, qui in uno tantum non salvatur (1), debent esse ambo pauperes, et quidem non solum tempore, quo petebatur dispensatio, sed etiam tempore, quo executioni mandatur.

(1) *L.* 12. *ff. de test.*

4. Paupertas haec, et miserabilitas probari debet Curiae Romanae attestatione proprii Parochi oratorum, et depositione duorum testium coram Ordinario, vel Vicario generali.

5. Si oratores aliqua bona habeant modici valoris, attestatio mitti debet ab Ordinario Romam, quod ora-

tores non conjunctim, sed divisim possident bona talis redditus, et in reliquis ex labore, et industria tantum vivant; et in hoc casu solent oratores taxari in solutione summae, quae in uno anno percipi solet ex bonis alterius ex oratoribus. Si ex bonis saltem per duos menses secluso manuum suarum labore vivere non possint, nulla solet imponi taxa.

6. Ex his consequitur Oratores pauperes esse, etsi spem habeant pinguis hereditatis; quia haec spes eos non liberat praesenti paupertate; vel etiamsi habeant parentes, qui possideant multa bona, si deducto aere alieno supersit solum, quod est ad eorum sustentationem necessarium.

Sed quid, si oratores parentes divites habeant?

7. ℟. in hoc casu oratores haberi non posse tamquam pauperes; quia cum pater (1), et in hujus, et aliorum ascendentium ex linea paterna defectu mater (2) teneatur alimenta praestare filiis, tenentur propterea ad hasce expensas, quae nomine alimentorum quoque veniunt; eo quod alimenta non consistant solum in cibo, et potu, verum etiam in iis, quae necessaria sunt pro conditione status; unde et filius habebitur pro divite, utpote qui actionem habet ad acquirendas divitias, et ad exigendum (3). In casu tamen particulari, si parentes e. g. haberent justam causam exheredandi filios, nullum haberent filii jus cogendi parentes ad hasce expensas faciendas, proindeque tamquam pauperes reputandi essent, et in forma pauperum poterunt dispensationem obtinere.

(1) *Leg.* 1. *cum sequentibus C. de alendis filiis.*

(2) *Leg.* Si quis 5. §. 3. *et* 4. *ff. de agnosc. et alend. lib.*

(3) *Leg.* Qui potest facere 174. *de reg. juris.*

8. Executor igitur literarum in forma pauperum praesentatis sibi literis 1.° oratores, si simul habitent, a se invicem separare debebit. 2.° se informare, an causa Pontifici narrata in judicium deducta fuerit; quia antequam oratores judicato paruerint, non poterit dispensare ex his Rescripti verbis: *Et quatenus contra ipsos causa quoquo modo in judicium deducta fuerit, parito judicato.* 3.°. Inquirere in veritatem precum, quas si veras esse compererit, eis imponet poenitentiam publicam, cujus praetermissio nullam dispensationem facit; quia haec verba Rescripti: *qua poenitentia publica peracta* vi ablativi absoluti conditionem important (1). Consuetudine autem introductum est, teste Corrado (2), ut oratores die festa, dum in parochiali Ecclesia Missa solemnis celebratur, maneant ante fores portae principalis ejusdem Ecclesiae genibus flexis, et detecto capite cum una candela accensa in eorum manibus. Et quia Pontifex per hanc poenitentiam publicam intendit, ut alii deterreantur *a similibus commit-*

tendis, si Parochus, ut rem gratam faciat oratoribus, curaret, ut summo mane, antequam populus concurrat ad Ecclesiam, poenitentia haec adimpleretur coram quinque, vel sex consanguineis, vel amicis studiose vocatis, haec, utpote contra mentem Pontificis non proderit, quia non facere, et inutiliter facere paria sunt (3). Hanc autem poenitentiam impositam tam civilibus, quam vilibus personis nec redimi posse pecunia, nec per alium persolvi docet idem Corradus (4). Quod quidem optima ratione servatur, quia reus non timet eam poenam, quam scit, se pecunia posse redimere, vel per alium implere (5). Imponet 4.° operam personalem ad servitium alicujus Ecclesiae per tres saltem menses, qua poenitentia, et opera personali expleta, non ante, quamvis idoneam cautionem de ea adimplenda post contractum matrimonium dederint, si nulla sint scandala ex dispensatione oritura, (nam super his Delegati conscientia oneratur per haec verba: *nec scandalum sit ex ea oriturum, super quo conscientiam tuam oneramus*) ad dispensationem deveniet, et quidem gratis; alioquin excommunicationem Papae reservatam incurret, et dispensatio *nullius erit roboris, vel momenti* ex verbis Rescripti. Illud autem erit hoc loco observandum Delegatum non posse poenitentiam publicam, et operam personalem in aliud diversum opus commutare, quia non potest Delegatus, cui est praescripta certa forma, se ultra illam extendere (6).

(1) *Arg. legis* 109. *ff. de condit., et demonstr.*

(2) *Lib.* 8. *cap.* 6. *n.* 7.

(3) *Lege* Quoties 6. *ff. Qui satisdare coguntur.*

(4) *Cit. loco n.* 15. 16.

(5) *Can.* Pauper 72. *C.* 11. *q.* 3.

(6) *Cap.* Cum dilecta 12. *de Rescript.*

CAPUT VI.

De commissione, et executione dispensationum matrimonialium pro foro interno.

ARTICULUS I.

Explicatio clausularum Rescripti exteriorum.

SUMMARIA.

1. *Explicatio clausulae* discreto viro.
2. *Explicatio clausulae* ex approbatis ab Ordinario.
3. *Literae uni confessario jam traditae ab altero possunt executioni mandari.*

1. Facile intelligemus, cui committantur, et a quo, et quomodo executioni mandandae dispensationes matrimoniales pro foro interno, si verba Rescripti explicemus. Porro Rescriptum exterius his verbis inscribitur: *Discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario per latorem poenitentem eligendo ad intro-*

scripta specialiter delegato : *Discreto viro confessario*, ex quo intelligimus literas dispensationis a Sacra Poenitentiaria ad solos confessarios dirigi. Olim literae exterius sic erant inscriptae: *Discreto viro Confessori Magistro in Theologia*, *vel decretorum Doctori etc.*; et nunc, ut ajunt aliqui, quandoque, sed raro sic etiam inscribuntur; hoc autem in casu Confessor debet esse in aliqua publica universitate ad Theologiae, vel juris Canonici lauream evectus, alioquin dispensatio nulla esset.

2. *Ex approbatis ab Ordinario*, et quidem illius loci, in quo dispensandum est. Si Rescriptum obtentum sit in favorem Religiosi, sufficit, ut Confessarius approbationem habeat a Superiore sui ordinis; si sit in favorem Monialis, satis non est, ut sit approbatus pro monialibus, sed ulterius requiritur, ut approbatus sit pro monasterio, in quo degit Monialis.

Poterunt ne literae a poenitente Confessario jam traditae ab eo repeti, ut alteri tradantur executioni mandandae.

3. ℟. Posse, etiamsi a primo Confessario jam fuerint apertae; et sic respondisse Sacram Congregationem tradit Corradus (1), caveat tamen poenitens, ne Confessarium suae libidini faventem quaerat.

(1) *Lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 72.

ARTICULUS II.

Explicatio clausularum Rescripti interiorum pro matrimonio contrahendo.

SUMMARIA.

1. *Exemplar dispensationis pro matrimonio contrahendo.*
2. *Explicatio verborum*: Ex parte latoris.
3. *Explicatio clausulae*: Quatenus si ita est.
4. *Confessarius absque examine invalide dispensat.*
5. *Explicatio clausulae*: Audita prius Sacramentali Confessione.
6. *Confessarius non potest dispensare, si poenitentem non potest absolvere.*
7. *Explicatio clausulae*: Sublata occasione peccandi.
8. *Explicatio clausulae*: Injuncta ei gravi poenitentia.
9. *Explicatio clausulae*: Votum praefatum etc.
10. *Explicatio clausulae*: Dummodo impedimentum occultum sit.
11. *Quomodo impedimentum occultum esse debeat, ut dispensatio executioni mandetur a n.* 11. *usque ad n.* 16.
16. *Explicatio clausulae*: Aliudque non obstet.
17. *Explicatio clausulae*: Ita quod hujusmodi absolutio etc.
18. *Explicatio clausulae*: Praesentibus laceratis.
19. *Poenitentiaria quandoque pro uno matrimonio duas literas separatas concedit.*

20. *Rescriptum pro conjunctis, sive affinibus prodest tum consanguineis, tum affinibus.*

1. Sic explicatis verbis, quibus Rescriptum exterius inscribitur, accedamus ad enucleandas interiores ejus clausulas. Porro Rescriptum his, aut similibus verbis, si de dispensatione ad contrahendum agatur, interius inscribitur.

Lucius miseratione divina Episcopus N. S R. E., Cardinalis N. discreto viro Confessori . . . . . Salutem in Domino. Ex parte latoris praesentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse de matrimonio contrahendo tractavit cum muliere, quam, et cujus matrem carnaliter cognovit. Cum autem, sicuti eadem petitio subjungebat, dicta carnalis cognitio cum praefata mulieris matre sit occulta; et nisi lator cum dicta muliere matrimonium contrahat, periculum immineat scandalorum; ideo ad dicta scandala evitanda, et pro suae conscientiae quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumque dispensari: nos discretioni tuae committimus, quatenus, si ita est, dictum latorem, audita prius ejus Sacramentali confessione, ac sublata occasione amplius peccandi cum dicta mulieris matre, ab incestu, et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiae consueta; injuncta ei pro tam enormi libidinis excessu gravi poenitentia salutari, et aliis, quae de jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum ex praemissis proveniens occultum sit, et aliud Canonicum non obstet, cum eodem latore, quod praemissis non obstantibus matrimonium cum dicta muliere, et uterque inter se publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, et in eo postmodum remanere licite valeat, misericorditer dispenses, prolem suscipiendam exinde legitimam pronuntiando in foro conscientiae, et in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, et non aliter, neque ullo alio modo; ita quod hujusmodi absolutio, et dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur, nullis super his testibus adhibitis, aut literis datis, seu processibus confectis, sed praesentibus laceratis, quas sub poena excommunicationis latae sententiae lacerare tenearis, neque eas latori restituas: quod si restitueris, nihil ei praesentes literae suffragentur.

2. Antequam clausulas explicemus, adnotamus verba illa: *Ex parte latoris* non significare nullum esse Rescriptum, si non fuerit ab eo obtentum, cui concedenda sit dispensatio, sed solum id, quod saepius fieri solet: sic omnibus fatentibus bene se gerunt Parochi, vel Confessarii, qui pro insciis oratoribus obtinent dispensationem, eamque executioni mandant.

3. Prima clausula sic se habet: *Quatenus si ita est*: quare Confessarius investigare diligenter debet, an factum verum sit, et cum omnibus suis circumstantiis expositum, an subsistat causa finalis proposita. Exa-

men hoc fieri debet intra Sacramentum Poenitentiae; hinc fit, ut nulli requirantur testes, sed solum petenda cognitio ab ipso poenitente, quem monere debet, ut sincere veritatem manifestet; non autem ab eo exigendum erit juramentum de veritate pandenda; cum nullibi hoc praecipiatur. Si tamen Confessarius aliunde, quam ex confessione cognosceret preces non niti veritate, vel aliquod necessarium omissum esse, non dispensabit; quia valor dispensationis ex veritate precum pendet.

Sed quid, si Confessarius sine examine dispensationem fuerit executus?

4. ℟. invalide se gessisse, licet vera sint narrata; quia Benedictus XIV. declaravit (1) expressionem causarum, earumque verificationem ad validitatem dispensationis pertinere. Loquitur autem Summus Pontifex non solum de dispensationibus Datariae, sed et Poenitentiariae, quia confirmat Constitutionem Pii V., in qua sermo etiam habetur de dispensationibus Poenitentiariae.

(1) *Constit.* Ad Apost. servit. *die* 10. *martii* 1742. *Adde Trid. ses.* 22. *cap.* 5. *de Reform.*

5. Secunda: *Audita prius Sacramentali Confessione*: haec clausula conditionis rationem habet (1); unde, hac omissa, nulla esset dispensatio, quod patet etiam ex hac alia clausula in fine Rescripti adjecta: *In foro conscientiae, et in Sacramentali Confessione tantum, et non aliter, nec alio modo.*

( ) *Arg. l.* 109. *ff. de condit.*; *et demonst.*

Sed poterit ne Confessarius exequi dispensationem, si poenitenti absolutionem impertiri non possit?

6. ℟. non posse; cum enim iste poenitens inabsolutus, quamvis confessus, non possit contrahere matrimonium, mens Pontificis esse videtur, ut Confessarius non procedat ad dispensationem, nisi poenitens ad absolutionem se disposuerit; ut quid enim Pontifex exigeret Confessionem Sacramentalem, tamquam necessariam ad dispensationem; tum etiam ut tolleretur a Confessario occasio proxima, si poenitenti indisposito concedenda esset dispensatio? Si tamen confessio esset sacrilega, valida videtur dispensatio, quia nulla est clausula, qua constet, inde irritam esse dispensationem.

7. Tertia: *Sublata occasione peccandi*, quae quidem, si voluntaria fuerit, erit omnino tollenda; si autem necessaria, de proxima facienda remota; alioquin juxta plures dispensatio corruet, cum haec clausula conditionis rationem habeat (1). At melius sentiunt, qui dicunt, verba haec addita esse, ut moneatur Confessarius, quid praestandum ab eo sit, non vero ut nulla sit dispensatio, si occasionem non sustulerit.

(1) *Arg. L.* 109. *ff. de condit.*, *et demonstr.*

8. Quarta: *Injuncta ei gravi poenitentia salutari, et aliis, quae de jure fuerint injungenda.* Si specifica

aliqua poenitentia imponenda praescribatur, ea non imposita, nulla est dispensatio ex stylo Poenitentiariae, qui facit jus (1). Si vero arbitrio Confessarii poenitentia imponenda relinquatur, eam praescribet, quae, omnibus pensatis circumstantiis, nempe qualitate, et gravitate criminis, poenitentis statu, sexu, aetate, congrua videbitur. Caveat tamen, ne eam imponat, ex qua poenitentis delictum cognoscatur. Si poenitentia quolibet mense imponenda praecipiatur, ad plures menses erit injungenda, puta ad semestrem; at indefinite praescripta confessio e. g. quolibet mense, non erit juxta veriorem sententiam in perpetuum imponenda; cum onera perpetua non ita facile a Poenitentiaria imponantur. Verba haec *Et aliis, quae de jure fuerint injungenda*, ostendunt poenitentem obligandum esse ad id, ad quod aliunde tenetur, puta ad restitutionem famae, vel bonorum etc.

(1) *Syrus penes Benedictum XIV. instit. 87. n. 36.*

9. Si Oratori castitatis voto obstricto dispensatio indulgeatur ad matrimonium contrahendum, haec adjicitur clausula: *votum praefatum ad hoc tantum, ut matrimonium legitime contrahere . . . valeat, in sacramentalem confessionem quolibet mense, et in alia poenitentiae opera perpetua per te injungenda dispensando commutes.*

Ex his verbis consequitur 1.° monendum esse oratorem, votum relaxari ad effectum tantum contrahendi matrimonii, unde, si matrimonio contracto peccet contra castitatem, peccabit quoque contra votum.

Consequitur 2.°, votum esse commutandum in menstruam confessionem, tum etiam addenda alia poenitentiae opera, quae, quia numero plurali exprimuntur, duo saltem esse debent, et ex his aliqua debent esse, quae quotidie facere teneatur poenitens in memoriam obligationis voti.

Consequitur 3.° soluto per mortem matrimonio votum reviviscere; ideoque non posse aliud matrimonium contrahere absque nova dispensatione, sed interea cessare poenitentias impositas. Aliud dicendum, si obtenta fuerit dispensatio a voto religionis; cum enim haec dispensatio sit perpetua, perpetua pariter esse debebunt poenitentiae opera, ut respondeant voto perpetuo.

10. Quinta: *Dummodo impedimentum occultum sit*. Porro occultum adhuc censetur, licet res nota sit duobus, vel tribus alicujus communitatis, vel loci, vel capituli; vel in oppido quinque, aut sex, et in civitate septem, vel octo personis; si tamen prudenter timeatur, ut pauci hi, qui sciunt, utpote garruli, sint aliis impedimentum evulgaturi, abstinendum erit a dispensatione. Ita Benedictus XIV. (1)

(1) *Sua instit. 87. §. 45.*

Sed quid, si in Rescripto Poenitentiariae habeatur haec clausula:

Dummodo impedimentum omnino occultum sit, quae in impedimento criminis adhiberi solet, praesertim quando ambo oratores in necem conjugis conspiraverint?

11. ℟. in hoc casu, si res nota sit duobus praeter contrahentes, non posse executioni mandari dispensationem. Ita ex Fagnano Benedictus XIV. (1)

(1) *Loco citato* §. 44.

Quid, si impedimentum in loco, in quo contrahendum est matrimonium, sit occultum, alibi vero sit publicum?

12. ℟. Benedictum XIV. (1) asserere, abstinendum esse ab executione dispensationis, et iterum recurrendum ad sacram Poenitentiariam, nisi in supplici libello jam fuerit expositum crimen esse alibi publicum.

(1) *Loco citato* §. 46.

Quid, si impedimentum olim publicum, nunc occultum sit?

13. Respondet Benedictus XIV. (1), posse procedi ad executionem dispensationis, modo tamen decennium effluxerit, cum temporis diuturnitas omnia oblivione involvat.

(1) *Loco citato* §. 47.

Quid, si impedimentum sit publicum in ratione criminis, non vero in ratione impedimenti?

14. Respondet Benedictus XIV. (1), non posse ad executionem dispensationis deveniri, quia Poenitentiaria numquam hoc impedimentum occultum judicavit.

(1) *Loco citato* §. 48.

Quid, si delictum fuerit deductum ad forum contentiosum, sed reus se purgaverit falsis testibus, aut judicem corruperit?

15. Respondet Benedictus XIV. (1), posse obtineri dispensationem a Poenitentiaria, quia licet supersit impedimentum, infamia tamen deletur, manetque propterea occultum impedimentum. Aliud dicendum, si orator in libertatem redactus sit cum cautione de se repraesentando.

(1) *Loco citato* §. 49.

16. Sexta: *Aliudque non obstet*: quae clausula innuit, non esse deveniendum ad dispensationem, si oratores alio impedimento in supplici libello non expresso ligentur. Quare iterum confugiendum ad Poenitentiariam, eique manifestandum utrumque impedimentum; sed si impedimentum detectum publicum sit, erit etiam recurrendum ad Datariam; nulla habita occulti impedimenti mentione.

17. Missis clausulis 7.ª, 8.ª, 9.ª, quae nullam habent difficultatem, accedimus ad 10.ªᵐ, quae sic se habet: *Ita quod hujusmodi absolutio, et dispensatio in foro judiciali nullatenus suffragentur*. Quare si impedimentum ex occulto fiat publicum, Ordinarius conjuges separare debebit, usquedum pro foro externo obtenta dispensatione iterum matrimonium contraxerint. Hac tamen separatione non obstante, si debitum sibi redderent sine scandalo, non

peccarent, utpote dispensati valide a Poenitentiaria eo tempore, quo impedimentum erat occultum.

Si Episcopus perceperit, quosdam irretitos impedimento matrimonium contraxisse, eosque velit separare, et in foro externo plectere, si moneatur secreto a Confessario de obtenta dispensatione, ejus testimonio acquiescere debet, nec ullam afferre dispensatis molestiam; secus recurritur ad Cardinalem Majorem Poenitentiarium, qui eidem Episcopo injunget, ut ab omni molestia, judicioque abstineat. Ita Benedictus XIV. (1)

(1) *Loco citato* §. 51.

18. Undecima: *Praesentibus sub poena excommunicationis latae sententiae laceratis*: eo autem fine Poenitentiaria hanc clausulam apponit, tum ut poenitentis delictum nunquam cognoscatur, tum ut poenitenti litterae nullatenus suffragentur in foro externo: si Confessarius post dispensationis executionem litteras non laceraret, sed poenitenti traderet, incurreret quidem excommunicationem, dispensatio vero non corrueret; cum nihil sit in litteris, unde hoc eruatur. Non prohibetur tamen Confessarius harum litterarum copiam transumere pro sua, et aliorum instructione, cum haec poenitenti in foro externo inservire nullo modo possit.

19. Si Poenitentiaria a denuntiationibus consuetis dispensaret cum iis, qui impudice viventes pro conjugibus vulgo reputantur, clausulam supradictam omittit, ut parochus, qui horum matrimonio assistit, possit requisitus dicti matrimonii fidem facere, atque se tueri iisdem litteris apud se retentis, si forte eum punire vellet Episcopus propter suam matrimonio assistentiam absque denuntiationibus. Si autem praedicti reputati conjuges aliquo laborarent occulto dirimente impedimento, sacra Poenitentiaria duas litteras separatas concedit, in quarum prima dispensat ab impedimento, additque *laceratis*: in secunda facultatem facit parocho assistendi illorum matrimonio, sed non jubet litteras lacerari, ipsi tamen mandat, ut notet idem matrimonium in libro secreto matrimoniorum conscientiae, et sic consulitur tum parocho, tum conjugibus, tum proli.

20. Si qui petierint a Poenitentiaria dispensationem a consanguinitate, in 4. gradu, obtinuerintque Rescriptum, in quo fiat facultas Confessario dispensandi Oratores *conjunctos*, *sive affines* in quarto gradu, poterit Confessarius procedere ad dispensationem, quum ei concedatur potestas dispensandi tum a consanguinitate, tum ab affinitate; quia secundum Romanae Curiae stylum de consanguineis dicitur: *qui conjuncti sunt* 2., 3., et 4. *consanguinitatis gradu*; de affinibus vero: *qui* 2., 3., *et* 4. *affinitatis gradu se attinent*. Ita respondit Poenitentiaria. Etenim consanguinei proprie dicuntur, qui sanguini juncti sunt (1), affines vero

non dicuntur conjuncti, sed se attinent, quia affinitas est attinentia personarum ex copula proveniens(2). Hinc in Dataria usu quoque introductum est, cum ignoratur, utrum impedimentum, super quo petitur dispensatio, sit consanguinitas, an affinitas, ne litterarum expeditio retardetur, ut possit in illis utraque, alternative tamen exprimi his verbis: *sed quia 3. et 4. a communi stipite provenientibus consanguinitatis, vel affinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, seu se attinent.* Ita Corradus (3).

(1) *L. 1. §. penult. ff. de suis, et legitr hered.*

(2) *Cap. 5. de consang. et affin.*

(3) *Lib. 7. cap. 6. n. 73.*

ARTICULUS III.

De Clausulis Rescripti Interioribus ad remanendum in matrimonio contracto.

SUMMARIA.

1. *Explicatio clausulae*: Dummodo separatio inter latorem, et dictam mulierem fieri non possit absque scandalo.
2. *Explicatio clausulae*: Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata.
3. *Explicatio Clausulae*: Matrimonium inter se de novo contrahere.
4. *Quibus verbis utendum in dispensatione concedenda.*

Hactenus de clausulis matrimonii contrahendi, nunc de clausulis Rescripti ad remanendum in contracto matrimonio. Porro clausulae, quae difficultatem movent, quaeque diversae sunt a clausulis jam explicatis, hae sunt.

1. prima: *Dummodo . . . separatio inter latorem, et dictam mulierem fieri non possit absque scandalo; et ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum sit.* Haec clausula torquere Confessarium non debet, quia vix contingit, ut sine scandalo possint putati conjuges dissociari, vel sine incontinentiae periculo simul cohabitare. Ceterum Confessarius, vel alter, qui facultatem a Poenitentiaria exposcit matrimonium convalidandi, monere debebit utrumque contrahentem, si uterque impedimentum cognoscat, vel alterutrum, qui impedimenti conscius est, ut a copula abstineat, donec dispensatio obtenta sit, et executioni mandata.

2. Secunda: *Ut dicta muliere* (vel viro, si mulier dispensationem petat) *de nullitate prioris consensus certiorata.* Clausula haec conditionis rationem habet vigore ablativi absoluti (1); ideoque invalida erit dispensatio, si ignorans pars certior non fiat de nullitate matrimonii. Varii autem sunt a Theologis excogitati modi ad partem ignaram certiorandam, de quibus alibi. Hic adnoto tantum modum probabiliorem, et tutiorem revalidandi matrimonii hunc esse, ut pars impedimenti conscia alteri dicat, se invalide consensisse; et propterea

de Confessarii consilio ad sedandos conscientiae stimulos necessarium esse novum consensum, quem libenter hic et nunc se praestare affirmet; si altera pars eandem patefaciat voluntatem, id satis erit ad matrimonii convalidationem.

Verum si pars impedimenti conscia prudenter judicet, fore ut pars ignara certior facta de nullitate matrimonii, nuptiarum jam pertaesa novum consensum dare recuset, et a nuptiis recedere velit, ad Majorem Poenitentiarium iterum recurrendum, ut commodiorem modum pro litterarum executione suggerere dignetur, vel dispenset ab onere certiorandi partem, petita a Pontifice facultate, quam ei concedere poterit. Id jam praestitit Clemens XI. cum Pucuelibus, et Quartaronibus, ob hanc rem die 2. aprilis 1705. litteras Apostolicas promulgando, et ante Clementem XI. anno 1693. id praestitum fuisse narrat Rigantius (2); ideoque poterit etiam quilibet Pontifex cum peculiari persona id ipsum praestare. Enim vero consensus naturalis contrahentium ab initio praestitus validus erat, atque adhuc perseverat, utpote nunquam retractatus; non potuit autem, nec potest adhuc consensus naturalis unius uniri cum consensu alterius ad eos in matrimonio vinciendos propter impedimentum ab Ecclesia positum; si ergo Summus Pontifex impedimentum auferat, consensus unius conjungetur cum consensu alterius, validumque proinde fiet matrimonium, quod antea erat invalidum; non secus ac qui igni proximus calefieri non potest ob impedimentum, eo sublato, statim ignis vim persentit.

(1) *Arg.* 1. *legis* 109. *ff. de condit., et demonstrat.*

(2) *Ad Reg.* 49. *n.* 4.

Si Confessarius ab initio praevideat, non posse executioni mandari clausulam *certiorata parte* ob gravia scandala, et incommoda inde oritura, id in supplici libello exponat Poenitentiariae, ne cogatur iterum ad eandem recurrere pro obtinendis secundis litteris. Quod si periculum sit in mora, ut a Poenitentiaria expectari responsum nequeat, ad Episcopum confugiet, qui concurrentibus superius (*cap.* 1. *n.* 5.) recensitis conditionibus vel dispensabit, vel modum rei obeundae opportunum indicabit.

3. Tertia: *Matrimonium inter se de novo secrete . . . praemissis non obstantibus contrahere.* Vi hujus clausulae renovandus est quidem consensus, sed sine praesentia Parochi, et testium, imo et executoris litterarum Poenitentiariae, ut indicant illa verba: *inter se*, et declaravit sacra Poenitentiaria auctoritate Pii V.; ut docet Benedictus XIV. (1).

(1) *Loco citato* §. 63.

His omnibus serio, et accurate perpensis, et praestitis, Confessarius post datam absolutionem a peccatis, quamvis nulla sint in executione Rescripti ullo jure determinata verba, poterit tamen his, vel similibus verbis uti.

Pro matrimonio contrahendo: Et *insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento* (hic exprimatur impedimentum), *ut praefato impedimento non obstante matrimonium cum dicta muliere, publice servata forma Conc. Trid. contrahere, consummare, ac in eo remanere licite possis, et valeas. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Insuper eadem auctoritate prolem, quam ex matrimonio susceperis, legitimam fore nuntio, et declaro. In nomine Patris etc.*

Pro matrimonio contracto. *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento* (hic quoque impedimentum exprimatur) *ut eo non obstante matrimonium renovato consensu cum praefata conjuge* (si in Rescripto habeatur illa clausula: *certiorata parte*) *contrahere, consummare, et in eo remanere licite possis. In nomine Patris etc. Et pariter eadem auctoritate Apostolica prolem, si quam suscepisti, et susceperis, legitimam fore decerno, et declaro. In nomine Patris etc.*

Pro commutatione voti castitatis, vel religionis. *Insuper Auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata votum castitatis* (vel Religionis) *quod emisisti, ut matrimonium legitime contrahere, et in eo debitum conjugale reddere, et exigere licite possis, in opera pietatis, quae tibi praescripsi, dispensando commuto. In nomine Patris etc.*

COMMENTARIUM
DE ACTIONIBUS HUMANIS, ET DE CONSCIENTIA.

DISSERTATIO I.

DE ACTIONIBUS HUMANIS.

1. *Ordo rerum tractandarum.*

1. De actionibus humanis verba facturi dissertationem universam in quinque capita partiemur, quorum primum erit de actionum humanarum natura, et divisione. Secundum de voluntario, ejusdemque divisione. Tertium de involuntario, et causis ejusdem. Quartum de actionum humanarum libertate. Quintum de moralitate tum generatim, tum speciatim. Faxit Deus, ut labor hic, qualiscumque sit, totus cedat in sui honorem, et gloriam.

CAPUT I.

De natura, et divisione actionum humanarum.

SUMMARIA.

1. *Quid sit actio.*
2. *Actio alia est humana, alia hominis.*
3. *Actus visionis beatificae, actus, quo quis prosequitur felicitatem suam in communi etc., proprie humani sunt.*
4. *Cur actiones humanae definiantur illae, quae ex deliberata voluntate procedunt.*
5. *Objectio solvitur.*
6. *Actiones infantium, et puerorum usu rationis carentium humanae non sunt.*
7. *Cur actus humanus dicatur potius voluntarius, quam intellectualis.*
8. *Actiones humanae elicitae aliae sunt, aliae imperatae.*
9. *Enumerantur actus eliciti, qui tendunt in finem, et qui tendunt in media.*
10. *Actus eliciti non solum comprehendunt volitionem, sed et nolitionem.*
11. *Voluntas dominatur intellectui.*
12. *Dominatur pariter phantasiae, et appetitui sensitivo.*
13. *Dominatur demum externis sensibus, et membris corporis.*
14. *Referuntur principia actuum humanorum.*

1. Actio secundum genus ex D. Thoma (1) nihil aliud est, quam motus; unde Augustinus (2) *caritatem* vocat *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se, atque proximo propter Deum; cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, et proximo, et quolibet corpore non propter Deum.* Motus iste vel est solius

intellectus, et actio intellectus dicitur, vel intellectus simul, et voluntatis, et vocatur actio voluntatis: dixi intellectus simul, et voluntatis, quia ex trito axiomate *nihil volitum, quin praecognitum*, unde Augustinus (3) inquit: *Certe amari aliquid, nisi notum, non potest.*

(1) 1. *p. q.* 41. *a.* 1.

(2) *Lib.* 3. *de Doctrina Christiana cap.* 10.

(3) *Lib.* 10. *de Trinitate cap.* 1. *n.* 2.

2. Actio alia est humana, alia hominis: prima est, quae procedit ab homine agente, ut homo est, et prout a brutis distinguitur, et definiri potest motus in homine procedens ex cognitione finis, ut finis est; id enim proprium est hominis, ut se se moveat in finem, eumque sic cognitum complectatur. Movent se se quidem et bruta in finem, non tamen sub ratione finis, nec ordinem mediorum tendentium in finem perspiciunt, sed una objecti convenientis specie prorsus impelluntur, ut agantur potius, quam agant. Rem tradit D. Thomas (1), qui duplicem distinguit finis cognitionem perfectam unam, quae hominibus congruit, imperfectam alteram, quae proprie brutorum est, quaeque, ut ipse ait, *in sola finis apprehensione consistit sine hoc, quod cognoscatur ratio finis, et proportio actus ad finem.* Egregie quoque discrimen hoc hominem inter, et belluam exponit Cicero (2) inquiens: *Inter hominem, et belluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque praesens est, se accommodat, paullulum admodum sentiens praeteritum, aut futurum. Homo autem, quoniam rationis est particeps, consequentia cernit, principia, et caussas rerum videt, earumque progressus, et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et quasi rebus praesentibus adjungit, atque adnectit futuras: facile totius vitae cursum videt, ad eumque regendum praeparat res necessarias.* Actio autem hominis illa dicitur, quae ab homine procedit, non prout homo est, nempe sine rationis advertentia: tales sunt dormientium, et infantium actiones, vel etiam illae, quae a vigilantibus, et adultis peraguntur, sed sine mentis attentione. Exemplum harum actionum esse potest in eo, qui nec opinans fricat barbam, aut pedem movet. De hoc actionum genere nulla nobis quaestio erit, sed solum de primis dicturi sumus.

(1) 1. 2. *q.* 6. *a.* 2.

(2) *Lib.* 1. *de officiis cap.* 4.

3. Sic definitae actiones humanae complectuntur actum visionis beatificae: actum, quo quivis suam prosequitur beatitudinem in communi: actum ex parte solius intellectus, seu simplicem perceptionem: actum demum, quo quis assentitur vero evidenter cognito, ut vero; qui quidem actus, quamvis non procedant ex libero arbitrio, humani tamen dici

debent, utpote qui oriantur ab iis facultatibus, quibus homo distinguitur a ceteris animantibus, hoc est vel ab intellectu solo, vel ab intellectu simul, et voluntate tendente in aliquid non quidem libere, sed necessario.

4. Quoniam tamen actiones humanae considerantur a Theologia morali, prout legi dirigenti subjectae sunt, habentque rationem meriti, vel demeriti, hinc a Theologis una cum D. Thoma (1) definiuntur illae, *quae ex voluntate deliberata procedunt*, seu ex voluntatis consilio, et deliberatione.

(1) 1. 2. *q.* 1. *a.* 2.

5. Fortasse hic objicies, actus loquendi, et ridendi, atque etiam flendi omnem rationis deliberationem praevertentes proprios esse solius hominis, ut docuit Aristoteles (1), et tamen humanos dici non posse. At scias velim, ejusmodi actus, ut et cogitationes rationis deliberationem praevenientes dici quidem proprios hominis, quatenus humanae tantum naturae congruere possunt; minime vero esse proprios hominis quoad modum, et rationem agendi hominis propriam.

(1) *De locutione, et Risu lib.* 4., *de historia animalium cap.* 9., *et de fletu lib.* 8. *cap.* 1.

6. Ex dictis colligitur 1.° ad actus humani naturam non pertinere actiones infantium, et puerorum, quibus rationis usus nondum obvenit; non enim preces, aut suasiones, quibus interdum pueros, et amentes excipimus, eo spectant, ut unum prae alio eligant, sed ut quod eis proponimus, appareat illis sine ullo malo, aut incommodo, sicque necessario in illud ferantur.

7. Colligitur 2.°, cur actus humanus dicatur potius voluntarius, quam intellectualis, etsi ad eum constituendum intellectus simul, ac voluntas concurrant, nimirum quia voluntas dominatur intellectui, eumdemque movet ad hoc, vel illud marte suo considerandum.

8. Actus humanus dividitur in elicitum, et imperatum. Is elicitus est, quem voluntas immediate per se producit sine adminiculo alterius facultatis: imperatus, quem ex voluntatis imperio exercet facultas alia. Imperati actus alii sunt interiores, exteriores alii, prout interior, vel exterior facultas a voluntate exercetur. Facultates interiores sunt intellectus, et phantasia, exteriores organa sensuum, et corporis membra.

9. Eliciti actus alii spectant in finem, seu in prosecutionem boni, quod est finis voluntatis, ut amor, desiderium, gaudium, et ob id alii tendunt ad fugam mali, quod a fine obtinendo avertere nos potest, ut odium, timor, tristitia: alii tendunt in media, quibus finis obtineri potest. Desiderium respicit bonum absens, gaudium praesens, amor vero ab utroque praescindit; nihil enim refert quoad amorem, praesens ne bonum sit, an absens; at desiderium non tendit in bonum, nisi absens, neque gaudium, nisi in praesens. Item timor versatur circa malum absens, tristitia circa

praesens, odium circa utrumque.

10. Porro omnes actus eliciti a voluntate non solum ad velle, ut volunt aliqui, sed etiam ad nolle revocantur; etenim sicuti volitio est mentis determinatio ad eligendum bonum, quod appetit, ita nolitio est mentis determinatio ad fugiendum malum, quod aversatur. Quare nolitio non est mera volitionis negatio, sed actus omnino positivus.

Ut autem intelligatur, quandonam actiones tum interiores, tum exteriores, sicut et passiones, ex deliberata voluntate procedant, videndum, quodnam dominium in facultates tam interiores, quam exteriores voluntas exerceat; unde quaeritur 1.°, quomodo voluntas dominetur intellectui.

11. ℟. Nullum esse dubium, quin intellectus subjiciatur voluntatis imperio, quatenus post primam rei cognitionem potest ab eadem accommodari ad eam intimius considerandam, aut etiam ad aliud cognoscendum; voluntati tamen non subjicitur ulla ex primis objectorum apprehensionibus, quae omnem voluntatis actum circa objecta talia praevertunt, cum nihil esse possit volitum, quin praecognitum. Item voluntati non subjiciuntur ulla judicia circa vera, vel falsa, quae, ut talia, evidenter apparent; simul enim ac intellectus verum, vel falsum evidenter novit, non potest voluntas facere, ut intellectus contra judicet. Ubi vero sermo sit de objectis aliis, in quibus non affulget evidentia, potest voluntas id facere, ut intellectus assensum illis praebeat, vel dissensum, vel utrumque suspendat. Sic saepenumero imperat voluntas intellectui, ut assensum praebeat opinionibus philosophicis, et Theologicis, vel mysteriis Religionis nostrae utpote obscuris.

Quomodo dominetur voluntas phantasiae, et appetitui sensitivo.

12. ℟. voluntatem, ut optime docet Heinecius, quoad primas phantasticas perceptiones objectorum sensibilium non dominari phantasiae, quae, qua retinet materialium rerum ideas, memoria, qua revocat easdem, reminiscentia, qua discernit, judicium, qua componit, ingenium nuncupatur; quemadmodum nec dominatur motibus primo primis, quia et illae, et hi praevertunt quemvis voluntatis actum; phantasia enim, seu imaginatio interdum, praecipue in somnis, est veluti cymba sine rectore fluitans, ut inquit Barbeyracius. Ceterum phantasia in pluribus voluntati subjicitur, cum ad has, vel illas rerum materialium species retinendas, vel revocandas, discernendas, vel componendas applicari a voluntate possit: item voluntati subjicitur quoad majorem, minoremve intensionem, aut durationem actus cum in se, tum in caussis praecedentibus.

Quomodo dominetur voluntas externis sensibus, et membris corporis.

13. ℟. voluntatem in operationes externorum quinque sensuum in se praecise spectatas nullum directe posse dominatum exercere; quoties enim cumque sensibile objectum praesens

est, quantum sat est, percellitque adeo sensoria organa corporea rite constructa, et integra, necessariam tum inducit sensationem, quam corporis, et animae natura sic determinat juxta leges a Deo Optimo Maximo sancitas, ut impediri, aut ullo modo immutari ea nunquam a voluntate possit. Quare nihil prorsus voluntas ageret, si sanis auribus, ac naribus e. g. praeciperet, ne tumultuosum illae sonitum, ne odorem istae foetidum perciperent, quandocumque adsunt extrinsecus corpora sensationem soni, et odoris producentia. Item non subjiciuntur voluntatis dominatui voluptatis, atque tristitiae sensus. Quamobrem expertus quisque novit ipsemet, non tanti esse se, ut ex sapido cibo nullam voluptatem, ex insipido nullam molestiam, tristitiamve percipiat; ex sensationibus enim praesentibus, quas praepedire voluntas nequit, voluptates, ac tristitiae hujusmodi immediate oriuntur, ut vel leviter consideranti manifesta res est.

Quamquam vero in circumstantiis nuper memoratis non subjiciuntur voluntati sensationes, et inde consequentes sensus voluptatis, ac tristitiae; voluntati tamen adhuc superest libera facultas praecipiendi saltem indirecte sensibus exterioribus, sicque adeo impediendi ad libidinem sensationes, et sensuales illas perceptiones, quotiescumque locus praevisioni, consultationique suppetit; organa enim sensuum continere voluntas potest, situmve corporis, ne sensationes praevisae obveniant, immutare, aut alio modo quovis impedire, quominus aliquid sensibile agat in organum sensorium. Sic integrum voluntati est praecipere manibus, ut obturent aures, claudant oculos, ac pedibus, ut alio corpus tuum deferant. Quamobrem quoties sponte, ac deliberate agere talia omittit voluntas, cum re potest, ac debet, sensationes, ac perceptiones sensuales omnes, quamvis operationes prorsus naturales, ac necessariae in se sint, merito eidem imputantur. Ceterum quae nuper diximus, de iis tantum facultatibus intelligas, quas naturae auctor subdidit imperio voluntatis eorum, qui ad agendum non impediuntur, et ad quas dirigendas idonea est. Quocirca nihil plane mirum ulli hominum est, quod laborantes paralysis, aut apoplexiae malo membra quique sua regere, aut movere marte proprio nequeant.

Macte animo: scire nunc velim, quaenam sint principia humanorum actuum.

Responsio in promtu est: humanorum actuum principia multa sunt, ac varia: alia vocantur efficientia, ut intellectus, et voluntas; quando enim cumque homo intellectu, et voluntate simul utitur, actum exerit vere humanum, ut ex dictis patet: alia dirigentia, ut conscientia, et lex: alia allicientia, ut virtutes, et vitia: principia efficientia, ut res per se loquitur, animo intima sunt; alia vero dividuntur in interiora,

et exteriora: sic conscientia revocatur ad interiora, lex, et inspirationes nobis immissae ab Angelis ad exteriora referuntur.

CAPUT II.

De voluntario, ejusque divisione.

SUMMARIA.

1. *Voluntarium definitur.*
2. *Voluntarium differt a violento, naturali, spontaneo, libero, ac volito.*
3. *Voluntarium secundum plures aliud necessarium, aliud liberum, sed non ad rem.*
4. *Aliud perfectum, aliud imperfectum.*
5. *Aliud in se, seu explicitum, aliud in causa, seu implicitum.*
6. *Aliud plenum, seu simpliciter, aliud non plenum, seu secundum quid.*
7. *Aliud actuale, aliud virtuale, et aliud habituale.*
8. *Aliud formale, et aliud interpretativum; sed hoc non est veri nominis voluntarium.*
9. *Aliud demum directum, seu positivum, aliud indirectum, seu negativum.*
10. *Omissio in individuo, voluntaria non est sine ullo actu, qui ejus causa sit, vel occasio.*
11. *Propositioni demonstrandae praemittitur 1. quandonam actus dicatur causa, vel occasio omissionis.*
12. *Praemittitur 2. sermonem hic haberi de omissione indirecte voluntaria.*
13. *Praemittitur 3. loqui nos de omissione positiva.*
14. *Propositio ostenditur.*
15. *Objectio solvitur.*
16. *Omissio directe voluntaria nullum exigit praeceptum ad sui constitutionem.*
17. *Omissio non potest esse culpabilis sine ullo praecepto.*
18. *Omissio esse potest indirecte voluntaria sine ullo praecepto.*
19. *Exponitur, quid requiratur, ut omissio voluntaria sit culpabilis.*
20. *Explicatur, quid opus sit, ut effectus consequens actionem nostram sit voluntarius, et quid, ut sit culpabilis.*
21. *Quandonam judicandus sit agens potuisse, ac debuisse advertere ab actione sua effectum oriturum.*
22. *Ad imputationem mali effectus ex jure civili satis est, ut agens cognoscere potuerit, ac debuerit ex data causa illum esse secuturum.*
23. *Effectus, qui per accidens ex actione aliqua sequitur, ex jure civili culpae non vertitur agenti.*
24. *Quomodo effectus ex omissione sequi intelligatur.*
25. *Effectus omissionem consequens non adscribitur omittenti sine obligatione illius impediendi.*
26. *Corollaria quaedam eruuntur.*
27. *Exponuntur conditiones requisitae, ut effectus omissionem consequens sit culpabilis.*
28. *Effectus, qui per accidens sequitur ex opere illicito, culpae non adscribitur.*
29. *Solvitur prima objectio.*
30. *Solvitur secunda objectio.*

1. Voluntarium secundum Aristotelem (1), cui consentit D. Thomas (2), definitur *id, quod est a principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio*, hoc est objectum, circa quod actio versatur, finem, ob quem actio fit, et circumstantias actionem comitantes. Ergo duae requiruntur conditiones ad voluntarium constituendum. Prima, ut sit a principio intrinseco, seu a facultate, quae pertineat ad naturam agentis. Secunda, ut sit a principio cognoscente singula, in quibus est actio. Hinc si una circumstantia ignoretur ab agente, actio quoad illam non erit voluntaria. Quamobrem qui percutit clericum, ignorans clericum esse, peccat quidem peccatum injustitiae, non vero sacrilegii. Ex his colligitur posse definiri voluntarium motum voluntatis in aliquid cum ejus cognitione.

(1) *Lib.* 3. *Ethic.*

(2) 1. 2. *q.* 6. *art.* 1.

In quo differat voluntarium a violento, naturali, spontaneo, libero, ac volito.

2. R. Voluntarium differt a violento, quia violentum non est a principio intrinseco, sed extrinseco. Sic lapis violentiam pati dicitur, si sursum ab aliquo projiciatur: a naturali, quod est quidem a principio intrinseco, sed nulla praelucente cognitione dirigitur. Sic igni naturale est sursum ferri: a spontaneo, quod est quidem a principio intrinseco, et cum aliqua cognitione, sed materiali solum, et imperfecta: sic homines spontanee agere dicuntur, quoties caeco quodam modo tendunt in objectum, dum innotescit quidem iis aliquatenus finis, non tamen qua finis est, nec nota proportio mediorum, quibus finis obtinendus: a libero, quod non solum est a principio intrinseco cum cognitione finis, sed etiam ex indifferentia procedit: a *volito* demum, *quia volitum* est ipsummet objectum voluntatis, ita ut non procedat ex aliquo influxu voluntatis: sic pluvia *volita* est ab agricola, non eidem voluntaria.

3. Dividitur 1.° voluntarium, in necessarium, et liberum. Necessarium illud est, quod sic a voluntate proficiscitur, ut positis omnibus ad agendum praeponendis non possit non agere: sic Beati in patria necessario diligunt Deum, et homines in via beatitudinem in communi: liberum autem est illud, quod sic proficiscitur a voluntate, ut, positis omnibus praeponendis ad agendum, possit non agere. Verum haec divisio non est, ut esse debet divisio generis in suas species, quia libertas ad essentiam voluntarii non pertinet.

4. Dividitur 2.° in voluntarium perfectum, et imperfectum. Perfectum ex D. Thoma (1) est illud, quod procedit ex perfecta cognitione finis, cum scilicet non solum apprehenditur res, quae est finis, sed etiam cognoscitur ratio, et dignitas finis, et proportio mediorum ad finem; imperfectum vero ex eodem

S. Doctore (2) est illud, quod procedit quidem ex voluntate, sed cum imperfecta cognitione finis, quando nempe non satis clare cognoscitur ratio, et dignitas finis, et proportio mediorum ad finem.

(1) 1. 2. *q.* 6. *a.* 2.

(2) *Loco citato.*

5. Dividitur 3.° in voluntarium in se, seu explicitum, et in voluntarium in causa, seu implicitum: primum ex D. Thoma (1) est, quando voluntas directe in ipsum fertur, ut si occidas inimicum, quia vis occidere. Secundum est, cum voluntas fertur in causam, et non in effectum ex eodem S. Doctore (2), seu illud est, quod in se immediate non intenditur a voluntate, sequitur tamen ex aliquo in se, et per se volito; ob eamque rem censetur volitum in alio tanquam in causa: sic homicidium dicitur in causa volitum homini sese inebrianti, si experimenti vi sciat, in ebrietate se hominibus mortem inferre, quamvis ante ebrietatem homicidium sit detestatus.

(1) 1. 2. *q.* 77. *a.* 7.

(2) *Loco citato.*

6. Dividitur 4.° in voluntarium simpliciter, seu plenum, et in voluntarium secundum quid, seu non plenum. Primum illud est, quod voluntas libens, et sine ulla repugnantia vult; secundum vero, quod vult cum aliqua repugnantia. Exemplum voluntarii secundum quid videas in eo, qui vitae servandae causa merces in mare projicit tempore naufragii.

7. Dividitur 5.° in voluntarium actuale, virtuale, et habituale. Actuale est actus voluntatis hic, et nunc sibimet ipsi praesentis: sic voluntaria mihi scriptio haec est. Virtuale est actus voluntatis jam praeteritus, qui moraliter adhuc perseverat in aliquo effectu, qui fit humano modo: sic voluntaria est sacerdoti consecratio hostiae, etsi nihil dum actu consecrat, actualiter cogitet de consecratione, quia consecratio proficiscitur a voluntatis actu, quo sacerdos ab initio voluit sacrum facere, et perseverat, tanquam in effectu, in serie actionum, quae consecrationem praecedunt, et ad sacrificium ordinantur. Habituale est actus voluntatis praeteritus, qui tamen non perseverat in aliquo sui effectu, qui fiat humano modo: sic Principi etiam dormienti voluntaria est pugna, quam vigilans militibus indixit, si mandatum non retractaverit. Ex his colligitur discrimen inter voluntarium virtuale, et habituale. Primum id exigit, ut homo sit in eo statu, ut possit humano modo agere; secundum non ita. Deinde virtuale in aliquo sui effectu, qui fit humano modo existit, seu perseverat, dum ponitur actus; habituale non sic.

8. Dividitur 6.° in voluntarium formale, et interpretativum. Formale est actus voluntatis, qui vere est, et fuit. Interpretativum est actus voluntatis, qui nec est, nec fuit, sed esset, si haberetur aliqua cognitio, quae deest: sic si de amici ceteroquin

inscii facultatibus aliquid tollas subinde restituturus, ac proinde existimans eum, si adesset a te rogatus, mutuaturum quod tollis, acceptio haec amico tuo est interpretative voluntaria. Divisio haec, ut patet, non est ad rem, quia voluntarium interpretativum non est veri nominis voluntarium.

9. Dividitur demum voluntarium in directum, quod alii positivum vocant, et indirectum, quod alii nuncupant negativum. Directum est, quod oritur a voluntate aliquid agente. Indirectum est, quod a voluntate praetermittente profluit, hoc est non faciente, quod facere posset: addunt alii, *ac deberet*, sed perperam, quia, ut infra ostensuri sumus, ad omissionem voluntariam nullum est necessarium praeceptum. Et re quidem vera hujus praecepti non meminit D. Thomas (1), dum explicat voluntarium directum, et indirectum his verbis; voluntarium nempe *ab aliquo dicitur esse aliquid dupliciter: uno modo directe, quod procedit ab aliquo, in quantum est agens, sicut calefactio a calore; alio modo indirecte ex hoc ipso, quod non agit.*

(1) 1. 2. *q.* 6. *a.* 3.

An omissio possit esse voluntaria sine ullo actu voluntatis.

10. ℟. Omissio secundum se, et nude spectata excludit e formali sui conceptu omnem actum voluntatis; non potest tamen esse in individuo voluntaria sine ullo actu, qui ejus causa sit, vel occasio.

11. Antequam res demonstretur, notandum 1.°, tunc actum esse causam omissionis, cum eo posito actus alter exerceri non potest, quia opponitur alter alteri; tunc vero esse occasionem omissionis, cum alter actus non impedit, quominus et alter ponatur, sed interim, altero posito, re alter non exercetur.

12. Notandum 2.°, nos hic non loqui de omissione directe voluntaria, quae intervenit, cum actus ponitur eo animo, et intentione expressa, ut inde sequatur omissio; tunc enim fatentur omnes, omissionem non posse sine actu constare.

13. Notandum 3.°, nos hic non loqui de omissione pure negativa, quae contingit, cum omittitur quidpiam, de quo nec fuit cogitatum; haec enim omissio proprie non est voluntaria, sed simplex actus negatio: loquimur nos de omissione positiva, quae occurrit, cum omittitur, quod fuit, aut est voluntati propositum.

14. Nunc accedamus ad probationem. Hanc in primis suppeditat D. Thomas, qui (1), inquit: *Si in peccato omissionis consideretur id, quod per se pertinet ad rationem peccati, sic . . . . aliquando est omissio absque omni actu tam exteriori, quam interiori . . . . si vero in peccato omissionis intelligantur etiam causae, vel occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis esse aliquem actum.*

(1) 1. 2. *q.* 71. *art.* 5.

Probatur 2.° cum voluntarium sit id, quod est a principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio, necesse est, ut quod est voluntarium, aliquomodo profluat a voluntate; sed nihil oriri a voluntate potest sine aliquo actu; ergo non potest omissio intelligi voluntaria sine aliquo actu, qui sit ejus causa, vel occasio, licet in omissione non requiratur ullus actus ad constituendam formalem, ut vocant, rationem voluntarii.

Et sane eodem prorsus modo disserendum est de omissione, ac de caecitate, et morte. Porro caecitas, et mors, si spectentur secundum se, nihil aliud sunt, quam privationes, ita ut earum conceptus nullum actum includant; si tamen in individuo inspiciantur, nec oculus caecitate, nec animal morte afficitur, nisi ob actionem alicujus causae, quae oculum, corpusque animalis corrumpat; ita omissio voluntaria, licet sui conceptu actum includat nullum, quia mera est privatio, esse tamen non potest a parte rei, et in individuo sine ullo actu, qui ejus caussa sit, vel occasio: sic dum proponitur voluntati auditio Missae, et studium, si omittat Missam, eam ob rem omittit, quia vult operam dare studio.

At inquies: Ut omissio sit voluntaria satis est, ut id quis non faciat, quod potest facere; atqui nullus ibi actus est; ergo, ut omissio sit voluntaria, nullus requiritur actus, qui ejus causa sit, vel occasio.

15. R/. omissioni nude, et secundum speciem spectatae sat esse, ut quis non faciat, quod potest facere, sed omissioni consideratae in individuo id non sufficere, ulteriusque ad hanc constituendam requiri, ut voluntas ea sit, quae nolit agere. Quoties enim omissio in individuo consideratur, non potest esse voluntaria, nisi homo exerceat libertatem suam; jam vero libertatis exercitium, ac determinatio, cum involvat motum voluntatis aliquem, necessario et actum includit.

An omissio esse possit voluntaria sine praecepto.

16. R/. Notandum, nos hic non loqui de omissione directe, ut ita dicam, voluntaria; jam enim consentiunt Theologi, huic constituendae nullum necessarium esse praeceptum; sed loqui nos de omissione indirecte voluntaria, quin eliciatur actus directus omittendi.

17. Notandum etiam, non esse confundendam omissionem voluntariam cum culpabili; evidenter enim constat, omissionem esse non posse culpabilem sine praecepto ponendi actum, qui omittitur, quia ubi nulla est lex, ibi nulla praevaricatio, ut inquit Apostolus (1). His positis.

(1) *Rom.* 4. v. 15.

18. R/. omissionem esse posse voluntariam sine ullo praecepto. Res per se loquitur; praeceptum enim nullo modo pertinet ad essentiam voluntarii in omissione, nam praeceptum versatur circa voluntarios actus, non

ut eosdem tales efficiat, sed ut dirigat; ergo potest omissio esse voluntaria sine ullo praecepto. Nec dicas, inde colligi, omnia hominum peccata esse Deo voluntaria, quia, si vellet Deus, impedire posset peccata omnia; enim vero dum id objicis, transitum facis ab omissione ad effectum, qui omissionem consequitur; peccata enim, quae patrantur, a Dei voluntate, tanquam a principio intrinseco, non trahunt originem, sed ab hominum perversitate, ob eamque rem peccata Deo voluntaria non sunt.

Quid requiratur, ut omissio sit voluntaria moraliter, seu ut sit culpabilis.

19. ℟. Duas conditiones requiri: prima, ut quis agere potuerit; nemo enim peccat, ait Augustinus (1), *in eo, quod nullo modo caveri potest*: secunda, ut agere debuerit; nullum enim est peccatum, quod non sit adversus legem aliquam; ubi enim non est lex, ibi nec praevaricatio, ut inquit Apoſtolus (2). Addunt plures tertiam conditionem, hoc est ut non egerit: at perperam; tertia enim haec conditio hunc plane sensum reddit: ut omissio sit culpabilis, necesse est, ut omissio sit omissio.

(1) *Lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 18. *n.* 50.

(2) *Rom.* 4. *v.* 15.

Quid requiratur, ut effectus consequens actionem nostram sit voluntarius, et quid, ut sit culpabilis.

20. ℟. Ut effectus, qui ex actione nostra sequitur, sit voluntarius, satis est, ut sit, vel in se intentus, vel ut cognoscatur ex tali libere posita causa procedere; simul enim ac quis vult causam, vult et effectum, qui ex ea sequitur, si noverit inde oriturum effectum, etiamsi hunc non intendat; ut vero effectus sit voluntarius moraliter, seu culpabilis necesse non est, ut cognoscatur a tali causa oriturus, sed satis est, ut id cognosci potuerit, ac debuerit.

Quando nam censendus sit agens potuisse, ac debuisse animadvertere ab actione sua effectum oriturum.

21. ℟. Communiter loquendo judicandus est agens potuisse, ac debuisse animadvertere, cum effectus ex illa causa plerumque, ac in pluribus sequi consuevit; secus vero judicandum, cum effectus sequitur solum per accidens, et in paucioribus; cum enim effectus per se procedit ex aliqua causa, si agens adhibuisset diligentiam, quam adhibere solent homines prudentes ejusdem conditionis, facile cognovisset, effectum inde malum proditurum; quod sic non contingit, cum effectus sequitur per accidens, quia etiam adhibita diligentia, quam adhibere solent ipsimet prudentes homines ejusdem conditionis, non inde tamen comperisset agens, effectum malum ex actione sua secuturum. Haec omnia perbelle confirmantur auctoritate D. Thomae, qui (1) inquit: *non enim datur judicium de re aliqua secundum illud, quod est per accidens, sed solum secundum illud, quod est per se*; quaerit enim ibi s. Doctor, an eventus procedens ex actione bonitatem, vel

malitiam ejusdem actionis augeat: Respondet affirmative, si eventus ille est praecogitatus, seu *praevisus, et intentus*, ut se alibi explicat (2): item addit, effectum ex actione procedentem augere bonitatem, vel malitiam actionis, etsi non est *praecogitatus, modo per se sequatur ex tali actu, et in pluribus*, nimirum quia si adhibita fuisset debita diligentia, is effectus cognitus fuisset, ob eamque rem praecogitari potuit, ac debuit. Demum concludit, eventum non augere bonitatem, vel malitiam actionis, *si per accidens, et in paucioribus* ex data causa secutus fuisset effectus; nimirum quia, etiam adhibita communi diligentia prudentum hominum ejusdem conditionis, effectus per accidens ortum habens a data causa non fuisset praevisus; quae enim casualia sunt, praevisa non censentur, cum nihil aliud casus sit, quam agens causa praeter intentionem, ut inquit Aristoteles (3).

(1) 1. 2. *q.* 20. *a.* 5.

(2) 1. 2. *quaest.* 73. *art.* 8. *ad* 1.

(3) *Lib.* 2. *physicorum.*

Dixi communiter loquendo, quia fieri potest, ut quis adhibuerit diligentiam, quam adhibere solent homines ejusdem conditionis, v. g. bona fide consuluerit virum, quem putabat doctum, qui tamen erat indoctus, atque ab eo intellexerit, nullum ex actione sua malum esse secuturum effectum; qui tamen inde secutus est.

22. Haec omnia consona quoque sunt juri civili; jus enim civile primo docet, necesse non esse ad imputationem mali effectus, ut cognoscatur ex data causa secuturus, sed satis esse, ut id agens cognoscere potuerit, ac debuerit. Id patet ex his juris civilis (1) verbis: mulio, *si per imperitiam impetum mularum retinere non potuerit, si eae alienum hominem obtriverint, vulgo dicitur, culpae nomine teneri.* Idem dicitur, etsi propter infirmitatem sustinere mularum impetum non potuerit, ibique additur hujus rei ratio his verbis: *nec videtur iniquum, si infirmitas culpae adnumeretur, cum affectare quisque non debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam alii periculosam futuram.* Notanda sunt ea verba *vel intelligit, vel intelligere debet*, quae nihil sane aliud sibi volunt, quam animadvertit, vel animadvertere debet; ergo ex jure civili nulla requiritur actualis advertentia, et cognitio effectus mali, seu peccati, sed sufficit virtualis contenta in diligentiae omissione, qua cognoscere potuisset agens talem effectum ex actione sua secuturum. Hinc colligere quisque potest, profligatam fuisse a jure civili, antequam probabilismus nasceretur, sententiam probabilistarum contendentium, peccatum non esse imputandum agenti, nisi hic, et nunc illud cognoverit, vel saltem habuerit suspicionem ejusdem, nec satis esse, ut agens animadvertere potuerit, ac debuerit.

(1) *Lege* 8. *ff. ad legem Aquiliam.*

23. Docet 2.° idem jus civile, effectum, qui per accidens ex actione aliqua sequitur, culpae non esse vertendum agenti: sic in jure civili (1) excusatur putator, qui cum ramum caederet, ac dejiceret in eum locum, quo nemo transire solebat, hominem fortuito illac praetereuntem occidit; cujus rei ratio additur his verbis: *cum divinare non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus sit.*

(1) *L.* 31. *ff. ad l. Aquil.*

An effectus omissionem consequens sit omittenti voluntarius sine ulla obligatione illius impediendi.

24. Ante responsionem notandum est, effectum aliquem dici ex omissione sequi, non quod hunc effectum omissio producat, (omissio enim, cum sit non ens, omnem actum e suo conceptu excludit), sed quia si omittens egisset, effectum illum impedivisset. His positis.

25. ℟. Effectus omissionem consequens non est omittenti voluntarius sine obligatione illius impediendi; quidquid enim voluntarium est, a voluntate oriri debet. Porro effectus, qui consequitur omissionem sine obligatione illius impediendi, nec physice, nec moraliter profluit a voluntate; non physice, quia omissio, cum sit non ens, et mera privatio, *non potest physice* illud producere: non moraliter, quia nulla est ratio, cur in voluntatem tanquam in caussam moralem refundatur effectus, nisi obligatio sit illius impediendi, quam hic, et nunc nullam esse supponimus.

Id demonstrari potest instituta comparatione omissionis cum effectu; ea enim de causa omissio voluntaria est sine ullo praecepto, quia omissio immediate a voluntate oritur; voluntas enim vim exercet suam sive volendo, sive nolendo; at effectus, qui omissionem consequitur, immediate a voluntate non profluit, sed ab alia quapiam causa: sic dum in rixa alter alterum interimit, homicidium non oritur a mea voluntate, vel a mea omissione, sed a gladio interfectoris: similiter subversio navis, quam gubernator servare omittit, non efficitur proprie a voluntate, et omissione gubernatoris, sed vi tempestatis, et procellae. Quamobrem ut ejusmodi effectus refundantur in voluntatem, tanquam in causam omittentem, cum proxime non profluant a voluntate, neque adeo sint a principio intrinseco, necesse est, ut aliquid interveniat, cujus vi eventus ejusmodi voluntati tribui possint. Porro nihil aliud intervenire, aut assignari potest, nisi obligatio illius effectus impediendi, quia qui non impedit effectum, quem potest, ac debet impedire, censetur eum velle, cum nemo praesumatur nolle debitum implere suum, ni magis velit oppositum.

26. Ex huc usque dictis plurima fluunt corollaria. Sic Deus etiamsi voluntarie omittat impedire peccata hominum, non tamen peccata Deo

sunt voluntaria; cum ea impedire nullo modo teneatur: sic mulieri per vias incedenti, ac decenter ornatae pro sui status conditione non sunt voluntaria peccata eorum, qui eam adspicientes in turpia desideria ruunt: sic usura non est ei voluntaria, qui necessitate pressus mutuum petit a foeneratore: sic sacrilegium mali pastoris non est ei voluntarium, qui sacramenta petit urgente necessitate. Horum omnium ratio est, quia horum nemo tenetur numeratos effectus impedire.

Quid requiratur, ut effectus omissionem consequens sit culpabilis.

27. ℟. Tria requiri: 1.° ut omittens praeviderit, aut praevidere potuerit ex omissione talem effectum prodire posse: 2.° ut effectum impedire potuerit, quia nemo ad impossibile tenetur: 3.° ut debuerit, quia, ut toties dictum, ubi nulla est lex, ibi nec praevaricatio (1). Addunt plures Theologi quarto loco, ut homo effectum illum impedire praetermiserit; sed perperam, hoc enim ipsamet quaestio supponit, quia hic agitur de effectu omissionem consequente.

(1) *Rom.* 4. *v.* 15.

An ei, qui dat operam rei illicitae, imputari debeat effectus malus, qui per accidens inde sequitur.

28. ℟. Negative; nam quae per accidens contingunt, sunt casualia simpliciter, atque adeo neque intenta, neque voluntaria, cum nihil aliud casus sit, quam agens causa praeter intentionem, ut dictum est ex Aristotele, ob eamque rem non sunt imputabilia. Quare S. Thomas (1) docet, eum, qui percutit aliquem, quem scit quidem esse hominem, ignorat tamen esse patrem, esse quidem reum percussionis hominis, non tamen patris. Iam vero si ei, qui dat operam rei illicitae, imputandus esset effectus, qui per accidens inde sequitur, is cum det operam rei illicitae, hoc est percussioni hominis, non tantum reus esset percussionis hominis, sed et percussionis patris, quod negat S. Doctor.

(1) 1. 2. *q.* 76. *a.* 3.

Objiciunt adversarii D. Thomam, qui (1) docet, eum, qui rei illicitae dat operam, non evadere homicidii reatum.

(1) 2. 2. *q.* 64. *art.* 8.

29. ℟. D. Thomam intelligendum esse de re illicita homicidii periculosa, ut patet ibidem ex responsione ad primum, et secundum.

Objiciunt 2.° Cathechismum Romanum, qui (1) haec habet: *quomodo homicidii reus sit, qui casu caedem fecit. In quo tamen duabus de causis peccari potest: altera si quis in re injusta occupatus hominem occiderit (e. g.) si quis gravidam mulierem pugno, vel calce percuteret, ex quo abortus sequeretur, fuisset quidem illud praeter percussoris voluntatem, non tamen praeter culpam, cum illi non liceret ullo modo gravidam mulierem percutere.*

(1) *P.* 3. *sess.* 7. *in quintum praeceptum.*

30. ℟. Cathechismum esse intelligendum etiam de re illicita ob periculum homicidii, cum exemplum ponat in eo, qui gravidam mulierem non intendens abortum pugno, vel calce percutit; hic enim suspicari poterat, ac debebat, percussionem quamcumque mulieris praegnantis esse posse causam abortus. An vero in hisce casibus incurratur irregularitas alia est quaestio suo loco pertractanda.

CAPUT III.

De involuntario, ejusque causis.

SUMMARIA.

1. *Non satis accurate a quibusdam involuntarium definitur.*
2. *Vera involuntarii definitio traditur.*
3. *Involuntarium duplex est, simpliciter, et secundum quid.*
4. *Necessarium, violentum, coactum, et involuntarium inter se differunt.*

1. Theologi plures involuntarium definiunt id, quod fit sine propensione voluntatis, vel sine cognitione finis; inquiunt enim: ad voluntarium constituendum duo requiruntur, propensio voluntatis, et cognitio finis; ergo quod fit sine voluntatis inclinatione, vel sine cognitione finis, illud est involuntarium. At dum ita ratiocinantur, ex vero antecedenti falsam consecutionem deducunt: hoc enim solum ex illo antecedenti concludi potest: ergo quod fit sine inclinatione voluntatis, vel sine cognitione finis non erit voluntarium.

2. Porro inter involuntarium, et non voluntarium latum intercedit discrimen; non voluntarium enim id est, quod voluntas non vult simpliciter, quin tamen voluntati adversetur; involuntarium vero id, quod voluntati repugnat, et adversatur. Hinc ipsi demonstrabimus inferius, ignorantiam concomitantem ex S. Thoma non facere actum involuntarium, sed simpliciter non voluntarium; rectius ergo involuntarium definitur id, quod est contra inclinationem voluntatis.

Quomodo dividitur involuntarium?

3. ℟. dividitur in involuntarium simpliciter, et in involuntarium secundum quid. Primum illud est, quod totaliter opponitur voluntati actuali, vel interpretativae; sic qui dormiens occiditur, est ei mors involuntaria, quia haec repugnat voluntati ejus interpretativae; sic enim affectus censetur, ut si posset, vellet mortem suam impedire. Secundum vero illud est, quod repugnat aliqua ex parte voluntati, sed non totaliter: sic projectio mercium in mare, urgente tempestate, repugnat aliqua ex parte voluntati mercatoris, quia si posset is, vellet servare merces suas; at non repugnat ex omni parte voluntati ejus, quia mavult servare vitam, quam merces.

Quomodo necessarium, violentum, coactum, et involuntarium inter se differant.

4. ℟. Quamvis saepe numero necessarium, violentum, coactum, et involuntarium a Theologis confundantur, re tamen inter se differunt; nam necessarium includit determinationem ad unum sine potentia ad oppositum; sed haec determinatio a principio intrinseco profluit: sic homo necessario appetit felicitatem in communi: sic lapis necessario fertur in centrum. Violentum dicit quoque determinationem ad unum, sed principium determinationis exterius est. Coactum includit etiam determinationem ad unum, et quidem a principio exteriori proficiscitur, sed dicitur tantum de agentibus animatis cognitione praeditis, et opponitur spontaneo; violentum vero dicitur etiam de inanimatis: sic motus lapidis sursum projecti violentus nuncupatur, non coactus; at homo contra propriam inclinationem actus violentiam pati dicitur, vel coactionem. Demum involuntarium nullam necessariam continet determinationem ad unum, cum quisque, si velit, possit, mutata voluntate, amplecti, quod est omnino propriae inclinationi contrarium.

Nunc inquirendum, quid tollat, aut minuat voluntarium. Quoniam autem duae ad voluntarium requiruntur conditiones, propensio scilicet voluntatis, et intellectus cognitio, ac voluntatis propensioni opponantur violentia, et metus, intellectus cognitioni ignorantia, et concupiscentia; hinc juxta receptum in scholis morem de iis erit disserendum.

ARTICULUS I.

De violentia.

SUMMARIA

1. *Violentia definitur, et conditiones ejus exponuntur.*
2. *Qui hominem dormientem occidit, veram ei violentiam facit.*
3. *Duplex a quibusdam distinguitur violentia, sed non ad rem.*
4. *Voluntas quoad actus elicitos cogi non potest.*
5. *Solvitur prima objectio.*
6. *Solvitur secunda.*
7. *Solvitur tertia.*
8. *Solvitur quarta.*
9. *Voluntas quoad actus imperatos pati potest violentiam.*
10. *Vera violentia reddit actum prorsus involuntarium.*
11. *Solvitur prima objecto.*
12. *Solvitur secunda.*
13. *Solvitur tertia.*
14. *Mulier ob metum mortis non potest in se permissive pati corporis violationem.*
15. *Solvitur una objectio.*

1. Violentia definitur ab Aristotele (1) id, *cujus principium est extra, nihil conferente eo, qui cogitur.* Hanc definitionem adoptat D. Thomas (2), et Damascenus (3). Ut igitur homo violentiam pati dicatur, duplex conditio requiritur: prima, ut violentiae principium sit extrinsecum; nemo enim sibimetipsi potest

vim inferre; alioquin simul vellet, et nollet, quod est contradictorium: secunda ut is, cui vis infertur, nihil conferat, seu nullo modo consentiat actioni externi principii; nam *cum actio*, inquit S. Thomas (4), *infertur ab aliqua exteriori, manente in eo, qui patitur, voluntate patiendi, non est simpliciter violentum, quia licet ille, qui patitur non conferat agendo, confert tamen volendo pati*; imo ut sit vera violentia, requiritur praeterea, ut ille, cui vis infertur, resistat expresse, vel interpretative; si enim satis esset ad veram violentiam, ut qui a principio extrinseco agitur, nihil conferat, justificatio parvulorum violenta foret, cum ii ad justificationem suam nihil conferant.

(1) *Lib.* 3. *ethicorum cap.* 1.

(2) 2. 2. *q.* 175. *a.* 1.

(3) *Lib.* 2. *de fide cap.* 24.

(4) 1. 2. *q.* 6. *a.* 5. *ad* 2.

2. Hinc consequitur, eum, qui hominem dormientem occideret, inferre ei violentiam, quia licet non expresse, interpretative tamen obsistere censetur. Itaque violentia definiri accuratius poterit motio, cujus principium est extra, eo, qui cogitur, obsistente vel expresse, vel saltem interpretative.

3. Duplex a pluribus Theologis distinguitur violentia: altera quidem absoluta, cum quis omni modo, quo potest, resistit: altera secundum quid, cum quis resistit quidem, sed minus quam potest. At haec divisio non videtur accurata, cum violentia secundum quid tamquam species non contineatur sub genere; qui enim resistit quidem, sed minus, quam potest, hic vult aliquo modo passionem; ergo ex D. Thoma jam citato non patitur violentiam, quia licet non conferat agendo, confert tamen volendo pati.

An voluntas quoad actus suos pati possit violentiam.

4. ℟. 1.° voluntas quoad actus suos elicitos minime cogi potest, quod sic ostenditur. Actus eliciti, et violenti ex natura rei opponuntur; ergo actus eliciti non possunt esse violenti, seu, quod idem est, voluntas quoad actus elicitos non potest pati violentiam.

Prob. Antec. Actus eliciti sunt a principio intrinseco, hoc est a voluntate juxta inclinationem ejusdem; actus vero violenti sunt a principio extrinseco, contra inclinationem voluntatis; ergo actus eliciti, et violenti sibimet ex natura rei opponuntur. Re quidem vera eliciti actus sunt ipsamet inclinatio voluntatis, ut amor est ipsamet propensio in bonum; ergo non possunt esse violenti, seu contra ipsam inclinationem voluntatis; alioquin voluntas eodem tempore vellet, ac nollet, quod est plane contradictorium. Ergo erravit Bellius, qui docuit externam coactionem in animam cadere posse. *Sicuti dicitur aliquid naturale*, ait Augustinus (1), *quia est secundum inclinationem naturae, ita dicitur aliquid*

voluntarium, quia est secundum inclinationem voluntatis. Sicut ergo impossibile est, quod aliquid simul sit violentum, et naturale, ita impossibile est, quod aliquid sit simpliciter coactum, sive violentum, et voluntarium.

(1) 1. *p. q.* 82. *a.* 1.

Obj. 1.° Deus fortior est voluntate hominis; ergo poterit eamdem cogere, cum scriptura (1) asserat: *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.*

(1) *Proverb.* 21. *v.* 1.

5. ℟. Deum fortiorem quidem esse voluntate hominis, non posse tamen efficere repugnantia. Jam vero repugnat violentia voluntati quoad actus elicitos; alioquin simul vellet, et nollet, ut ostensum est. Ergo potest Deus inclinare voluntatem, quocumque vult, non coactione, quae repugnantiam includit, sed immutans eam, atque adeo efficiens, ut jam velit, quod nolebat antea.

Instabis. Potest Deus voluntati pronae ad amorem subtrahere concursum suum: porro in hoc casu cessatio amoris erit violenta, seu contra inclinationem voluntatis.

6. ℟. nullum in hac hypothesi esse actum elicitum; atque ob id objectionem vagari extra quaestionem, quae una haec est, an actibus elicitis inferri possit violentia.

Instabis. Potest Deus in voluntate Petri omnino prona in odium Joannis creare amorem Joannis ejusdem: porro hic amor esset violentus, utpote omnino contra inclinationem Petri.

7. ℟. in hac hypothesi voluntatem Petri non cogi, sed mutari. *Cum igitur Deus immutat voluntatem*, ait S. Thomas (1), *facit, ut praecedenti inclinationi succedat alia inclinatio, ita ut alia auferatur, et secunda maneat; unde illud, ad quod inducit voluntatem, non est contrarium inclinationi jam existenti, sed inclinationi, quae prius inerat; unde non est violentia, nec coactio.*

(1) *q.* 22. *de Veritate a.* 8.

Obj. 2°. Peccatum est contra inclinationem hominis; ergo peccatum est homini violentum.

8. ℟. peccatum voluntati propositum sub ratione mali esse quidem contra inclinationem hominis, neutiquam vero propositum sub ratione boni: porro dum voluntas peccat, intellectus voluntati proponit peccatum non sub ratione mali, sed sub ratione boni. Quare D. Thomas (1) ait: *Id, in quod voluntas tendit peccando, etsi sit malum, et contra rationalem naturam secundum rei veritatem; apprehenditur tamen ut bonum, et conveniens naturae, in quantum est conveniens homini secundum aliquam delectationem sensus.*

(1) 1. 2. *q.* 6. *a.* 4. *ad* 3.

9. ℟. 1.° voluntatem quoad actus suos imperatos pati posse violentiam; actus enim violenti dicuntur ii, qui oriuntur a principio extrinseco contra inclinationem voluntatis; atqui non desunt actus imperati ejusmodi: sic quandoque voluntas imperat pedibus ambulationem, sed pedes vin-

culis adstringuntur, ut ambulatio impediatur; ergo actus imperat possunt esse violenti. Censetur autem voluntas pati violentiam quoad actus imperatos, quando actus, quos imperat, vel non exercentur a principio extrinseco, vel exercentur ii, quos non imperat, ea repugnante.

An violentia reddat actum prorsus involuntarium.

10. R/. veram violentiam reddere actum prorsus involuntarium; nam voluntarium est illud, quod oritur a principio intrinseco, atque adeo juxta inclinationem ejusdem; atqui vera violentia id efficit, ut actus profluat a principio extrinseco, et contra inclinationem patientis; ergo vera violentia reddit actum prorsus involuntarium.

Obj. 1.° Martyres passi sunt violentiam a Tyrannis; atqui haec passio erat iis voluntaria; ergo vera violentia non reddit actum prorsus involuntarium.

11. R/. Martyres veram violentiam passos non esse, quia si voluissent, potuissent mortem effugere jactura fidei; at maluerunt subire mortem, quam negare fidem; ergo licet violentia ex parte Tyrannorum dici posset illata Martyribus, cum obiere vi Tyrannorum, nimirum quia mors oriebatur a principio extrinseco, et contra inclinationem naturae, quae abhorret a morte, et contra rationalem voluntatem Martyrum, quatenus actio nefaria iisdem omnino displicebat; violentia tamen dici non potest ex parte Martyrum mortem perferentium, quia licet molestissime ferrent facinus teterrimum Tyrannorum, eodem tamen supposito voluntarii erant in subeunda morte propter Christum. Quamobrem etiamsi nihil conferrent ad actionem, conferebant tamen ad passionem aequo animo supplicia perferentes.

Obj. 2.° Qui minis, et tormentis compellitur ad thus idolis adolendum, voluntate omnino repugnante, violentiam patitur; at cultus hujusmodi, utpote iniquus, nonne thus adolenti voluntarius est? Ergo etc.

12. R/. hunc non pati veram violentiam, quia non resistit quantum potest, ac debet; etsi enim intra se detestetur idolum; tamen re consentit externae idoli venerationi, eamdemque mavult, quam mortem; quo fit, ut externa idoli veneratio sit illi voluntaria.

Obj. 3.° Qui per violentiam baptisma suscipit, valide suscipit; ergo etiam voluntarie. Antecedens constat ex Concilio Toletano 4.°, ubi definitum fuit, valide baptizatos fuisse Judaeos, qui cogente Sisebuto in Hispaniis Baptisma susceperant.

13. R/. Nec hi Judaei ipsi passi sunt veram violentiam, sed projecerunt priorem voluntatem, indueruntque veram, ac sinceram aliam suscipiendi baptismi; nec enim attractis pedibus in aquam violenti demersi sunt, et sic baptizati, sed tantum iis propositum fuit, utrum baptismum, an cruciatus eligerent:

Baptismum eligere maluerunt; in quo manifestus est verus consensus voluntatis.

An mulier ob metum infamiae, aut mortis possit negative, ac permissive pati corporis violentiam.

14. ℟. Affirmant plures Theologi, quos inter Cornelius a Lapide, qui in prophetam Danielem cap. 13. v. 23. docet *potuisse Susannam in tanto periculo infamiae, et mortis negative se habere, ac permittere in se eorum libidinem, modo interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata, et execrata fuisset, quia majus bonum est fama, et vita, quam pudicitia; unde hanc pro illa exponere licet. Itaque non tenebatur exclamare . . . quod ergo exclamavit, nulloque modo libidinem in se permisit, actus fuit insignis, et heroicae castitatis; talis est enim mori malle, quam pollui.* At haec sententia nobis arridere non potest; et Cornelius a Lapide convincitur in primis facto Susannae ipsius, quod hisce verbis narrant Sacrae Litterae (1): *Ingemuit Susanna, et ait: angustiae sunt mihi undique. si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras, sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini; et exclamavit voce magna Susanna.* Ergo Susanna non credidit, clamorem esse insignis, et heroicae virtutis actum, sed plane necessarium credidit, ne peccaret in conspectu Domini. Convincitur 2.° etiam ex Sacris Litteris, quae (2) puellam vi oppressam et non clamantem lapidibus obruendam decernunt his verbis: *Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit, cum esset in civitate.* Hinc Ecclesia Gallicana in generali conventu celebrato anno 1700. adversus opinionem nostrae contrariam hanc tulit censuram: *Haec propositio temeraria est, scandalosa, castarum aurium offensiva, erronea, et legi Dei contraria.* Divinae Scripturae accedat ratio. Dum puella stupratori vim sibi inferenti non obsistit omni modo, quo potest sive manibus, sive toto corpore, sive etiam clamando, ubi clamor creditur profuturus, actus hic est puellae voluntarius, et culpabilis, voluntarius quidem, quia non obsistit, quantum potest: est quoque culpabilis, quia ex natura sua malus est.

(1) *Danielis cap.* 13. *v.* 22., 23., 24.

(2) *Deuter.* 22. *v.* 23.

At dices 1.° Non minus mala est pollutio, quam fornicatio; atqui licet confessario sibi permittere pollutionem ex auditione confessionis; ergo licet foeminae permittere sibi fornicationem ad vitandam mortem.

15. ℟. negando consecutionem, et paritatem; ratio disparitatis est, quia confessionis auditio per se mala non est, nec necessariam habet conne-

xionem cum pollutione; contra vero membrorum genitalium permissio, quae fiat a foemina ad vitandam mortem, per se mala est, quia necessariam includit connexionem cum fornicatione.

Dices 2.° Si mulier in proposita specie clamare teneretur, teneretur et advocare suae testes infamiae.

16. ℟. non testes infamiae suae, sed pudicitiae clamans mulier advocat; clamans enim aperte intelligitur, noluisse consentire pravae fornicationis intentioni; quamobrem non amittit famam, sed adipiscitur.

ARTICULUS II.

De Metu.

SUMMARIA.

1. *Metus definitur.*
2. *Alius est gravis, alius levis.*
3. *Alius incussus a causa naturali, alius a causa libera juste, vel injuste.*
4. *Alius antecedens, alius concomitans.*
5. *Metus reverentialis ad gravem, vel levem revocatur.*
6. *Quae fiunt ex metu naturali sunt simpliciter voluntaria, involuntaria secundum quid.*
7. *Solvitur prima objectio.*
8. *Solvitur secunda.*
9. *Metus gravis non excusat a culpa in iis, quae sunt intrinsece mala.*
10. *Metus gravis per se loquendo non facit peccatum e mortali veniale.*
11. *Metus gravis in iis, quae non sunt intrinsece mala ordinarie a culpa excusat.*

1. Metus definiri potest trepidatio mentis ex repraesentatione imminentis, vel futuri mali. Quare in jure civili (1) definitur *instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio.*

(1) *L. 1. ff. Quod metus causa.*

2. Metus alius gravis est, levis alius. Gravis alius est absolute gravis, estque is, quo malum grave timetur ex gravi, et vere probabili causa. Hinc definitur etiam certa, et probabilis expectatio magni mali. Dicitur etiam hic metus cadens in constantem virum, quia hujusmodi metu viri etiam graves, et constantes commoveri solent. Alius est respective gravis, quo licet non moveatur vir constans, movetur tamen meticulosus; uti puer, senex, foemina. Levis metus is est, quo timetur malum leve, aut grave quidem, sed ex levi causa.

3. Rursus metus alius est incussus a causa naturali, sive intrinseca, ceu infirmitate, sive extrinseca, ut naufragio, vel a causa libera, ut ab homine. Porro juste, vel injuste potest homo metum incutere. Hinc metus alius justus, injustus alius nuncupatur.

4. Demum metus alius est antecedens, movensque ad agendum, ut actio dicatur peracta ex metu: alius concomitans dumtaxat actionem, quae propterea dicitur facta cum

metu: sic mercator, urgente tempestate, in mare merces projicit ex metu; mare autem ingressus est cum metu tempestatis, sed non ex metu.

5. Addunt alii metum reverentialem, quo quis sibi timet graviter infensos Superiores. Verum si metus reverentialis conjunctus sit cum gravibus minis, ad gravem, si ab iis sejunctus, ad levem revocabitur.

An ea, quae fiunt ex metu, sint voluntaria.

6. ℟. Quae fiunt ex metu naturali, per se loquendo, sunt simpliciter voluntaria, involuntaria secundum quid: dixi ex metu naturali; nam quae fiunt ex metu supernaturali non sunt praesentis instituti, suamque sedem habent in tractatu de Poenitentia.

Pars prima propositionis ita ostenditur. Illud absolute voluntarium est, quod agitur, vel imperatur a voluntate, praelucente cognitione finis, et motivorum; at ejusmodi est, quod fit ex metu; nam qui v. g. metu mortis adducitur, ut bona sua latronibus tradat, certe id omnino agit voluntate imperante, ac praelucente cognitione finis, et motivorum; cognoscit enim hic jacturam bonorum suorum tamquam medium necessarium vitae conservandae, atque adeo huic intentus sponte, ac efficaci ex intentione medium hoc eligit; ergo, quod fit ex metu, simpliciter voluntarium est.

Probatur altera pars. Quod fit ex metu, instar mali consideratur; hoc tamen malum eligitur, ut gravius malum aliud effugiatur, ut patet in Superiori exemplo; atqui quodlibet mali apprehensi genus voluntas aversatur; ergo aversatur illud malum ipsum, quod eligit. Jam vero non aversatur aversatione efficaci, et absoluta; in illud enim re ipsa fertur; ergo aversatur aversatione conditionata, et inefficaci, quatenus illud refugeret, nisi gravius malum aliud reformidaret.

Pars utraque confirmatur auctoritate S. Augustini, qui (1) sic scribit: *Si subtilius advertamus, etiam quod quisque invitus facere dicitur, si facit, voluntarie facit; sed quia malit aliud* (hoc est non facere, si metus abesset), *ideo invitus, hoc est nolens facere dicitur.*

(1) *Lib.* 1. *de spiritu cap.* 31.

Dixi *per se loquendo*, quia quandoque, licet raro, actio ex metu facta, est penitus involuntaria, videlicet cum ob timoris vehementiam intercipitur rationis usus.

Obj. 1.° Voluntarium, et involuntarium sibimet opponuntur; ergo in eodem actu voluntatis simul constare non possunt.

7. ℟. Voluntarium simpliciter, et involuntarium simpliciter sibimet opponuntur; neutiquam vero voluntarium simpliciter, et involuntarium secundum quid; in hoc enim casu opus ex metu factum voluntarium est, et involuntarium sub ratione diversa, et ob id evanescit oppositio: sic projectio mercium in mare voluntaria est simpliciter, prout ap-

prehenditur tamquam necessaria ad vitae conservationem; secundum se tamen spectata est involuntaria secundum quid, quatenus, si non urgeret tempestas, in mare merces non projicerentur.

Obj. 2.° Quod est voluntarium simpliciter, excludit omne involuntarium; ergo voluntarium simpliciter, et involuntarium secundum quid simul esse non possunt.

8. ℟. distinguendum esse voluntarium simpliciter a voluntario ex omni parte. Equidem voluntarium ex omni parte involuntarium omne excludit; neutiquam vero voluntarium simpliciter, ut patet in allato exemplo.

An metus excuset a culpa.

9. ℟. 1.° metum quantumcumque gravem, si rationis usum non tollat, nunquam excusare a tota culpa in iis, quae sunt intrinsece mala. Etenim ea semper sunt peccata, quae voluntaria sunt, et semper mala; atqui ea, quae fiunt ex metu, simpliciter voluntaria sunt, ut ostendimus, et ea, quae intrinsece mala sunt, semper mala sunt; secus non essent intrinsece, et ex natura sua mala; ergo metus, quantumcumque gravis, nunquam excusare potest a tota culpa in iis, quae sunt intrinsece mala. Quia vero, ut supra vidimus, metus gravis aliquomodo voluntarium minuit, et libertatem, propterea metus idem, licet totam culpam non tollat, tamen minuit eandem. Hinc in jure Canonico (1) dicitur, metum extenuare culpam; unde levior poenitentia, (2) imposita est iis Episcopis, qui ob metum in iniquam alterius depositionem consenserant.

(1) *Cap.* Sacris 5. *de his, quae vi, metusve causa.*

(2) *Can.* In primis 7. *causa* 2. *qu.* 1.

An metus gravis in iis, quae sunt intrinsece mala, sic culpam minuat, ut ex mortali fiat venialis.

10. ℟. *Per se loquendo* negative; quia metus gravis ordinarie loquendo relinquit cognitionem eorum, quae fiunt, sufficientem peccato mortali constituendo. Dixi *per se loquendo*; si enim metus gravis tantam forte in aliquo produceret mentis perturbationem, ut relinqueret ei solum cognitionem similem cognitioni semidormientium, vel semiamentium, tunc in ejusmodi casu peccatum e mortali fieret veniale.

11. ℟. 2.° metum gravem ordinarie a tota culpa excusare in iis, quae non sunt intrinsece mala, quia lex quaelibet positiva obligare non solet cum gravi incommodo, ut demonstravimus tom. 1. pag. 240. n. 10. et sequentibus.

ARTICULUS III.

De Concupiscentia.

SUMMARIA.

1. *Concupiscentia definitur.*
2. *Concupiscentia alia est antecedens, alia consequens.*

3. *Alia gravis, alia gravissima.*
4. *Concupiscentia antecedens auget voluntarium imperfectum.*
5. *Concupiscentia antecedens ex una parte auget, ex altera minuit voluntarium perfectum.*
6. *Solvitur prima objectio.*
7. *Solvitur secunda.*
8. *Solvitur tertia.*
9. *Solvitur quarta.*
10. *Antecedens concupiscentia liberum minuit.*
11. *Concupiscentia antecedens non ita minuit peccatum, ut e mortali faciat veniale.*
12. *Superius dicta intelligenda sunt de concupiscentia gravi, non vero gravissima.*
13. *Concupiscentia consequens auget voluntarium imperfectum: perfectum ex una parte auget, ex altera minuit.*
14. *Solvitur objectio.*
15. *Quae fiunt ex concupiscentia consequente ex certa malitia fiunt.*

1. Concupiscentia definitur a pluribus motio appetitus sensitivi bonum sensibile prosequentis, ac malum sensibile refugientis. Verum in hac definitione duo videntur delenda, hoc est 1.° ly bonum sensibile persequentis, cum appetitus sensitivus nonnisi in bonum sensibile tendat. 2.° ly malum sensibile refugientis, quia malum sensibile refugere, ac aversari effectus timoris est, et ad metum pertinet, neutiquam vero ad concupiscentiam, ut docet S. Thomas (1); quare nihil mirum si ab eodem sancto Doctore (2) simpliciter definiatur concupiscentia motus appetitus sensitivi.

(1) 1. 2. *q.* 42. *art.* 1.
(2) 1. 2. *q.* 77. *a.* 6.

2. Concupiscentia duplex est: antecedens altera, quae voluntatis actum omnem antevertit, in eumque influit, ut cum, viso inimico, statim excitatur appetitus vindictae: consequens altera, quae ex praecedenti actu voluntatis consequitur, ut si quis legat obscoenos libros, ut excitet inde in se libidinem.

3. Deinde concupiscentia sive antecedens sit, sive consequens, alia gravis dicitur, quae usum rationis aliquantisper turbat, alia gravissima, quae omnino eum tollit.

An concupiscentia tollat voluntarium.

4. ℟. 1.° Antecedens concupiscentia voluntarium imperfectum auget; voluntarium enim imperfectum constat ex voluntatis propensione, et imperfecta finis cognitione. Porro antecedens concupiscentia 1.° auget propensionem voluntatis, quia facit, ut voluntas praevia cognitione finis feratur in objectum impetu, et inclinatione majori, quam si deesset concupiscentia, ut experientia docet. Auget etiam cognitionem finis in ratione boni concupiscibilis, ac delectabilis, intenditque cognitionem motivorum, quae voluntatem in rem gratam, et jucundam inclinant; ergo auget voluntarium imperfectum.

5. ℟. 2.° Antecedens concupiscentia

ex altera parte auget, ex parte altera minuit voluntarium perfectum; ad voluntarium enim perfectum duo concurrunt, hoc est propensio voluntatis, et cognitio singulorum, in quibus est actio, nimirum cognitio objecti, finis, et circumstantiarum, quae illam comitantur. Porro antecedens concupiscentia propensionem voluntatis auget, facitque, ut intellectus apprehendat clarius, quod est delectabile in objecto sensibili, illud voluntati exhibeat sub majoris boni specie, atque adeo ut voluntas in idem intensius feratur; minuit vero cognitionem eorum, in quibus est actio, quia impedit, quo minus mens consideret circumstantias singulas ad actum pertinentes, puta scandalum, damnum etc., cum intellectum detineat in vivida apprehensione objecti ut delectabilis tantummodo; ergo concupiscentia antecedens ex altera parte auget, ex altera vero minuit voluntarium perfectum. Quia tamen in voluntario potissimum consideratur voluntatis inclinatio, hinc plures Theologi una cum D. Thoma (1) asserunt concupiscentiam magis facere aliquid voluntarium.

(1) 1. 2. *q.* 6. *a.* 7.

Obj. 1.° Ex D. Thoma (1). Antecedens concupiscentia eam ob rem minuit peccatum, quia minuit voluntarium; ergo voluntarium non auget.

(1) 1. 2. *q.* 77. *a.* 6.

6. ℟. D. Thomas sumit ibi voluntarium pro libero, ut patet ex his ejus verbis antecedentibus: *Peccatum consistit essentialiter in actu liberi arbitrii . . . . appetitus autem sensitivus potest se habere ad liberum arbitrium, et antecedenter, et consequenter.*

Instabis. Non potest minui liberum, quin minuatur voluntarium; ergo, si ex infra dicendis minuitur liberum, minuitur voluntarium. Prob. subs. Quod minuit speciem, minuit et genus; atqui concupiscentia minuit liberum, quod est species voluntarii; ergo necesse est, ut minuat et voluntarium.

7. ℟. Liberum non esse speciem voluntarii; ut enim supra notavimus, divisio voluntarii in necessarium, et liberum, non est divisio generis in species suas, sed subjecti in sua accidentia. Deinde falsum est, minuta specie, minui quoque genus: sic albedo in pariete minui potest in ratione albedinis, quin tamen minuatur in ratione coloris.

Obj. 2.° Metus est causa involuntarii secundum quid; ergo et concupiscentia; ut enim qui timet, agit, quod non ageret remoto metu; ita qui concupiscentia vincitur, agit, quod non geret, ni saeviret concupiscentia.

8. ℟. Neg. conseq., et parit. Disparitas est, quia objectum concupiscentiae est bonum, timoris vero est malum. Quare concupiscentia ex se non inducit quidpiam voluntati repugnans; at metus hoc plane inducit. Hinc D. Thomas (1) inquit:

Et ideo, quod per metum agitur, quodammodo est involuntarium, sed quod per concupiscentiam agitur, nullo modo.

(1) 1. 2. *q.* 6. *a.* 7. *ad* 2.

At Inquies. Avarus libidinosus, qui pecuniam tradit mulieri ad obtinendam ejus corporis copiam, patitur involuntarium, ac repugnantiam, dum eidem largitur pecuniam; ergo etc.

9. ℟. hanc, ut ita loquar, involuntarietatem non oriri a concupiscentia libidinis, sed per accidens, quia pecuniae cupiditate tenetur avarus, admisceri aliquid involuntarii in iis, quae fiunt ex concupiscentia; at involuntarium, quod deprehenditur in iis, quae fiunt ex metu, a metu ipso proficiscitur.

10. ℟. 3.° Antecedens concupiscentia minuit liberum; nam eo major est libertas, quo plenior ad utrumlibet indifferentia; sed indifferentiam hanc minuit concupiscentia, tum quia rationem perturbat, nec sinit, ut agendi, et non agendi argumenta aequa lance perpendantur; ob eamque rem minuit indifferentiam judicii; tum etiam quia voluntatem in alterutram partem inclinat, et ob id minuit indifferentiam electionis; ergo minuit liberum: si minuit liberum, ergo et culpam minuat necesse est; peccatum enim, ut docet S. Thomas (1) in actu liberi arbitrii consistit essentialiter.

(1) 1. 2. *q.* 77. *a.* 6.

An antecedens concupiscentia ita minuat peccatum, ut e mortali fiat veniale.

11. ℟. Regulariter loquendo negative; antecedens enim concupiscentia non impedit, quominus ratio deliberans ejus motibus occurrere, atque obsistere possit; *Potest enim*, inquit S. Thomas (1), *excludere, vel saltem impedire passionem; unde si non occurrat est peccatum mortale.* Quare Apostolus (2) ajebat: *Cum essemus in carne, passiones peccatorum operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti*, hoc est fructus peccatorum parerent, qui nos ducerent ad mortem aeternam.

(1) 1. 2. *q.* 77. *a.* 8.

(2) *ad Rom.* 7. *v.* 5.

Dixi *regulariter loquendo*, quia sicut ex D. Thoma (1) passio quandoque aufert omnem rationis usum, ita quandoque potest relinquere cognitionem similem cognitioni semidormientium, ut contingere potest in motibus secundo primis, circa quos perfecta non suppetat advertentia, plenusque consensus.

(1) 1. 2. *q.* 6. *a.* 7. *ad* 3.

12. Ceterum, quae huc usque dicta sunt, intelligi debent de concupiscentia gravi, non vero gravissima, *sicut contingit in his*, ut inquit D. Thomas (1), *qui propter vehementem iram, vel concupiscentiam furiosi, vel amentes fiunt, sicut et propter aliquam aliam perturbationem corporalem*; in his enim, cum nullus sit rationis motus, neque adeo voluntatis, sed sola passio dominetur, non secus ac in brutis, quae impetum passionis ex necessitate sequuntur, passio hujus-

modi tollit voluntarium; *nec tamen*, ait S. Thomas (2), *proprie esset ibi involuntarium, quia in his, quae usum rationis non habent, nec voluntarium est, nec involuntarium.*

(1) 1. 2. *q.* 10. *a.* 3.

(2) 1. 2. *q.* 6. *a.* 7. *ad* 3.

An concupiscentia consequens augeat voluntarium.

13. ℟. Concupiscentia consequens auget voluntarium imperfectum; perfectum autem ex altera parte auget, ex altera minuit ob rationes superius adductas, ubi de antecedenti concupiscentia. Sunt, qui dicant, concupiscentiam consequentem non augere voluntarium ullo modo, quia consequitur voluntarium, et ejusdem effectus est. Verum aliter nobis videtur; sic dum quis v. g. legit libros obscoenos, ut inde sentiat concupiscentiae motus, lectio haec in voluntate hos motus, seu libidinem excitat; excitata libido facit, ut voluntas majori cum impetu in gratum objectum feratur; ideoque auget voluntarium.

At dices. Si concupiscentia consequens minuit aliqua ex parte voluntarium, minuit et peccatum.

14. ℟. negative; quamvis enim concupiscentia consequens minuat aliqua ex parte voluntarium ex parte cognitionis; haec tamen imminutio voluntarii ex parte cognitionis in concupiscentia consequente oritur a voluntate ipsa, quae vult hanc imminutionem, et aliunde auget voluntarium ex parte propensionis; ideoque concupiscentia consequens non minuit, sed auget peccatum. Hinc S. Thomas (1) inquit: *Passio consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati, et sic verum est, quod quanto aliquis majore libidine, vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat.*

(1) 1. 2. *q.* 77. *art.* 6. 7.

An quae fiunt ex concupiscentia consequente, fiant ex certa malitia.

15. ℟. affirmative; non enim tunc voluntas vi concupiscentiae, ac passionis cedit, sed ipsamet voluntas est, quae cupiditatis motum, ac concupiscentiam excitat, et inflammat studio, ac desiderio peccandi; quo sane nihil malitiosius, nihil iniquius excogitari potest.

APPENDIX DE HABITIBUS.

SUMMARIA.

1. *Habitus definitio traditur.*
2. *Habitus auget peccatum.*
3. *Habitus non minuit libertatem.*
4. *Solvitur objectio.*
5. *Peccans ex habitu, peccat ex certa malitia.*
6. *Peccata ex habitu vitioso retractato prodeuntia non sunt imputabilia.*

Quamquam ea, quae de habitibus a Theologis traduntur, facile intelliguntur ex dictis de concupiscentia consequente; juverit tamen

in hac re morem aliis gerere, et quae communiter traduntur, claro in lumine collocare.

1. Habitus vulgo definiri solet quaedam agendi facilitas, et promtitudo iteratis actibus comparata, quae ad quidpiam agendum maxime juvat, et incitat.

An habitus voluntarium augeat.

2. ℟. Habitus auget quidem voluntarium ex parte propensionis, minuit tamen ex parte cognitionis; ut dictum est de concupiscentia consequente; at quia imminutio cognitionis profluit a voluntate, et aliunde, quia voluntarie comparatus (habitus) auget propensionem voluntatis in objectum malum, ac voluntati tribuit promtitudinem ad agendum, et omnem voluntatis repugnantiam tollit, hinc non modo non minuit, sed auget peccatum.

An habitus minuat saltem libertatem.

3. ℟. negative, quia licet inclinet voluntatem in unam potius partem, quam in alteram, atque inde minuatur physice indifferentia; quia tamen libere acquisitus est, ac libere conservatur, ipsamet etiam major inclinatio in unam partem ab habitu profluens libera est, si minus physice, saltem moraliter ex principio suo, sicuti concupiscentia consequens.

Objicies forte Augustinum, qui (1) habitum, et consuetudinem peccandi appellat necessitatem; atque etiam illud effatum: consuetudo, et habitus vertitur in naturam.

(1) *Lib.* 8. *Confess. cap.* 5.

4. ℟. D. Augustinum intelligendum non esse de necessitate physica, cui resisti non potest; sed de necessitate morali, cui quidem resisti potest, tametsi non sine magna difficultate id fiat; ut patet ex his Augustini (1) verbis: *Et tamen etiam ipsam consuetudinem, si se quisque non deserat, et Christianam militiam non reformidet, Deo duce, atque adjutore superabit*. Hoc sensu intelligendum est laudatum effatum.

(1) *Lib.* 1. *de serm. Dom. in monte cap.* 23.

An qui peccat ex habitu, peccet ex certa malitia.

5. ℟. affirmative, quia ex plena omnino voluntate, et libertate peccat; imo gravius peccat, quam qui sine habitu peccat; nam ex altera parte non minori libertate, ex altera vero majori propensione, et inclinatione voluntatis peccat, quam alter; ob eamque rem S. Thomas (1) aperte ait: peccantem ex habitu peccare ex certa malitia.

(1) 1. 2. *q.* 78. *a.* 2.

An si habitus vitiosus retractatus fuerit per veram poenitentiam, censenda sint voluntaria, ac proinde imputabilia, si quae post vi habitus peccata excidant.

6. ℟. Si vi habitus peccata excidant, puta blasphoemiae proferantur, non sunt imputabilia, quia non sunt voluntaria nec in se, nec in causa: non in se, quia fiunt sine cognitione; cum homo, ut supponitur, vi

habitus jam sufficienter retractati in haec labatur: non in causa, quia haec in hypothesi fuit retractata.

ARTICULUS IV.

De Ignorantia.

SUMMARIA

1. *Unde petenda definitio, et divisio ignorantiae.*
2. *Ignorantia antecedens tollit voluntarium, imo causat involuntarium simpliciter.*
3. *Concomitans ignorantia reddit opus nec voluntarium, nec involuntarium, sed non voluntarium.*
4. *Ignorantia consequens non tollit voluntarium simpliciter.*
5. *Ignorantia consequens causat involuntarium secundum quid.*
6. *Ignorantia affectata proprie loquendo non auget voluntarium.*
7. *Solvitur 1.ª objectio.*
8. *Solvitur altera objectio.*
9. *Corollaria quaedam eruuntur.*

1. Ignorantiae definitionem, ac divisionem hic non tradimus, cum de iis satis actum sit tom. 1. pag. 312. et sequentibus.

An ignorantia tollat voluntarium.

2. ℟. 1.° Antecedens ignorantia tollit voluntarium, imo causa est involuntarii simpliciter. Tollit voluntarium, quia opus ex illa procedens fit sine cognitione, ac propensione voluntatis; nihil enim esse potest volitum, quin praecognitum, uti fert commune adagium. Causa vero est involuntarii simpliciter, ut inquit D. Thomas (1). Nam involuntarium simpliciter illud est, quod est contra totalem inclinationem voluntatis. Jam vero antecedens ignorantia est contra inclinationem sive actualem, sive habitualem, sive interpretativam agentis; non enim vellet agere, si abesset ignorantia; ergo antecedens ignorantia tollit voluntarium, et causa est involuntarii simpliciter.

(1) 1. 2. *q.* 6. *a.* 8.

3. ℟. concomitans ignorantia facit opus nec voluntarium, nec involuntarium, sed non voluntarium: non facit opus voluntarium simpliciter, quia opus ex ea profluens fit sine cognitione, seu cum ignorantia, quae nec in causa sua voluntaria est, cum sit invincibilis: nec facit opus involuntarium simpliciter; ad involuntarium enim simpliciter requiritur, ut quod fit, sit contra inclinationem voluntatis. Jam vero quod fit ex concomitante ignorantia, non est contra inclinationem voluntatis; qui enim hac ignorantia laborans agit, sic censetur actualiter, vel virtualiter affectus, ut opus idem peragere vellet, si abesset ignorantia, ut patet in eo, qui ratus se feram occidere, hostem occidit suum, quem revera tamen occideret, si hostem suum esse intelligeret; ergo concomitans ignorantia facit opus non voluntarium, quia fit sine cognitione ad voluntarium constituendum necessaria. Hinc S. Thomas (1) inquit:

Et talis ignorantia (concomitans) *non facit involuntarium*, *ut philosophus dicit*, *quia non causat aliquid*, *quod sit repugnans voluntati*, *sed facit non voluntarium*, *quia non potest esse actu volitum*, *quod ignoratum est.*

(1) 1. 2. *q.* 6. *a.* 8.

4. ℟. 3.° consequens ignorantia non tollit voluntarium simpliciter; ignorantia enim consequens, ut ex definitione constat, est simpliciter voluntaria directe, vel indirecte; ergo etiam opus ab ea profluens erit voluntarium simpliciter; qui enim vult causam alicujus effectus, vult in ea causa et effectum eundem.

An inquies. Quod opus fit ex ignorantia consequente, fit sine cognitione; ergo est involuntarium.

5. ℟. fieri quidem sine cognitione directa, et in se, non tamen sine cognitione indirecta, et in causa sua, hoc est in negligentia discendi.

6. ℟. 4.° ignorantia consequens causa est involuntarii secundum quid, si sit indirecte volita; quia quod fit ex hac ignorantia, est contra aliqualem inclinationem voluntatis; si enim abesset ignorantia, opus non fieret: si autem sit directe volita, nempe affectata, et sic, ut si abesset, opus nihilominus fieret, puta si quis scientiam repudiet, non ut ea praesente a peccato abstineat, sed solum ut sine conscientiae remorsu peccet, tunc evidens est, opus non esse involuntarium secundum quid.

An affectata ignorantia voluntarium augeat.

7. ℟. proprie loquendo affectata ignorantia non auget voluntarium, quia effectus est voluntarii. Quare dicendum potius est, eam signum esse intensi voluntarii, quam augere voluntarium.

Dices, concupiscentiam consequentem, licet sit effectus voluntarii, tamen augere voluntarium.

8. Respondetur, concupiscentiam excitatam a voluntate in causa esse, ut voluntas majori cum impetu feratur in objectum delectabile, adeoque auget voluntarium; at ignorantia consequens affectata non efficit, ut voluntas magis tendat in objectum delectabile: non prout est simpliciter ignorantia, quia hoc modo considerata tollit potius propensionem voluntatis, quam inducat, cum nihil sit volitum, quin praecognitum: non prout est affectata; sic enim considerata est eadem adhaesio peccato, seu idem voluntarium culpabile, quod semet augere non potest.

Ergo, inquies, affectata ignorantia non augebit peccatum, quod est contra communem Theologorum sententiam, et contra ipsummet D. Thomam, qui ita scribit (1): *Cum aliquis directe vult ignorare*, *ut a peccato per scientiam non retrahatur*, *talis ignorantia non excusat peccatum*, *nec in toto*, *nec in parte*, *sed magis auget*; *ex magno enim amore peccandi videtur contingere*, *quod aliquis detrimentum scientiae pati velit ad hoc*, *quod libere peccato inhaereat.*

(1) *Quaest.* 3. *de malo art.* 7.

9. ℟. affectatam ignorantiam hoc sensu peccatum augere, quatenus signum est intensae adhaesionis ad illud, et contemtus Dei juxta illud (1): *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*; non autem hoc sensu, quatenus subinde augeat voluntarium, uti facit concupiscentia consequens, cum affectata ignorantia nihil aliud sit, quam voluntas liberius peccandi conjuncta cum ignorantia malitiae, quae fit.

(1) *Job.* 21. ℣. 14.

10. Ex dictis colligas: antecedens ignorantia excusat a peccato, quia reddit opus involuntarium simpliciter: concomitans etiam opus excusat ab omni peccato, quia fit cum ignorantia invincibili; non tamen excusat voluntatem, quia non tollit omnem affectum, seu adhaesionem ad peccandum. Quare qui occidit hostem suum, ratus se occidere feram, sic tamen animo affectus; ut occidisset inimicum, si eum cognovisset, externi homicidii reus non est, quia homicidium, ut supponitur, patratum est ex ignorantia invincibili, et ob id in Dioecesi nostra non incurreret reservationem, nec irregularitatem a jure communi latam, nec alias poenas, si extarent, quia hae in opus externum feruntur; at conscius est interni homicidii ob pravam, quam gerit in animo inimici occidendi, voluntatem. Demum ignorantia consequens a peccato non excusat, quia non tollit voluntarium; minuit tamen peccatum, si pure consequens sit, quia est haec contra aliqualem inclinationem voluntatis; auget vero, si sit affectata, quia licet aliquando possit esse contra aliqualem inclinationem voluntatis, itaut opus non fieret, si abesset ignorantia; intentio tamen, et adhaesio voluntatis ad peccandum, quae conspicitur in eo, qui affectata ignorantia tenetur, augere peccatum debet.

CAPUT IV.

De Libertate.

Caput hoc in duos dividimus articulos, in quorum primo sermo instituetur de libertate indifferentiae, seu a necessitate; in secundo autem de libertate ad merendum, vel demerendum necessaria.

ARTICULUS I.

De libertate indifferentiae.

SUMMARIA

1. *Libertas in genere definitur.*
2. *Libertas alia est a servitute mortis, alia a servitute peccati.*
3. *Libertas alia a coactione, alia a necessitate.*
4. *Libertas indifferentiae, seu a necessitate alia contradictionis, alia contrarietatis, alia specificationis.*
5. *Necessitas quid sit aperitur; haecque* 1.° *alia est naturalis, alia coactionis.*
6. 2.° *Alia antecedens, alia absoluta.*

1. Libertas opponitur servituti, ac subjectioni. Hinc libertas generatim exemtio est, seu immunitas a servitute, ac subjectione; totque modis accipitur, quot servitus, ac subjectio.

2. Itaque prima libertas est a miseria, quae duplex intelligitur, altera nimirum a servitute mortis, et corruptionis, quae dicitur libertas gloriae, de qua Apostolus (1): *Creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*; altera vero a servitute peccati, quae dicitur libertas gratiae, de qua idem Apostolus (2): *Cum servi essetis peccati, liberi facti estis justitiae.*

(1) *Rom.* 8. *v.* 21.

(2) *Rom.* 6. *v.* 20.

3. 2.° Libertas alia est a coactione, estque immunitas ab omni violentia, seu ab omni principio extrinseco determinante ad aliquid contra voluntatis propensionem; unde haec libertas excludit quidem extrinsecum principium ad agendum impellens; non tamen interiorem necessitatem. Hac libertate Deus amat se ipsum, et Pater in divinis generat Filium, et cum Filio producit Spiritum Sanctum: eadem amat homo beatitudinem suam in via, Deum in patria. Alia est libertas a necessitate, estque immunitas ab omni principio necessario determinante ad unum. Unde per hanc homo indifferens est ad agendum, vel non agendum, et ad agendum hoc, vel illud, vel contraria.

4. Libertas haec indifferentiae, seu a necessitate, alia est contradictionis, alia contrarietatis, alia specificationis. Prima ea est, qua homo potest agere vel non agere, v. g. studere, vel non studere: dicitur libertas contradictionis, quia contra-

dictoria sibi sunt agere, et non agere: dicitur etiam libertas exercitii, quia per eam potest homo actum exercere, vel non exercere. Altera est ea, qua potest homo suscipere actiones inter se contrarias, puta amare, vel odio habere. Tertia ea est, qua homo potest tendere in actiones specie diversas, v. g. studere, vel ludere.

5. Libertati opponitur necessitas, quae definitur determinatio ad unum. Haec multiplex est; 1.° enim alia est necessitas naturalis, alia coactionis. Prima definitur determinatio, seu propensio voluntatis a natura indita ad aliquid prosequendum, vel fugiendum sine ulla electione: talis est necessitas, qua quis suam beatitudinem prosequitur. Altera vero definitur determinatio a principio extrinseco ad aliquid contra propriam inclinationem, ut cum quis nolens truditur in carcerem.

6. 2.° Alia est necessitas antecedens, seu absoluta, consequens alia, seu hypothetica. Haec liberam voluntatis determinationem sequitur: sic necesse est ambulare, cum quis se determinavit ad ambulandum. Illa vero est, quae praevertit rationis, et voluntatis usum, ut fit in motibus primo primis, et dicitur involuntaria, seu indeliberata.

7. 3.° Alia est specificationis, alia exercitii. Prima est determinatio ad unam actus speciem sine ulla potestate ad oppositum: sic Christus ita ferebatur in bonum, ut in malum nullo modo tendere posset. Haec necessitas specificationis ad unum non impedit libertatem exercitii circa idem: sic Christus, quamvis necessario tenderet in bonum, poterat tamen hoc, vel illud bonum eligere. Secunda est determinatio ad unum, eumdemque actum sine ulla potestate ab eo abstinendi: sic Deus abstinere non potest ab amore sui. Qui hac necessitate premitur circa unum actum, circa alia liber esse potest: sic Deus, qui semetipsum necessasio amat, libere diligit creaturas.

8. 4.° Necessitas alia physica est, alia moralis. Physica, cui nullo modo resisti potest. Moralis, cui resisti quidem potest, sed non sine magna difficultate: hujusmodi est necessitas, quae inveteratis habitibus contracta est.

9. Multi circa humanam libertatem fuerunt errores, alii eam penitus abstulerunt, alii plus aequo erexerunt. Sustulerunt in primis Stoici ex fato, putantes humanam libertatem fato subjectam esse. Sustulerunt 2.° Astrologi ex Syderum influxu. Sustulerunt 3.° Manichaei duplicem admittentes animam, bonam unam, et malam alteram, ita ut quae fortior esset, alteram necessario compelleret ad agendum: nempe bona, si vinceret, malam compelleret ad bonum; si vero victrix mala existeret, bonam ad malum necessario adigeret. 4.° Sustulerunt Lutherani, et Calviniani docentes, libertatem peccato primi hominis penitus exunctam esse. 5.° Su-

stulerunt Bajus, et Jansenius juxta plures admittentes quidem libertatem a coactione, uti Lutherani, et Calviniani, libertatem tamen a necessitate negantes. 6.° tandem negarunt plures Increduli, inter quos Hobbesius, Spinosa, Colinius, Baylius, qui omnem a necessitate libertatem evertere studuerunt argumentis ductis ex humanae mentis natura, et conditione, cui libertatem a necessitate repugnare ostendere conati sunt.

Ex adverso libertatem arbitrii nimis extulerunt Pelagiani docentes, solis naturae viribus hominem aeque bonum, ac malum peragere posse: docentes insuper, liberum arbitrium nullo modo laesum fuisse originali peccato, sed in aequilibrio positum aequalibus viribus, ac in statu innocentiae, pollere sive ad bonum, sive ad malum peragendum.

10. Antequam accedamus ad demonstrandum inesse homini libertatem arbitrii, notandum, libertatem contrarietatis (intellige eam, qua potest homo eligere duo media contraria, quorum alterum conducit ad finem, alterum vero non conducit, non autem eam, qua potest homo eligere duo media, quae licet sint inter se contraria, sunt tamen ad finem ordinabilia, ut virginitas, et castitas conjugalis) ad naturam, et perfectionem libertatis non pertinere, sed potius ejus esse defectum, et imperfectionem. Hinc D. Thomas, inquit (1): *Quod liberum arbitrium eligat divertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum libertatis*. Sic Deus extra se liber est, licet in malum tendere non possit: sic Christus liber erat, quamvis malum agere non posset. Quare quoties in Sacris Literis liberum arbitrium describitur potens ad bonum, et ad malum, ejus essentia non describitur, sed solum pro ut in hominibus nunc existit.

(1) *Prima parte q. 62. art. 8. ad 3.*

Inesse homini lapso libertatem a necessitate veritas fidei est, quae probatur 1.° ex Sacris Literis; et in primis sic Deus (1) Cain alloquitur: *Quare iratus es, et cur concidit facies tua? nonne si bene egeris, recipies* (mercedem boni operis)? *Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus* (peccati), *et tu dominaberis illius*: quid clarius ad ostendendam arbitrii libertatem afferri unquam potest? Et alibi (2): *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui; adjecit mandata, et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te . . . . apposuit tibi aquam, et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam: ante hominem vita, et mors, bonum, et malum; quod placuerit, dabitur illi.* Jam vero haec verba non ad solum innocentem Adamum, ut placet Calvino, sed etiam ad hominem lapsum sunt referenda; primo enim Ecclesiasticus monet Judaeos tunc viventes, ne dicerent, per Deum stare, quominus ipsi bene, ac sapienter vitam instituerent: *Non dixeris*, inquit,

per Deum abest; quae enim odit, ne feceris. Secundo quia idem Ecclesiasticus (3) sic loquitur de hominibus tunc viventibus: *Erit illi gloria aeterna, qui potuit transgredi, et non est transgressus facere mala, et non fecit*. Ut mittam alia plura, Paulus (4) scribit, penes patrem esse aut virginem suam servare, aut matrimonio jungere, *quia non habet necessitatem, sed potestatem suae voluntatis*.

(1) *Gen.* 4. *v.* 7.

(2) *Eccles.* 15. *v.* 14.

(3) *Cap.* 31. *v.* 10.

(4) 1. *ad Corinth. cap.* 7. *v.* 37.

Hinc Conc. Trid. (1) hanc veritatem sic definivit: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti: . . . . anathema sit*: et alibi (2): *Si quis liberum hominum arbitrium post Adae peccatum amissum, et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.*

(1) *Sess. 6. can.* 4.

(2) *Ibidem can.* 5.

11. Probari 2.° potest ex Patribus. Unum tamen instar omnium sufficiat audire Augustinum, quem suum esse constanter affirmant Protestantes. Hic ita scribit (1): *Esse liberum arbitrium, atque inde peccare quemque, si velit, non peccare, si nolit . . . . audi Dominum dicentem: aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, et fructum ejus malum. Cum ergo dicit: aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam . . . Habet unusquisque in voluntate aut eligere, quae bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere, quae mala sunt, et esse arbor mala.* Quid luculentius?

(1) *Lib.* 1. *de Actis cum Felice Manichaeo cap.* 3.

Mitto alia testimonia D. Augustini, quae commode videri possunt apud Auctores: juverit potius libertatem a necessitate contra Incredulos ex ratione demonstrare; et 1.° ex consensu omnium gentium.

12. *Liberum arbitrium*, sic scribit Fenelonius post Augustinum, *cantant in montibus pastores, in theatris poetae, indocti in circulis, docti in bibliothecis, et scholis, Antistites in sacris, in orbe universo omne genus humanum.* Et sane apud omnes populos in usu sunt leges, pacta, et foedera; quorsum autem haec; si eadem necessitate, qua servantur, eadem frangantur? numquid eadem necessitas, qua constringerentur homines, non esset quavis lege, pacto, aut foedere fortior?

13. Id evidenter ex sensu intimo demonstrari quoque potest. Sensu intimo constat, aliter nos prosequi felicitatem nostram, aliter particularia bona: in eam insito quodam pondere ita rapimur, ut non possimus non maximopere appetere; in haec vero totam libertatem exercere conscii sumus; si quis enim semetipsum

interroget, num velit esse beatus, statim sentiet, nullam sibi moram esse relictam ad deliberandum, atque ineluctabili necessitate ferri ad volendam, appetendamque felicitatem suam; at si huic proponatur, utrum velit sedere, an ambulare, sentit profecto, posse se parti uni sic assentiri, ut, si velit, assensum suum denegare queat, in aliamque partem concedere. Quorsum ita, nisi quia in particularia bona totam, in felicitatem vero nostram plane nullam exercemus libertatem?

At inquiet aliquis: quidquid agimus, felicitatis nostrae gratia profecto agimus; hoc est ut eam assequamur; ergo si felicitatem nostram necessario appetimus, quidquid agimus, necessario agimus.

14. ℟. Hoc argumentum aliquid probaret, si una tantum ratione, ac via posset homo in felicitatem suam tendere; at plures viae sunt, ac rationes ad id ducentes, nec quis ulla necessitate adigitur ad hanc potius, quam alteram viam ineundam. Ita respondet D. Thomas (1).

(1) *Q.* 6. *de malo. art.* 9., *et* 1. 2. *q.* 13. *art.* 6. *ad* 1. *et* 2.

Ergo Justus, repones, intelligens, observantiam mandatorum esse necessariam ad finis ultimi consecutionem, circa eandem exercere nullam libertatem poterit.

℟. horum, vel illorum praeceptorum observantiam non habere necessariam connexionem cum fine ultimo, ita ut si hoc, vel illud praeceptum justus non observaverit, nulla via possit amplius felicitatem adipisci suam; justum enim non satisfacientem huic, vel illi praecepto potest postmodum poenitere, sicque consequi suum finem ultimum.

Argumentum aliud sic instituitur: quoties aliquid nostris indulgentes cupiditatibus agimus, quod rectae rationi, legique aeternae adversatur, variis perturbamur affectibus sane molestissimis, hoc est pudore ob patrati criminis foeditatem, indignatione quadam in nosmetipsos, ac metu impendentium poenarum, ex quibus affectibus procedit angor ille animi, qui conscientiae morsus nuncupatur. Porro affectus hi sunt totidem naturae voces, quibus admonemur, integram fuisse nobis a patrando crimine abstinendi libertatem. Quoniam vero non desunt homines, qui ob diuturnam peccandi consuetudinem conscientiae tam retusae, ac consopitae sunt, ut ejusmodi affectus minime sentiant, his objici affectus ii possunt, qui nobis etiam invitis obrepunt in animum, ubi ab alio injuriis afficimur: si amens quispiam, aut furiosus conviciis, ac maledictis excipiat nos, non irascimur, non indignamur, sed potius commiserationis affectus in nobis excitatur erga hominem, qui eo, quod in homine optimum est, nimirum ratione uti non potest; contra vero si ab alio, qui sanae mentis sit injuria nobis inferatur, ira profecto in animo statim oritur, et ulciscen-

di cupiditas eo vehementior, quo gravior, atque atrocior injuria est; quorsum vero ita? nempe quia natura docente intelligimus, in amente, aut furioso nullam, in sanae mentis homine totam libertatem existere. Itaque si sensus intimus vix vix consulatur, inde cuique apertissime constat, pollere se libertate arbitrii. His constitutis:

Ex intimo sensu constat, nobis indifferentiae libertatem inesse, non secus ac nobis constet, nos vivere, intelligere, velle, dolorem sentire etc., ergo liberi sumus: si consecutio haec legitima non est, omnia corruunt principia, corruunt demonstrationes omnes, evidentia nulla amplius est, atque in absolutum Pyronismum, ac Scepticismum dilabimur. Enim vero unde, quaeso, nobis constat, duo duobus addita efficere quatuor, totum majus esse sua parte, aliaque id genus innumera, nisi quia rem ita constare, nec aliter, sensu intimo percipimus? Dixeris ne, hunc intimum sensum ab educatione, aliorumque hominum traditione ortum suum trahere? at vero si res ita se habet debemus et idem dicere de intimo sensu, quo principia metaphysica, et inde consecutiones deductas cognoscimus, ac possemus considerationis, et meditationis ope hunc intimum sensum exuere, sive in ordine ad libertatem, sive in ordine ad principia metaphysica, uti facimus in falsis opinionibus, quibus animum a pueritia imbuimus; at tantum abest, ut considerationis, ac meditationis subsidio intimum nostrae libertatis sensum exuere possimus, ut vividiorem experiamur in dies, uti clariorem in dies adipiscimur principiorum cognitionem.

Obj. 1.° Non habet homo in potestate vias suas juxta illud Jeremiae (1): *Scio Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus suos*; ergo liber non est.

(1) *Cap.* 10. *v.* 23.

14. ℟. Cum D. Thoma (1), hominem non habere in potestate vias suas *quantum ad executionem electionum*, quia saepe accidit, ut nequeat exequi, quae sibi proposuit, Deo aliter disponente; habere tamen in potestate vias suas quoad intentionem, propositum, mediorum electionem: atque huic interpretationi favent haec alia scripturae verba (2); *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus*.

(1) 1. *p. q.* 83. *art.* 1. *ad* 4.

(2) *Prov.* 16. *v.* 9.

Instabis. Homo non facit quod vult, sed potius facit, quodnon vult; *Non enim*, inquit Apostolus (1), *quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*; ergo non habet homo in potestate vias suas quoad intentionem, et mediorum electionem.

(1) *Ad Rom.* 7. *v.* 15.

15. ℟. hominem non facere, quod vult quoad sensum; sentit enim motus concupiscentiae, quos sentire

nollet; facere tamen, quod vult quoad consensum; nam *consentire, vel dissentire proprie voluntatis est*, inquit Augustinus (1). Quamobrem subdit Apostolus: *Si quod nolo malum illud facio, jam non ego operor illud.*

(1) *De spiritu, et litera.*

Instabis. Ille non facit, quod vult, etiam quoad consensum, cujus non est velle, nec currere; atqui ex Apostolo (1) *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*; ergo etc.

(1) *Ad Rom. 9. v. 16.*

16. ℟. salutem hominum non pendere ab eorum solum voluntate, sed principaliter proficisci ex Dei gratia, et misericordia; et in hoc sensu loquitur Apostolus: *Dicendum*, inquit S. Thomas (1), *quod verbum illud Apostoli non sic est intelligendum, quasi homo non velit, et non currat libero arbitrio, sed quia liberum arbitrium ad hoc non est sufficiens, nisi moveatur, et juvetur a Deo.*

(1) 1. *p. q.* 83. *art.* 1. *ad* 2.

Obj. 2.° Haec Scripturae verba (1): *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum: Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis*; sicut igitur nulla intelligi potest libera lapidis cooperatio, si verti debet in carnem, sic nulla in voluntate libertas, et cooperatio agnoscenda, cum e mala in bonam evadit: hac de causa non dixit Deus: faciam, ut in praeceptis meis ambulare possitis, sed ut ambuletis.

(1) *Ezech. cap.* 36. *v.* 26. 27.

17. ℟. similitudines non debere convenire in omnibus; alioquin essent identitates. In hoc autem stat comparatio: nempe sicuti lapis, si forte convertatur in carnem, nihil ex se ad sui mutationem conferre potest, ita et voluntas hominis ex se sola, et sine divinae gratiae subsidio salutari suae mutationi cooperari non potest; recipere tamen a Deo vim operandi per gratiam praevenientem, quia lapis rationabilis est, ut inquit S. Leo Magnus (1): *Lapides rationabiles sumus, et viva materies: sic nos Auctoris nostri extruxit manus, ut cum opifice suo etiam is, qui praeparatur, operetur.*

(1) *Serm.* 5. *in quadragesima.*

Quod pertinet ad ea verba: *faciam, ut in praeceptis meis ambuletis*, ostenditur quidem efficacitas divinae gratiae, sed haec efficacitas minime obest libertati arbitrii. *Certum est*, inquit Augustinus (1), *nos facere cum facimus, sed ille facit, ut faciamus praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis, et faciatis*. Id autem explicat mirifice D. Thomas (2) inquiens: *Voluntas divina non solum se extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet, sed etiam ut eo modo fiat, quo congruit naturae ipsius, et ideo magis repugnaret divinae motioni, si voluntas ex necessitate moveretur (quod suae naturae non com-*

petit) *quam si moveretur libere, prout competit suae naturae.* Hinc responsio sponte sua fluit ad reliqua loca, quae afferunt Heterodoxi ex sacris literis, nempe omnia, quae ad aeternam, salutem pertinent, fieri a Deo in homine, nihil hominem ad id conferre. Legitur quidem in sacris literis (3): *Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me*: at legitur etiam (4): *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Legitur insuper (5): *Deus est, qui operatur in nobis velle perficere pro bona voluntate.* At legitur quoque (6): *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini*; quibus admonemur, divinam operationem non excludere, sed arcessere liberi arbitrii cooperationem.

(1) *De gratia, et libero arbitrio cap.* 16.

(2) 1. 2. *q.* 10. *a.* 4. *ad* 1.

(3) *Ioannis* 6. *v.* 45.

(4) *Psalmo* 94. *v.* 8.

(5) *Ad philip.* 2. *v.* 13.

(6) *Ibidem v.* 12.

Opponunt Augustinum sic scribentem (1). *Non est dubitandum voluntati Dei voluntates humanas resistere non posse.*

(1) *De correptione, et gratia.*

18. ℟. Augustinum in allato testimonio locutum esse ex hypothesi, non absolute, ut sensus sit, non posse fieri, ut is resistat Dei voluntati, quo tempore voluntas ejus a Deo movetur, posse tamen absolute resistere; Deus enim voluntatem movet, quo modo semetipsam moveret. Porro si voluntas semetipsam moveret, ita se moveret, ut ab actu temperare possit, quandocumque vellet; sic Deus, qui movet hominis voluntatem, ita movet, ut ei relinquat copiam temperandi ab actu, quandocumque voluerit.

Opponunt iterum. S. Augustinus liberum arbitrium peccati causa interiisse docet; ait enim (1): *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*: et alibi (2): *Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit, et ipsum.*

(1) *Epist.* 217. *ad Vitalem.*

(2) *In Enchiridio cap.* 30.

19. ℟. D. Augustinus, quotiescumque cum Pelagianis disputans, liberum arbitrium nobis ereptum asserit peccato primi parentis, non loquitur de libertate electionis, seu de libertate a necessitate, sed de libertate equilibrii, aut de libertate a miseria, a concupiscentia, ab ignorantia, qua fruebatur Adam ante peccatum in paradiso; ita enim suam sententiam explicat inquiens (1): *Quis autem nostram dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana indiget divina gratia.* Et sane ex Augustino perdidit homo liberum arbitrium, quo modo perdidit se ipsum; atqui homo non perdidit se ipsum quoad substantiam,

ergo nec liberum arbitrium quoad substantiam.

(1) *Lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2.*

Ut Augustini mentem plenius assequamur, animadvertere debemus, controversiam illi fuisse, et cum Manichaeis, et cum Pelagianis. Manichaei nullam agnoscebant in homine libertatem arbitrii; Pelagiani e contra liberum hominis arbitrium sic extollebant, ut affirmarent, posse hominem sibi relictum solis naturae viribus Dei legem implere, ac salutem promereri. Verum s. Doctor inter haereticorum utrumque agmen veluti medius illud asserebat, in homine lapso liberum perstare arbitrium quoad substantiam acceptum, seu libertatem indifferentiae, ac electionis, quam negabant Manichaei, contendebatque adversus Pelagianos, liberum arbitrium a suo aequilibrio dimotum, in malum proclive, ad bonum sane debilitatum, atque infirmum nequaquam sufficere ad vitanda peccata, et ad bene agendum, sicut oportet, sed indigere gratia Reparatoris. Hinc ajebant (1): *Quis nostrum dubitat anathema dicere Manichaeis, et Pelagianis? non immerito anathema dicimus, qui tam sunt inimici, tantumque constituunt in libero arbitrio, quo in profundum demersus est homo, ut eo bene utendo dicant, hominem mereri gratiam, cum nemo bene illo uti possit, nisi per gratiam, quae non secundum debitum redditur, sed a Deo gratis miserante donatur.*

(1) *Contra duas epistolas Pelagian.*

Urgent 1°. S. Doctor (1) ait: *Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas.* Iam vero necessitas cum electionis, et arbitrii libertate consistere nequit; ergo quam per peccatum primi parentis ereptam dolens testatur Augustinus, ipsissima est electionis, arbitriique libertas.

℟. Augustinus intelligendus est de necessitate morali a vehementi voluntatis in malum propensione profluente; quam quidem necessitatem objiciebat S. Doctor Pelagianis affirmantibus, teste S. Prospero (1), hominem aeque in virtutes, ac in vitia propendere, et moveri. Porro haec moralis necessitas indifferentiam arbitrii non excludit, sexcentis enim in locis omnem necessitatem ad unum determinantem Augustinus explodit; inquit enim (2): *Liberum arbitrium, quo bene, vel male vivitur, propter justum judicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicamus.* Intelligi quoque potest Augustinus de necessitate, cui quisque subjicitur, contrahendi peccatum originale, in eoque manendi, nisi per Christi gratiam liberetur; idque colligitur ex ipsamet loquendi ratione, qua utitur S. Doctor; non enim dixit *secuta est peccantem peccandi necessitas, sed plane secuta est peccatum habendi necessitas.*

(1) *In epistola ad Augustinum.*

(2) *Lib. 2. contra Faustum.*

Urgent 2°. Augustinus in suis operibus totus est, ut impugnet liber-

tatem indifferentiae, tanquam basim, et fontem totius haeresis Pelagianae; ergo agnoscebat in homine lapso necessitatem, quae opponitur libertati indifferentiae.

℟. S. Augustinus totus est, ut impugnet libertatem indifferentiae in sensu Pelagianorum; neutiquam in sensu Catholicorum; Pelagiani enim, cum peccatum originale negarent, consequenter negabant, liberum arbitrium fuisse originali peccato sauciatum, ideoque propugnabant humanam voluntatem aequa vi ad virtutes, ac ad vitia movere se; sic enim Augustinus (1) scribit. *Pelagius ita paribus momentis potestatem voluntatis aequa lance perpendit, ut quantum ad peccandum, tantum etiam ad non peccandum valere definiat.* Hanc indifferentiae, seu aequilibrii libertatem impugnat Augustinus, non eam, quam nos statuimus, quaeque per Mediatoris gratiam sananda est.

(1) *Epist.* 186. *ad Paulinum c.* 10.

Urgent 3°. Augustinus (1) ait: *quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*; sed haec necessitas, qua pressi necessario sequimur, quod plus delectat nos, opponitur indifferentiae arbitrii, ac electionis; ergo existimavit S. Doctor, indifferentiam arbitrii, ac electionis in homine penitus periisse.

(1) *In caput* 5. *epist. ad Galatas.*

℟. D. Augustinus intelligendus est de delectatione deliberata, et consequente; atque adeo recte docet, quod plus delectat nos, id nos agere necessario, nimirum necessitate consequente liberam voluntatis electionem: sic necesse est nos amplecti, quod alteri rei anteponimus, quod prae re alia eligimus, in quo sistendum, et quiescendum statuimus: sic me loqui necesse est, dum loquor. At haec necessitas, ut patet, cum liberam voluntatis determinationem sequatur, ejus libertati non nocet. Si autem contendas, Augustinum loqui de delectatione indeliberata, Augustinus tunc intelligendus erit loqui de necessitate morali, seu de magna difficultate aliter agendi; docet enim ipsemet S. Doctor, hominem posse majori delectationi resistere: *Homo*, inquit (1), *etiam cum dolore magnam venandi delectationem potest cohibere.*

(1) *Lib.* 83. *quaestionum q.* 70.

Objicit ex ratione Collinius. Quatuor sunt actus, qui ad hanc quaestionem de libertate pertinent, hoc est perceptio idearum, judicium, velle, ac operari; at hi quatuor actus sunt necessarii; 1°. enim perceptio a necessaria impressione objectorum in sensus oritur. 2.° quod ad judicium attinet, propositio quaevis necesse est, ut appareat aut evidens, aut probabilis, aut dubia, aut falsa; nec magis fieri potest; ut non probabile judicem, quod probabile videtur mihi; quam ut judicem non rubrum, quod rubrum apparet. Ergo judicium est etiam necessarium. 3.° *velle* determinatur ob majoris boni objectam speciem,

quae in uno elucet prae alio. Quum vero eligere, sive unum alteri praeferre, nihil sit aliud, quam judicare, alterum esse altero probabilius, sequitur, ut voluntas nullam in electione retineat libertatem. 4.° demum, si nulla est in electione libertas, jam patet, nullam esse quoque in actione, quae sequitur electionem.

Responsio ad singula in promtu est: ad primum quod attinet, etsi concedimus, simplicem perceptionem esse necessariam, tamen attentio, qua mens magis, minusve defigitur in rerum consideratione, pendet a voluntate. Deinde verum non est, ex objectis externis tantum nos rerum ideas percipere; intellectus enim nativa vi sua ideas acceptas aliis, atque aliis modis versat, conjungit, separat, novas fingit, easdemque pro voluntatis arbitrio vel considerat, vel seponit.

Ad secundum errat Collinius, qui non distinguit judicium, quo animus quidpiam probabile judicat, a judicio, quo idem quiescit in eo, quod probabile videtur sibi; aliud enim est judicare, propositionem esse probabilem, aliud illi necessario adhaerere; quamvis enim nequeat mens nostra judicare non probabile, quod probabile videtur sibi; tamen potest propositionibus probabilibus assensum praebere, vel non praebere, vel ingenio suo suspendere: Imo etsi mens nequit evidentiae adversari, tamen potest attentionem suam a subjecto, et praedicato, eorumque necessaria connexione avertere. Ad haec etiam falsum est, nos semper judicare secundum impressas ideas; quoties enim falsas rerum perceptiones ratio corrigit, vel respuit?

Ad tertium, quamvis voluntas nostra moveatur, ac determinetur majoris boni objecta specie, tamen nulla necessitate adigitur ad id eligendum, quod melius apparet sibi, cum aliud sit electio, aliud fatalis eligendi necessitas; nam licet alterum altero melius esse videatur, tamen potest voluntas hoc judicium non modo suspendere, sed et immutare, ac revocare ad libidinem; etenim in ejus potestate positum est id perficere, ut quod melius esse videbatur, jam minus bonum apparere incipiat, nempe si accomodet intellectum ad majorem considerationem causarum, quae longe ab objecto deterrere possunt. Quod ubi faciat, evanescet prima illa idea boni, ac nova boni alterius idea mentem occupabit, et sic adeo mens facile poterit judicare, ac statuere, primum illud bonum negligendum, ac respuendum esse; hoc vero posterius perquirendum, ac comparandum. Quum vero in voluntatis arbitrio positum sit judicium mentis practicum, seu id, quod melius nobis apparet, in partem alteram hoc modo inflectere, erit et in ejus arbitrio movere sese in partem quamvis, utcumque libuerit.

Neque vero dicas, voluntatem humanam finitam esse, atque adeo

particulari bono expleri posse, quod, si appareat evidenter melius, in id ferri necessario debeat; enimvero quamvis voluntas in se finita sit, tamen cum bona quaecumque singularia, si excipias Deum clare, et intuitive visum, possint induere speciem mali, aut certe apparere minus bona, quia semper aut esse, aut concipi potest bonum aliud, quod eo majus sit, eique praeferendum; hinc nulla necessitate mens adigitur ad prosecutionem particularis boni, sed semper fertur in bonum perfectissimum, quod solum explere potest vim nostram appetendi, eamque ob rem quodvis particulare bonum semper contemni, ac respui a voluntate potest, quippe quod eam amplitudinem boni non praeseferat, qua suaviter obruta cumulatissime perficiatur. Nec inde sequitur voluntatem nostram, quae fertur in bonum perfectissimum, non posse, aut non debere amplius appetere bona particularia; sed inde solum sequitur, voluntatem non moveri perinde in bona particularia, quasi essent *undequaque* bona, quibus cumulatissime perfici posset, sed tanquam in quasdam inchoationes perfecti boni. Si quaeras, quomodo possit voluntas exercere libertatem suam, quoties proponuntur ei duo media perfecte similia, cum nulla sit ratio, cur alterum prae altero eligat, respondet D. Thomas (1): *Dicendum, quod nihil prohibet, si aliqua duo aequalia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, et magis flectatur voluntas in ipsum, quam in aliud.* Et sane fieri non potest, ut mens, dum de illis duobus mediis cogitat, pari semper attentione perpendat rationes, quae suadeant aequalitatem utriusque; igitur poterit intimius intueri rationes suadentes electionem unius, quam rationes suadentes electionem alterius: quo demum fiet, ut evanescentibus rationibus illius boni, quod *hic*, *et nunc* vix quaeritur, bonum alterum pro re nata potius, atque adeo eligendum appareat.

(1) 1. 2. *q.* 13. *a.* 6. *ad* 3.

Ad haec objicit Collinius: quaevis hominis actio habet aliquod initium, quidquid vero habet initium, habet et caussam, a qua oriatur. Jamvero caussa omnis necessaria est; nam causae, si non sunt necessariae, non habent peculiarem connexionem cum effectis suis, seu non erunt alligatae certis effectis producendis, poteruntque adeo quemvis effectum producere; quo demum fiet, quod Epicurus inducere magnopere studuit, ut fortuita concussione atomorum terrarum orbis sit genitus.

℟. Actiones hominis habent initium suum; profluunt enim a voluntate, ut ab efficiente caussa: voluntas habet proportionem cum actionibus suis, tanquam caussa cum suis effectis, quia eligit semper, quod melius apparet sibi, quamvis nulla necessitate

ad id compellatur, ut supra ostensum est.

Objicit 3.° Collinius argumento depromto ex consideratione divinae prescientiae, qua rebus futuris necessitatem imponi credit, et refert hac de re argumentum a Tullio fusius descriptum, quod paucis ita contraxit Boetius (1): *Quod eventurum Deus videt, id non evenire non potest, seu ex necessitate contingit; actum est igitur de humana libertate.*

(1) *De consolat. lib.* 5.

℟. Hoc argumentum, quod Ciceroni, ubi de fato, tam insolubile visum est, ut, ne libertatem negaret, praescientiam Dei sustulerit, atque, ut *nos faceret liberos, sacrilegos fecerit*, ut advertit Agustinus (1), dissolvi nullo negotio potest; enim vero praescientia Dei cum extrinseca sit hominum voluntati, nullam ei potest necessitatem imponere, & *ut memoria tua*, inquit praeclare Augustinus (2), *non cogit facta esse, quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt*; neque enim praescientia Dei mutat rerum naturas, sed necessarias sinit esse necessarias, liberas sinit esse liberas, si a divina voluntate, ac providentia eamet abstracta consideretur. Huc addas, quod si Deus praescit futura hominum opera, profecto praescit ea fieri modo humanae naturae convenienti, nempe libero. Quamobrem praescientia Dei potius fovet, quam ulla via destruat libertatem hominis: *Non est consequens*, inquit apposite Augustinus (3), *ut si Deo certus est omnium ordo caussarum, ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio, et ipsae quidem nostrae voluntates in caussarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque praescientia continetur, quoniam et humanae voluntates humanorum operum causae sunt, atque ita, qui omnes rerum caussas praescivit, profecto in iis caussis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum caussas esse praescivit.*

(1) *Lib.* 5. *de Civit. Dei cap.* 9.

(2) *Lib.* 3. *de lib. arbitr. cap.* 4.

(3) *Lib.* 5. *citato de Civit. Dei.*

At inquies: Deus non solum praescit, verum etiam determinat nostram voluntatem; ergo voluntas nostra libera non est, utpotequae non sit caussa sui actus.

Responsio suppeditatur a D. Thoma, qui (1) hoc plane argumentum sibi opponit, ac ita diluit: *Dicendum, quod liberum arbitrium est caussa sui motus, quia homo per liberum arbitrium se ipsum movet ad agendum; non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima caussa sui id, quod liberum est, sicut nec ad hoc, quod aliquid sit caussa alterius, requiritur, quod sit prima caussa ejus; Deus igitur est prima caussa movens et naturales caussas, et voluntarias, et sicut naturalibus caussis movendo eas non aufert, quin actus earum sint naturales, ita movendo caussas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc*

in eis facit; *operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem*. Et sane Deus sapiens est, et omnipotens; qua sapiens perspectum, exploratumque habet singularem illum determinandi modum, qui hominum libertati sit omnino consentaneus: qua omnipotens potest erga creatas res liberas modum eundem adhibere; si potest, ergo vult adhibere, ne officiat nostrae libertati.

(1) 1. *p. q.* 83. *a.* 1. *ad* 3.

Dices: ex trito axiomate conservatio est continua creatio; sed in creatione nulla nostra libertas; ergo neque in conservatione; siquidem eo momento, quo voluntas se se determinare deberet, a Deo cum ipsa determinatione creatur.

℟. conservationem aequivalere creationi hoc sensu, quatenus Deus impedit, quominus res creatae abeant in nihilum, a quo eductae sunt; non vero hoc sensu, quatenus singulis momentis eas producat, cum res iterum creari non possint, nisi prius in nihilum fuerint redactae. Cum autem Deus non destruat rerum naturam, sed perficiat, vult res creatas conservare eo modo, quo earum natura exigit; cum ergo natura hominis exigat, ut libera sit, in sua libertate a Deo conservabitur.

Ultimum argumentum adversarii sic instituunt, ut demonstrent sensum intimum esse non posse veritatis testem. Inquiunt 1.° sensus intimus ostendit, nos operari a nobis, quin ullo Dei concursu indigeamus; neque enim Dei operationem in nobis metipsis sentimus. 2.° nos dolere in partibus pedis, vel manus abscissis. 3.° Colores esse in objectis externis. 4.° Libertatem inesse dormientibus; atqui tamen haec omnia falsa sunt; ergo sensus intimus libertatis testis esse non potest. 5.° Si sensus intimus testaretur libertatem, vel id efficeret momento, quo agitur, vel momento actionem praecedenti; non momento, quo agitur; nam tunc actus non potest non esse; non momento actionem praecedenti, quia sensus intimus tantum refert praesentem animae statum, non vero statum instantis sequentis, ergo etc.

℟. ad primum, argumentum nobis objectum huic aequivalere: non sentio in me ipso sanguinis circuitum; ergo sensu intimo constat in meis venis sanguinem non circuire. Quis autem statim non advertit hujus consecutionis falsitatem? ergo ex eo, quod quis non sentiat in semetipso Dei operationem, non inde consequens erit, Deum in ipso non operari, sed solum id colligitur, Deum, dum ipsum movet, eum non movere necessario, sed libere.

℟. ad secundum, sensum intimum referre quidem animam dolere, neutiquam vero in partibus corporis abscissis esse dolorem; ille enim, cui aliquod membrum abscissum est, si se paullisper colligat, intelliget profecto, in membro abscisso doloris caussam, vel occasionem tantum esse, neutiquam vero dolorem.

℞. ad tertium, ad sensum intimum non pertinet referre, an colores sint in objectis externis, quia ea, quae extra animum fiunt, non indicat; unde nihil aliud refert, quam colores in mente depingi, quod quidem verum est.

℞. ad quartum, latissimum esse discrimen, ut omnibus manifestum est, dormientes inter, et vigilantes; etenim sensus illi, quos dormientes experimur, statim ac expergefacti sumus, facile excutiuntur, et evanescunt; contra vero sensus, quos vigilantes habemus, sunt constantes, generales, et ita clari, ut alterius rei clarior, vividior, et constantior sensus non habeatur; ideoque hi sensus, non autem illi sensum intimum indicare possunt.

℞. ad quintum, sensum intimum referre nostram libertatem tum momento, quo agimus, tum momento praecedenti; etenim momento, quo agimus, sentimus, ita nos agere, ut possimus quovis momento ab actione temperare. Nec refert, quod eo momento, quo agimus, non possit non esse actus, quia haec necessitas non est absoluta, sed suppositionis, seu hypothetica. Sentimus pariter momento actionem praecedenti nostram libertatem, quia sensu intimo nobis constat, posse nos momento subsequenti actionem ponere, vel non ponere. Equidem non sentimus actionem, quia ex hypothesi nondum existit; at sentimus potestatem actum ponendi, vel non ponendi, et in hoc casu sensus intimus non praeteritum, sed praesentem animae nostrae statum refert.

ARTICULUS II.

De libertate ad merendum, vel demerendum.

SUMMARIA.

1. *Error Baji.*
2. *Error Jansenii.*
3. *Ex sacris litteris ostenditur, ad merendum, vel demerendum requiri libertatem a necessitate.*
4. *Probatur quoque ex SS. Patribus.*
5. *Et praesertim ex Augustino.*
6. *Tum ex S. Thoma.*
7. *Probatur ex sensu intimo.*
8. *Probatur demum ex absurdis.*
9. *Solvitur prima objectio.*
10. *Solvitur prima instantia.*
11. *Solvitur secunda instantia.*
12. *Solvitur secunda objectio.*
13. *Solvitur instantia.*
14. *Solvitur tertia objectio.*
15. *Solvitur ultima objectio.*

1. Libertati humanae unam adversari violentiam, necessitatem vero cum ea componi, hominemque, dum libere agit cum sola libertate a violentia, peccati conscium constituere se posse docuit Michael Bajus tribus propositionibus gravi dein censura notatis a S. Pio V., a Gregorio XIII., et ab Urbano VIII., quarum prima ordine 39. est: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* Secunda ordine 66.:

Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Tertia ordine 67.: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

2. Hanc Baji doctrinam recoquere, suoque calculo juxta plures approbare visus est Jansenius, cujus ea fuit propositio ab Innocentio X. damnata: *Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* His erroribus ut occurramus.

3. Pronunciamus, ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae necessariam esse libertatem a necessitate, nec sufficere libertatem a coactione. Id ostenditur 1.° ex ss. litteris: enim vero ss. litterae meritum, vel demeritum metiuntur a libertate a necessitate. Sic (1) meretur homo gloriam, aeternamque mercedem, *quia potuit transgredi, et non est transgeessus, facere mala, et non fecit*. Sic (2) meritum consequitur, et laude dignus est, *qui non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis judicavit in corde suo, servare virginem suam.* Sic demum male meritus est Cain, quia dominatus non fuit appetitui suo, qui erat sub ejus potestate (3).

(1) *Eccl.* 31. *v.* 10.

(2) 1. *Corinth.* 7. *v.* 37.

(3) *Gen.* 4. *v.* 7.

4. Probatur 2.° ex Patribus. Clemens Alexandrinus (1) sic ait: *Nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa sunt, si anima non habet liberam potestatem et appetendi, et aversandi.* S. Justinus martyr (2): *Nisi libero arbitrio genus humanum et res turpes fugere potest, et pulchras, et bonas sequi, extra caussam, culpamque est eorum, quae quoquomodo aguntur.* S. Irenaeus (3): *Qui operantur*, inquit, *bonum, et gloriam, et honorem percipiunt, quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud; ii autem, qui illud non operantur, judicium justum recipiunt Dei, quoniam non sunt operati bonum, quum possent operari illud.* S. Hieronymus (4): *liberi arbitrii*, inquit, *nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec damnatio, nec corona est.*

(1) *Lib.* 1. *Strom.*

(2) *In Apol.* 2. *ad Antoninum.*

(3) *Lib.* 4. *adversus haer. cap.* 37.

(4) *Lib.* 2. *adversus Jovin.*

5. Augustinus, quem unum prae caeteris habent Jansenius, ejusdemque discipuli, sic in rem nostram egregie scribit (1): *Si concedimus, nullum esse arbitrium voluntatis, omnis humana vita subvertitur, frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur; nec ulla justitia bonis praemia, et malis supplicia constituta sunt*; et alibi (2): *Quis non clamet, stultum esse praecepta dare ei, cui liberum non est, quod praecipitur, facere, et iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere.*

Demum alio in loco (3): *Dicere, animas esse malas, et nihil peccare, plenum est dementiae; dicere autem peccare sine voluntate magnum deliramentum est, et peccati reum tenere quemquam, quia non facit, quod facere non potuit, summae iniquitatis est, et insaniae. Quamobrem illae animae, quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, idest libero, et ad faciendum, et ad non faciendum motu animi si carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum eorum tenere non possumus.*

(1) *Lib. 5. de civit. Dei cap. 9.*

(2) *Lib. de fide contra Manichaeos cap. 10.*

(3) *Lib. de duabus animabus contra Manichaeos cap. 12.*

6. D. Thomas (1) ait: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur; non enim omne necèssarium est violentum, sed solum id, cujus principium est extra; haec autem opinio est haeretica; tollit enim rationem meriti, et demeriti in humanis actionibus; non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod evitare non possit: est etiam adnumeranda inter extraneas Philosophiae opiniones, quia non solum contrariatur Fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiae moralis; si enim non sit liberum arbitrium aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum, et punitio, et laus, et vituperium, circa quae moralis Philosophia consistit.* Hoc testimonium decretorium est advesus Iansenium, quum distinguat S. Doctor simplicem necessitatem a coactione, ac statuat haeresim esse admittere in voluntate eam necessitatem, qua homo vitare aliquid non possit, quia sic tollitur ratio meriti, ac demeriti humanis in actionibus.

(1) *Q. 6. de malo art. un.*

7. Idem probari praeterea potest ex intimo sensu; est enim constans, ac universalis consensio, dignos esse homines laude, ac praemio, vel vituperatione, ac poena, quia in iis, quae bene, vel male agunt, non solum sunt homines a coactione, sed etiam a necessitate immunes. Hinc quidquid bene, aut male agere videntur amentes, ac furiosi, nullo modo iisdem vertitur laudi, aut culpae imputatur, licet sponte omnino, ac voluntarie agant, quod bene, aut male agunt.

8. Demum admissa Iansenii sententia frustraneae essent leges, vana consilia, inutiles poenae; ideae laudis, et vituperii, virtutis, et vitii congenitae, et naturales nobis essent illusoriae, gratiae nullae habendae viris de nobis benemeritis. Ut quid enim homines legibus constringerentur, consiliis incitarentur, poenis punirentur? ut quid ideae laudis, et vituperii, virtutis, et vitii? ut quid gratiarum actiones, si ho-

mines ineluctabili necessitate adigerentur ad agendum, nulla habita legum, consiliorum, idearumque suarum ratione? ergo Janseniani eo ipso, quo libertatem a necessitate negant, quamcumque Religionem tollunt, Deumque nobis sensu intimo illudentem repraesentant.

Diluuntur objectiones.

' Christus Dominus, qui mortem subiit, sibi quidem immensam gloriam, nobis vero gratiam, et salutem promeritus est; et mortem perpessus nequaquam exercuit libertatem arbitrii, atque indifferentiae; quum enim peccare non posset, non poterat non implere praeceptum Patris de morte subeunda; ergo humanis in actibus libertate indifferentiae destitutis meritum inest.

9. Respondent plures Theologi, hoc argumentum non favere Jansenio; neque enim quaestio hic est de hominis Dei merito, sed de merito, aut culpa puri hominis; enim vero Christus non meruit per actus necessarios merito infirmitatis, quod unice in nobis locum habet, nec nisi per actus liberos comparari potest, sed merito dignitatis, quod ab infinita dignitate personae in omnes ejus actus etiam necessarios influebat, eosque Deo efficiebat acceptissimos. Alii docent, Christum Dominum libere subiisse mortem, quia libere acceptavit praeceptum subeundae mortis. Quocirca praeceptum moriendi a Patre Christo impositum non absolutum erat, sed conditionatum, subjectumque Christi arbitrio; quod significare videtur servator iis verbis: (1): *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi a patre meo.* Quamobrem S. Cyrillus Alexandrinus (2): *In negotio mortis*, inquit, *paterna consilia dicitur executus Christus.* Alii docent, potuisse Christum a Patre id petere, et obtinere, ut imposito sibi praecepto eximeretur juxta illud Matthaei (3): *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Alii tandem veram fuisse in Christo potestatem non subeundi mortem, quod quidem ad libertatem sufficit, etiamsi non fuerit potestas non obtemperandi paterno mandato; haec enim potestas, quum sit potestas peccandi, ad libertatem non pertinet, nec ullam ejus partem constituit.

(1) *Joan.* 10. *v.* 17. 18.
(2) *Lib.* 12. *in Joan.*
(3) *Cap.* 26. *v.* 53.

Quod spectat ad actus virtutum, ceu temperantiae, quos Christus non elicere non potuit, quum urgeret praeceptum legis naturalis, in qua observanda non potuit esse indifferens, respondent et hic plures Theologi, Christum in observatione hu-

jusmodi praecepti non fuisse indifferentem quoad substantiam, fuisse tamen quoad modum, et caussam; tametsi enim Christus non potuerit non observare praeceptum temperantiae simpliciter, quoties urgebat, potuit tamen illud non observare hac determinata de caussa, quia liberum fuit Christo abstinere ab omni voluptate corporea vel ex motivo caritatis, vel temperantiae, vel alius virtutis. Porro indifferentia motivi sufficit ad meritum, quia motivum informat intrinsece actum, eumdemque specificat, ac distinguit.

Urgent. S. Thomas de libero Christi arbitrio disserens (1) ait: *Quod si etiam determinatum esset ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, et ita est actus sui dominus.* Ex quo S. Doctoris testimonio haec duo colligi possunt. Primum, Christus Dominus diligens Deum, quem certe non poterat non diligere, meritum, ac laudem assecutus fuit. Secundum, libertati, ac merito locus est, ubi non cogitur voluntas, sed sponte agit, et sponte agens habet dominium in actus suos.

(1) *In 3. dist. 17. q. 1. art. 2. ad 5.*

10. ℟. S. Thomas cit. loco quaerens, utrum Christus potuerit mereri, affirmative respondet, quumque objecisset sibi n. 5.° argumentum hoc: *Naturalibus non meremur, quia sunt determinata ad unum; sed liberum arbitrium in Christo erat determinatum ad bonum; ergo ipse per liberum arbitrium demereri non potuit.* Huic argumento respondet 1.°, *quod liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum secundum numerum, sed ad unum secundum genus, scilicet ad bonum, quia in malum non potest; sed tamen hoc potest facere, et non facere, et hoc non excludit libertatem arbitrii, quia posse peccare non est libertas arbitrii, nec pars libertatis, ut dicit Anselmus.* Deinde aliam tradit responsionem, quae nobis objicitur; sed primam responsionem profert S. Doctor ex mente, et sententia sua; alteram vero ex aliorum sententia, et velut uberioris doctrinae gratia; idque vel maxime inde colligi potest, quod in pluribus aliis locis (1) ex duabus hisce responsionibus primam adhibeat, alteram vero praetermittat: quod argumento est, hanc minus aptam ei visam fuisse.

(1) *3. p. q. 18. art. 4. ad 3., et q. 19. de verit. art. 6. ad 1.*

Quod si secundam quoque S. Doctoris responsionem retinere velimus, dicendum erit, libertatem, quam Angelicus agnoscit in caritate Christi erga Deum, esse libertatem voluntatis, non arbitrii; meritum vero, de quo loquitur, esse meritum dignitatis, non infirmitatis.

Urgent 2.° S. Thomas (1) explicat, ac definit, libertatem nil aliud

esse, quam meram immunitatem a coactione inquiens: *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest*; et alibi (2) ait: *per peccatum periisse libertatem a culpa, et miseria, non libertatem naturalem, quae est a coactione*; ergo haec libertas a coactione sufficit ad merendum, vel *demerendum*.

(1) *In 2. sent. dist. 21. q. 1. a. 4.*

(2) 1. *p. q.* 83. *art.* 2. *ad* 3.

11. ℟. D. Thomas coactionem ibi sumit pro necessitate; in secundum enim sententiarum duplicem allato in loco coactionem distinguit, alteram externae violentiae, quae se tenet ex parte subjecti, alteram, quae petitur ab objecto, quaeque non violentiam infert, sed necessitatem; quibus distinctis ait: *Voluntas autem neque subjecto cogi potest, cum non sit organo affixa, nec objecto; quantumcumque enim aliquid ostendatur esse bonum, in potestate ejus remanet eligere illud, vel non eligere.* Ex quo patet, sub generalis coactionis nomine D. Thomam a voluntate rejicere non solum violentiam, sed et necessitatem. Manifestum fit etiam in altero textu coactionem usurpare pro necessitate, seu determinatione ad unum; nam eo articulo probat, liberum arbitrium non esse habitum, sed potentiam, quia per habitus inclinatur ad unum, liberum autem arbitrium indeterminatum est etiam ad multa opposita. Ex quo palam fit, ibi per libertatem a coactione non aliud significare, quam immunitatem a determinatione ad unum, hoc est libertatem a necessitate.

Objiciunt 2.° Augustinus (1) inquit: *Illud nos habere in potestate dicimus, quod cum volumus, facimus*; atqui actus pure spontaneos, ac necessarios facimus, cum volumus; ergo sunt in nostra potestate, atque adeo sufficiunt ad meritum, vel culpam.

(1) *Lib.* 2. *de lib. arbit. cap.* 3.

12. ℟. actus nostros in nostra potestate positos, et ob id liberos dici ab Augustino, quia cum volumus, eos facimus, ita tamen, ut eos possimus non facere; nam S. Doctor (1) ait: *Hoc quisque in potestate sua habere dicitur, quod, si vult, facit, si non vult, non facit.* Jam vero is dicitur facere, si vult, et non facere, si non vult, qui pro flexibili suae voluntatis natura utrumlibet potest; qui vero unum aliquid necessario facere vult, non dicitur illud facere, si velit, non facere, si nolit; quis enim hunc v. g. loquendi modum usurpaverit: homo in suam felicitatem tendit, si vult, non tendit si non vult: Beatus Deum diligit, si vult, non diligit, si non vult?

(1) *Lib. de spir. & lit. cap.* 31.

Urgent. S. Doctor (1) docet humanae voluntatis libertatem cum necessitate consistere, voluntatem libere velle, cum sponte vult, tametsi necessario velit; ait enim: *Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus: necesse est, ut*

sit aliquod, vel ita fiat, nescio, cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis; neque enim et vitam Dei, et praescientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse Deum semper vivere, et cuncta praescire: quam Augustini doctrinam approbat S. Thomas inquiens (2): *Necessitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis, ut ipsemet Augustinus lib. 5. de civ. Dei.*

(1) *Lib. 5. de civ. Dei cap. 9. & 10.*

(2) 1. *p. q.* 82. *art.* 1. *ad* 1.

13. ℟. juxta doctrinam Augustini duplex est libertas, altera voluntatis, arbitrii altera. Prior illa est in facultate *sponte agendi*, estque a vi externa immunis: posterior haec sita est in facultate agendi cum indifferentia, et electione, nec modo a violentia, verum et a necessitate immunis est. Priorem exercemus circa finem, posteriorem circa media. Porro Ss. Augustinus, et Thomas memoratis locis loquuntur de priori libertate illa, quae sane non est perfecta, nec absoluta libertas, sed tantum inchoata; recteque docent eam cum necessitate consistere; nam voluntarie, ac sponte in finem ultimum tendimus; voluntarie, ac sponte felicitatem nostram appetimus, tametsi necessario eam appetamus; ubi vero sermonem habent de libertate absoluta, et perfecta, in ea requirunt judicii, ac electionis indifferentiam, quae certe non potest cum necessitate componi. Audiendus hic D. Thomas, qui suam, ac Praeceptoris sui mentem luculenter exponit (1) inquiens: *Sicut de primis principiis non judicamus ea examinantes, sed naturaliter eis assentimur, et secundum ea omnia alia examinamus; ita et in appetitionibus de fine ultimo non judicamus judicio discussionis, vel examinationis, sed naturaliter, propter quod de eo non est electio, sed voluntas; habemus ergo respectu ejus liberam voluntatem, cum necessitas naturalis libertatis inclinationi non repugnet secundum Augustinum de civ. Dei; non autem liberum judicium, quum non cadat sub electione*: quamquam aliquam arbitrii libertatem exercemus etiam circa finem ultimum, ac beatitudinem in communi; nam, ut inquit S. Thomas (1): *Bonum perfectum, quod est beatitudo, voluntas non potest non velle, ita scilicet, quod velit ejus oppositum; potest autem non velle actum, quia potest avertere cogitationem beatitudinis, in quantum movet intellectum ad suum actum, et quantum ad hoc nec ipsam beatitudinem ex necessitate vult.*

(1) *q.* 24. *de verit. art.* 1. *ad* 2.

(1) *q.* 6. *de malo.*

Juvat hic coronidis loco animadvertere, voluntatem duobus modis considerari posse: 1.° ut voluntas est; 2.° ut est natura. *Si spectetur, ut est voluntas*, inquit S. Thomas (1), *ad utrumlibet se habet, quia potest agere, vel non agere, sic, vel sic facere, velle, et non velle, et hoc modo plane libera est. Si spectetur*,

ut natura, *ex inclinatione naturali*, *quam habet*, *tendit ad aliquod*, *sicut ad ultimum finem*, *quem non potest non velle*. Id ipsum docet alio in loco (2): *Eorum voluntas est principium*, *quae possunt sic*, *vel aliter esse*; *eorum autem*, *quae non possunt*, *nisi sic esse*, *principium natura est*. Hanc doctrinam Angelicus accepisse videtur ab Augustino, qui (3) inquit: *Illae animae*, *si natura*, *non voluntate faciunt*, *idest si libero ad faciendum*, *vel non faciendum animi motu carent*; ubi animam agere natura, est agere sine libero motu; agere vero cum voluntate nihil est aliud, quam agere cum potestate faciendi, vel non faciendi. His positis evanescunt in auras argumenta tot a Jansenio desumpta ex Augustini testimoniis. Ultro enim fatemur omnes, actum ob id tantum, quod a voluntate oritur, esse in potestate nostra, esse deliberatum, esse sub dominio nostro; at contendimus, Augustinum haec docentem loqui de voluntate, ut voluntas est, nempe ut est instructa libero motu ad faciendum, vel non faciendum. Enim vero Augustinus, cum de actionibus liberis agit, numquam voluntati actum tribuit, ut natura est. Sic disserens cum Felice Manichaeo inquit: *Cum dominus dicit hoc facite*, *aut illud facite*, *potestatem*, *idest voluntatem indicat*, *non naturam*.

(1) *q. 2. de pot. art. 3.*

(2) *1. p. q. 41. art. 2.*

(3) *Lib. de duab. animab. c. 12.*

Objiciunt 3.° : actus, quo Beati Deum diligunt in patria, quo homines suam prosequuntur felicitatem in via, sunt boni: actus, quo Daemones, et damnati odio habent Deum, mali sunt; atqui tamen hi actus sunt necessarii; ergo etc.

14. ℞. actus hujusmodi esse quidem bonos, vel malos, quatenus congruunt, vel non congruunt cum sua regula; non tamen esse morales, et imputabiles, quia ut actus imputentur ad meritum, vel demeritum, opus est, ut libera voluntate ponantur, ut ostensum est, quum libertas ex dicendis sit fundamentum imputationis.

Ergo, inquies, melior esset conditio hominum, quam Beatorum, qui non possunt mereri; melior quoque conditio damnatorum, quam hominum, quum damnati non possint amplius peccare.

℞. 1.° meliorem esse conditionem Beatorum, quam hominum, quamvis beati non possint amplius mereri; nam meritum dirigitur ad felicitatem consequendam; ergo, quum Beati eam jam sint consecuti, melior est eorum conditio, quia melius est frui felicitate, quam ipsam tantum sperare, et in ipsam tendere.

℞. 2.° meliorem esse conditionem hominum, quam damnatorum, qui licet amplius peccare non possint, a peccatis tamen resurgere nequeunt, nec propterea consequi felicitatem; at homines et a peccatis resurgere, et suam obtinere valent felicitatem.

Objiciunt ultimo: solent homines poena, vel proemio afficere belluas; at in belluis una est libertas a coactione, nulla vero a necessitate; ergo haec sola sufficit ad meritum, vel ad culpam.

℟. solent homines praemio, vel poena belluas afficere, non quod credant eas esse culpae, vel meriti capaces, sed quia, cum norint, eas caeco motu tendere in id, quod sibi commodum, aversari, quod sibi incommodum, easdem ad aliquid praemio alliciunt, ut in illud coeco modo ferantur, vel poena terrent, ut a re quapiam avertantur.

Ergo, inquies, praemia, vel poenae non erunt sufficiens indicium, inesse in nobis libertatem a necessitate.

15. ℟. aliqui, praemia, vel poenas per se sumta non esse sufficiens indicium existentiae nostrae libertatis: at praemia, vel poenae libertatem demonstrabunt, si considerentur conjuncta cum sensu intimo, quo quisque universim judicat, homines esse dignos vero praemio, vel poena, quia quae ab iisdem eliciuntur actiones, non tantum a coactione, verum etiam a necessitate immunes sunt; belluas autem vero praemio, aut poena dignas non esse, quia memorata libertate destituuntur.

℟. alii, poenas, quae vere, et proprie poenae sunt, infligi in vindictam criminis; at poenae, quae belluis inferuntur, non eo fine inferuntur, ut culpa puniatur, quae in iis nulla est, sed solum eo fine, ut deinceps vel ipsae, vel aliae eam poenam intuentes phantasiae ope ab hujusmodi actionibus absterreantur; ergo poenae per se sumptae erunt sufficiens indicium nostrae libertatis. Idem dicendum de praemiis. Fatemur equidem poenas infligi etiam, ut impediatur futura sceleris admissio; at poena, quae a puniendo dicta est, primario infligitur in criminis vindictam; et quemadmodum vera animi grati significatio ea non est, quae ad novum dumtaxat beneficium tendit; sed quae ex memori beneficii accepti animo proficiscitur; ita verae poenae rationem non habet, quod ad impedienda solum flagitia, minime vero ad commissorum vindictam infligitur.

CAPUT V.

De moralitate actuum humanorum.

SUMMARIA.

1. *Duplex esse in humanis actibus distinguitur.*
2. *Regula humanarum actionum debet esse recta, certa, constans, et obligatoria.*
3. *Moralis humanarum actionum natura in sola libertate non consistit.*
4. *Objectio solvitur.*
5. *Remota humanorum actuum regula est lex aeterna.*
6. *Proxima humanorum actuum regula recta ratio est.*
7. *Regula humanorum actuum non est*

collocanda in natura rationali.

8. *Solvitur* 1. *objectio.*

9. *Solvitur altera objectio.*

10. *Refellitur Puffendorphius.*

1. Posteaquam, ut morem gereremus plerisque Theologis, disputavimus de voluntario, et libero, in quibus est natura physica humanorum actuum, instituenda nobis tractatio est de morali eorum natura in genere, tum de variis affectionibus moralibus, per quas ad varias species contrahuntur. Versat hoc argumentum S. Thomas (1), cujus doctrinae pro instituti nostri ratione constanter inhaerebimus.

(1) 1. 2. *q.* 18.

Duplex esse in humanis actibus cum D. Thoma distinguunt Theologi, scilicet esse physicum, seu in genere naturae, et esse morale, seu in genere moris. Actus humanus secundum suum esse physicum actus est, qui a libera hominis voluntate proficiscitur. Actus humanus secundum suum esse morale nihil aliud est, quam ejusdem actus habitudo, seu relatio ad regulam operandi, seu ad regulam morum. Quamobrem actus moralis definiri solet actus humanus congruens, vel repugnans regulae morum. Hanc regulam, ad quam exacti humani actus boni sunt, vel mali, laudandi, vel vituperandi, extare consentiunt Theologi.

2. Non una est tamen eorumdem sententia, in quonam constituenda sit ejusmodi regula. Alii enim constituunt in sola libertate, alii in lege aeterna, et recta ratione, alii demum in natura rationali. Itaque ut mentem nostram aperiamus, in primis observamus, regulam humanorum actuum rectam, certam, et constantem esse, veramque homini obligationem imponere oportere. Si enim recta non fuerit, nec ratio ad regulam composita recta, et laudabilis esse poterit. Ni certa, et constans fuerit, de morali actionum natura nil certi unquam statui poterit. Si denique nullam obligationem imponat, nihil profecto erit, quod ad eam adhibendam compellat homines, nec poterit culpae accusari, qui ea non utatur. Hoc posito.

3. Constituimus 1.°, moralem humanorum actuum naturam in genere, seu regulam operandi non esse in sola libertate collocandam; enimvero actus concipitur liber, antequam sit moralis; nam liber est, qua oritur a libera voluntate; moralis vero, qua procedit congruens, vel repugnans operandi regulae. Et sane fingamus nullam esse praestitutam regulam liberis hominum actionibus, quis eas rectas, aut pravas dicere audeat? quis vel in laude ponat, vel culpae, aut vitio vertat? moralis igitur actionum humanarum natura sita non est in earum libertate, sed in eo dumtaxat, quod cum regula sua cohaereant, vel ab ea deflectant.

Praeterea eadem manente libertate

potest multiplicari, ac variari moralitas in eodem actu; ergo moralitas non consistit in libertate. Sic in actu adulterii, vel furti patrati ad moechandum duplex est moralitas, nempe injustitia, et luxuria, et tamen una est, eademque invariabilis libertas. Item variatur moralitas, dum unus, idemque actus evadit e bono malus, ceu dum quis manducat carnes tempore permisso, eamdemque comestionem protrahit usque in tempus prohibitum.

4. Neque refert, sublata libertate, naturam quoque moralem actus e medio tolli; nam inde hoc tantum consequitur, libertatem esse fundamentum moralitatis, quo sublato consistere nequit moralis actuum natura, cum nequeant ad regulam sine libertate accomodari, quemadmodum sine voluntario constare nequit liberum, et sine statu viae meritum, aut culpa.

Pronunciamus secundo, regulam humanorum actuum remotam, et extrinsecam esse Dei legem aeternam; proximam vero, et homogeneam regulam esse rectam rationem, quae legis aeternae participatio est.

5. Pars prima constat ex Psalte Regio, qui non semel docet, legem Dei esse supremam humanorum actuum regulam, et in ea implenda totam hominis beatitudinem esse positam. Sic scribit autem (1): *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, *tamquam diceret*, (ait Augustinus (2)), *scio quid velis: beatitudinem quaeris? si ergo vis esse beatus, esto immaculatus; illud enim omnes, hoc autem pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud, quod omnes volunt: sed ubi erit quisque immaculatus, nisi in via? in qua via, nisi in lege Domini?*

(1) *Psalm.* 118.

(2) *In hunc psal.*

6. Secunda pars ostendi quoque potest ex ss. litteris. *In omni opere tuo*, ait Spiritus S. (1), *crede ex fide animae tuae* (judicio conscientiae legem tibi ostendenti); *hoc est enim conservatio mandatorum Dei*. Saepe enim propria conscientia melius judicat, quam plerique sapientes; nam (2) *anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores, sedentesque in excelso ad speculandum*; scilicet anima uniuscujusque viri, si modo sanctus sit, ac timens Deum, judicare solet melius veritatem in rebus agendis, quam septem viri, quorum officium sit speculari, atque aliis consulere.

(1) *Eccl.* 32. *v.* 27.

(2) *Eccl.* 37. *v.* 18.

Pars utraque confirmatur auctoritate D. Thomae, qui (1) inquit: *Regula voluntatis humanae est duplex: una propinqua, et homogenea, scilicet ipsa humana ratio; alia vero est prima regula, scilicet lex aeterna, quae est quasi ratio Dei.*

(1) 1. 2. q. 71. *art.* 6.

7. Qui demum sentiunt, regulam humanorum actuum esse constituendam in natura rationali, prout an-

tecedit omne judicium rationis, ac legem omnem, sic argumentantur: dictamen rationis nonnisi a rationali natura repetere potest certitudinem suam; ergo haec est prima regula moralitatis. At ex hac ratione colligitur quidem a convenientia, vel repugnantia cum natura rationali oriri judicium practicum, seu dictamen rationis de agendis, et fugiendis, sed hoc judicium practicum obtinet vim regulae, quatenus subest ordini legis aeternae jubentis ea, quae convenientia sunt rationali naturae, ac vetantis contraria; lex enim aeterna est ratio in mente divina existens, unumquodque ad finem dirigens modo convenienti naturae suae, ut ante dictum est cum D. Thoma, qui etiam sic scribit (1): *Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanae, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet ex lege aeterna, quae est ratio divina, unde in psal. 4. dicitur: multi dicunt: quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen voltus tui, Domine, quasi diceret: lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, et voluntatem nostram regulare, in quantum est lumen vultus, idest a vultu tuo derivatum; unde manifestum est, quod multo magis dependet bonitas voluntatis humanae a lege aeterna, quam a ratione humana.* Vide dicta tom. 1. pag. 24. n. 15.

(1) 1. 2. *q.* 19. *art.* 4.

At inquies: lex naturalis non jubet, nisi quae ad legem naturalem pertinent. Porro plures sunt actus morales, qui non pertinent ad legem naturalem, sed potius ad positivam; ergo dictamen rationis non est sufficiens regula proxima moralitatis.

8. ℟. Lex naturalis jubet non solum ea, quae pertinent ad legem naturalem, verum et ea, quae pertinent ad legem positivam, non quidem directe, sed indirecte; lex enim naturalis ipsissima, quae dictat obediendum esse Superiori legitime praecipienti, dictat et hoc, nimirum statim ac is quidquam praecipit, vel prohibet, id faciendum esse, vel non faciendum post legem Superioris indictam.

At regeres, rationem nostram interdum errori obnoxiam esse.

9. ℟. non rationem in se consideratam esse regulam proximam nostrorum actuum, *sed ut conformatam legis divinae praeceptis vel naturaliter, vel per doctrinam, vel per infusionem*, ut inquit S. Thomas (1).

(1) *q.* 2. *de malo art.* 4.

Hactenus exposuimus sententiam catholicorum de regula humanarum actionum, nunc paucis confutanda opinio Puffendorphii, qui (1) moralitatem humanorum actuum, seu ut ipsemet ait, formalem rationem proprie, ac stricte loquendo in imputatione a legitimo Superiore facta constituendam esse contendit. Jam vero iste non distinguit caussam moralitatis ab ejus effectu; imputatio

enim effectus quidem est moralitatis, neutiquam caussa est; neque enim actio eam ob rem bona, vel mala dicitur, quod imputetur, sed ob id imputatur, quia bona, vel mala est.

(1) *Lib.* 10. *cap.* 2. *de jur. nat. et gent.*

ARTICULUS I.

De speciebus moralitatis.

SUMMARIA

1. *Bonitas, et malitia sunt species moralitatis.*
2. *Indifferentia est altera moralitatis species.*
3. *Bonum utile, ac delectabile per se non est proprie bonum.*

1. Consentiunt Theologi, duas esse moralitatis species, hoc est bonitatem, seu convenientiam actionis cum regula morum, ac malitiam, seu repugnantiam eidem regulae. Quamobrem honesti, ac boni sunt ii actus, qui cum regula morum cohaerent, turpes, ac mali, qui eidem repugnant. Quamquam vero nonnulli sunt, qui distinguant actus honestos a bonis, turpes a malis, quia honesti cum memorata regula conveniunt, turpes eidem repugnant; boni vero ad finem ultimum conducunt, mali ab eodem distrahunt, cum tamen communi usu promiscue usurpentur, non erit a communi usu recedendum.

2. An vero indifferentia sit etiam species moralitatis, non consentiunt Teologi. Nobis in hanc rem probabilior videtur eorum sententia, qui affirmant, nostramque sententiam demonstramus auctoritate D. Thomae (1) inquientis: *Si ergo loquamur de actu morali secundum suam speciem, sic non omnis actus moralis est bonus, vel malus, sed aliquis indifferens*: ubi observandum est, D. Thomam non modo asserere actum indifferentem esse moralem, sed praeterea indifferentem actum constituere speciem moralitatis distinctam ab actu bono, et malo.

(1) *q.* 2. *de malo art.* 5. *in corp.*

An bonum utile, ac delectabile sejunctum ab honesto, sit vere, ac proprie bonum.

3. ℟. negat.: nam quum bonum honestum sit illud, quod congruit rectae rationi, bonum propterea utile, ac delectabile sejunctum ab honesto erit illud, quod rationi non congruit, atque adeo vere, a proprie bonum non erit. Et sane si bonum utile, ac delectabile sejunctum ab honesto, vere, ac proprie bonum esset, poterit quisque ob proprium commodum, utilitatem, ac delectationem alios spoliare rebus suis, verbis contumeliosis insequi, occidere etc.; hoc autem semel admisso aperiretur via cuivis injustitiae, virtutes omnes de medio tollerentur, et omnis, quae inter homines societas est, cum damno publico interiret funditus. Hinc Tullius (1) docet, gentilitatis sapientes sem-

per eos execratos fuisse, qui omnia referentes ad propriam utilitatem, quod inhonestum erat, esse bonum utile posse credebant: in quem errorem inciderunt jamdudum Hobesius, Spinosa, et alii plures Increduli, ac Pseudopolitici. Deinde bonum quodvis, ut vere, ac proprie bonum sit, perficere nos debet; at bonum utile, ac delectabile sejunctum ab honesto nec perficit nos, nec ad beatitudinem ducit, imo aeternam nobis perniciem creat: *Impii vivunt* (2), *sublevati sunt*, *confortatique divitiis .... ducunt in bonis dies suos*, *et in puncto ad inferna descendunt*; *ergo etc.*

(1) *Lib.* 3. *de officiis.*

(2) *Job. cap.* 21. *v.* 7. *et* 13.

ARTICULUS II.

De principiis moralitatis.

SUMMARIA.

1. *Principia moralitatis tria sunt*, *objectum*, *finis*, *et circumstantiae*, *atque explicantur.*

1. ℟. Principiorum moralitatis nomine intelliguntur ea omnia, quorum vi actus fit vel bonus, vel malus, vel indifferens. Ex D. Thoma (1) haec tria sunt, hoc est objectum, finis, et circumstantiae. Objecti nomine non intelligitur id omne, quod voluntati objicitur; hoc enim sensu etiam intelligerentur finis, et circumstantiae; sed id omne, quod primo, ac per se ab actu attingitur, seu circa quod praecipue actus versatur: quo sensu circumstantiae non veniunt nomine objecti, quia non primario, sed secundario attinguntur. Item nomine finis, de quo hic agitur, non intelligitur finis operis; hic enim non distinguitur ab objecto, sed intelligitur finis operantis, qui et extrinsecus vocitari solet. Ceterum quamvis finis operantis sit etiam circumstantia, tamen de fine speciatim agit D. Thomas, et cum eodem communiter Theologi, quia maxime influit in actionem, et ab eo praecipue repetitur moralitas.

(1) 1. 2. *q.* 18. *art.* 2. 3. *et* 4.

§. 1.

An actus humanus suam specificam moralitatem desumat ex objecto.

SUMMARIA.

1. *Duplex distinguitur bonitas physica, et moralis, haecque dividitur in actualem, objectivam, et subjectivam.*
2. *Duplex quoque distinguitur objectum, materiale scilicet, et formale.*
3. *In actionibus ex objecto malis nulla invenitur malitia ipsis inhaerens.*
4. *Actus humanus moralem speciem ex objecto formali desumit.*
5. *Et quidem primariam.*
6. *Solvitur prima objectio.*
7. *Solvitur secunda objectio.*
8. *Solvitur tertia objectio.*
9. *Solvitur quarta objectio.*
10. *Solvitur quinta objectio.*

11. *Solvitur sexta objectio.*

1. Ut clarius intelligantur, quae infra dicturi sumus, notandum primo duplicem distingui bonitatem, alteram physicam, alteram moralem. Prima nil aliud est, quam ipsamet entitas physica rei; ut enim inquit D. Thomas (1): *Ipsa actio, quantum habet de actione, et entitate, tantum habet de bonitate.* Altera, de qua sola hic agitur, est bonitas, quae refertur ad mores, haecque subdividitur in bonitatem actus, objecti, et subjecti. Bonitas actus, quae dicitur etiam actualis, est singularis conformitas, seu convenientia actus cum natura rationali, ut intellectuali. Quare actualis malitia erit deformitas, et repugnantia contra naturam intellectualem, ut intellectualem. Bonitas objecti, quae dicitur etiam objectiva, nil aliud est, quam congruentia objecti cum natura intellectuali, ut intellectuali, seu est ipsummet objectum conveniens naturae rationali, ut rationali. Quamobrem malitia objectiva nil aliud erit, quam peculiaris deformitas, ac repugnantia objecti contra naturam rationalem, ut rationalem. Bonitas objectiva origine tenus prior est actuali; eatenus enim actus bonus, vel malus est, quatenus objectum congruit, vel non congruit naturae rationali. Bonitas demum subjecti, seu formali, nil aliud est, quam bonitas objectiva a subjecto, seu voluntate libere *volita.* Quo fit, ut malitia formalis sit ipsummet objectum regulis morum repugnans, quod voluntas libere vult. Jam vero actualis bonitas, vel malitia, si consideretur a formali sejuncta, materialis dicitur, estque actio a voluntate, sed non libere producta, congruens naturae rationali, seu rectae rationi, aut ab utraque discrepans.

(1) 1. 2. *q.* 18. *art.* 4.

2. Notandum secundo duplex distingui objectum, alterum materiale, alterum formale. Primum est ipsamet res, in qua vertitur actio. Alterum ratio est, seu modus, quo actio tendit in objectum materiale, seu clarius primum ipsa res est, prout quidpiam est positum extra nihil; secundum vero est ipsamet res, prout ab agente attingitur modo rectae rationi consentaneo, vel repugnante. Profecto dum dicimus actum desumere moralitatem suam ex objecto, id plane intelligendum est non de re in se se, atque absolute considerata, sed de re ut refertur aliquatenus ad rectam rationem, cui dicitur consentanea, vel dissentanea. Sic verbigratia objectum adulterii non est femina praecise ut femina, cum ut sic possit esse objectum adulterii, et actus conjugalis, sed est, femina, prout cognoscitur contra prohibitionem rectae rationis.

3. Ex hac distinctione objecti materialis, et formalis facile intelligitur, quomodo actiones humanae possint ex objecto fieri malae, quamvis in rebus ipsis nullum sit malum.

Licet res exteriores, verba sunt Angelici (1), *sint in se ipsis bonae, tamen non semper habent debitam proportionem ad hanc, vel illam actionem, et ideo in quantum considerantur, ut objecta talium actionum, non habent rationem boni.* Hinc cum peccat homo non deficit *ad mala, sed male*, inquit Augustinus (2), *idest non ad malas naturas, sed ideo male, quia contra ordinem naturarum. Neque enim auri vitium est avaritia, sed hominis perverse amantis aurum, justitia derelicta, quae incomparabiliter auro debuit anteponi: nec luxuria est vitium pulchrorum, suaviumque corporum, sed animae perversae amantis corporeas voluptates.* Audiatur etiam Tertullianus (3): *Omnes species malorum, quae etiam Ethnici ut indubitata, et prohibent, et defendunt, ex operibus Dei constant. Vis homicidium ferro, veneno, magicis devinctionibus perfici? Tam ferrum Dei res est, quam herbae, quam Angeli? numquid tamen in hominis necem auctor ista providit? Atquin omnem homicidii speciem uni, et principali praecepto interimit: non occides. Proinde aurum aes, argentum, ebur, lignum, et quaecumque fabricandis idolis materia captatur, quis in saeculo posuit, nisi saeculi auctor Deus? numquid tamen ut haec adversus ipsum adorentur? Atquin summa offensa penes illum idololatria. Quin non Dei est, quod Deum offendit, sed quum offendit, Dei esse desiit, et cum desiit, offendit. Ipse homo omnium flagitiorum auctor non tantum opus Dei, verum etiam imago est, et tamen et corpore, et spiritu desiit a suo institutore.* His positis.

(1) 1. 2. *q.* 18. *art.* 2. *ad* 1.

(2) *Lib.* 14. *de Civit. Dei c.* 12.

(3) *Lib. de spectaculis.*

Pronunciamus: actus humanus moralem speciem desumit ex objecto formali; et quidem primariam.

4. Prima pars auctoritate, ac ratione ostenditur: *Facti sunt* (1) *abominabiles sicut ea, quae dilexerunt*: ex quibus verbis sic argumentatur Angelicus (2): *Fit homo Deo abominabilis propter malitiam suae operationis; ergo malitia operationis est secundum objecta mala, quae homo diligit, et eadem est ratio de bonitate actionis*: quamobrem Augustinus (3) *talis est quisque*, ait, *qualis ejus dilectio est, terram diligis terra es; Deum diligis? quid dicam? Deus eris.* Res haec illustrari potest exemplo motus, quo utitur S. Thomas (4); actus enim quilibet humanus est motus voluntatis in aliquid. Quemadmodum motus quivis tendens in terminum aliquem, speciem desumit ex termino, ceu ex forma quadam, qua determinetur, ut sit hic, vel ille motus, non alius; ita et actus humanus qualitate diversa objecti, in quod proxime tendit, ceu forma quadam determinatur, ut hic, vel ille actus sit, et non alius. Sane in genere naturae actus specificatur ab objectis. Sic occisio hominis verbi-

gratia distinguitur ab occisione ferae, quia diversum est objectum; ergo idem dicendum in genere moris.

(1) *Oseae cap.* 9. *v.* 10.

(2) 1. 2. *q.* 18. *art.* 2.

(3) *Tract.* 2. *in* 1. *S. Joan. n.* 14.

(4) *Cit. loco.*

5. Probatur altera pars. Ea est primaria humani actus moralitas, quae ante omnem aliam in eo concipitur, sine qua concipi actio non potest, et quae mutatis aliis, immutabilis perstat; atqui haec est moralitas, quae desumitur ex objecto. Sic verbi gratia furtum, quod quis in loco sacro admittit ad inebriandum se, eatenus plane intelligitur primo, et essentialiter malum sine ulla relatione ad alias circumstantias sacrilegii, et intemperantiae, quatenus ablatio est rei alienae invito domino, nec potest concipi malitia furti sine malitia injustitiae, mutatisque circumstantiis, aut fine, injustitiae malitia omnino immota perstat, ergo etc.

Diluuntur objectiones.

Objicitur primo. Humanus actus primariam moralitatem depromit ex eo, quod primo respicit; atqui primo respicit finem; voluntas enim non tendit in objectum, nisi gratia finis; ergo humanus actus a fine non ab objecto repetit primariam moralitatem suam.

6. ℞. Humanus actus primariam moralitatem repetit ab eo, quod primo respicit intrinsece, ac essentialiter, non vero extrinsece, atque accidentaliter. Jam vero humanus actus intrinsece, ac essentialiter, seu primo, et per se respicit finem operis, qui dicitur intrinsecus, qui et cohaeret cum objecto; ergo ab hoc fine operis, seu ab objecto repetere primariam moralitatem debet, non vero a fine operantis, quem extrinsece tantum, et accidentaliter respicit humanus actus. Sic in eleemosyna humanus actus primario, ac per se respicit inopiam pauperis ut sublevandam; per accidens vero respicit satisfactionem pro peccatis, vel inanem gloriam, vel etc., quia haec humanae actioni accidunt.

Objicitur secundo. Humanus actus moralitatem suam non nisi a lege repetit; est enim bonus, quia congruit legi, malus vero, quia cum ea pugnat.

7. ℞. Humanus actus speciem desumit suam non ex objecto materiali, sed ex formali. Porro formale non est objectum, nisi consideretur ut consonum, vel repugnans regulis morum; ergo humanus actus speciem desumit suam ex objecto tamquam ex forma specificante, atque adeo ex lege tamquam ex regula. Cum enim, ut dictum est, humanus actus sit motus quidam in objectum tamquam in terminum, plane sequitur, ut illud respiciat tamquam formam specificantem.

Objicitur tertio. Actus ex objecto

bonus directus ad finem malum, ceu eleemosyna ad seducendam puellam, nullam desumit moralitatem ex objecto, sed solam malitiam ex fine operantis, ergo etc.

8. ℟. Humani actus objectum in hoc casu non est sublevatio paupertatis puellae, sed seductio puellae obtinenda per eleemosynam; sic vero eleemosyna exuit omnino rationem objecti, ac induit rationem puri medii. Quare nil mirum, si nequeat dare speciem actui, et mala sit, quia fit medium rei malae, hoc est seductionis puellae.

Objicitur quarto. Actus objecto tenus indifferens ab hoc non repetit moralitatem suam, sed a solo fine operantis, ut cum quis iter agit valetudinis gratia; in hoc enim casu nulla est actionis bonitas, nisi quam tribuit finis valetudinis.

9. ℟. demonstratum supra est, tres esse species moralitatis, hoc est bonitatem, malitiam, et indifferentiam, quamobrem licet actus objecto tenus indifferens ab eodem non repetat bonitatem, vel malitiam, tamen haurit indifferentiam: quae quidem vera est moralitas, cum nequeat concipi sine comparatione actus cum regula sua. Insuper actus indifferens in specie, cum individuo fit bonus, vel malus ob finem, vel circumstantias, hanc etiam boni, vel mali speciem desumit ex objecto; tunc enim finis, et circumstantiae movent voluntatem, ad agendumque sub tali ratione determinant, sicque induunt conditionem objecti. Quo demum fit, ut illud semper verissimum constet, moralem quemvis actum ab objecto semper haurire speciem suam.

Objiciunt quinto. Interior actus objecti loco agnoscit exteriorem; atqui actus interior non haurit bonitatem, aut malitiam suam ab exteriore, uti S. Thomas docet (1).

(1) 1. 2. q. 20. art. 1.

10. ℟. Actus exterior spectari potest, vel ut est in intentione, vel ut est in executione. Si ut est in intentione habet rationem objecti relate ad interiorem actum; furtum enim, ut cogitatum voluntatem movet ad appetitionem sui, speciemque tribuit interiori actui, quo voluntas eligit furtum, sicque omnino interior actus ab exteriori speciem sumit suam. Si vero externus actus spectetur in executione, ac prout ab interiore profluit, hoc modo externus actus non est objectum, sed effectus interioris actus; atque hoc sensu rectissime docet S. Thomas malitiam ex interno actu in externum diffundi.

Objicitur sexto. Actus hi: volo honeste vivere, vel volo sceleste vivere habent suam bonitatem, vel malitiam specificam; sunt enim actus singulares distincti ab aliis in genere moris, primus bonus, alter malus; atqui non desumunt bonitatem, vel malitiam suam ab objecto; alioqui continerent bonitatem virtutum omnium, vel malitiam vitiorum om-

nium, quia implicite in objecta virtutum omnium, vel malitiam vitiorum omnium, quia implicite in objecta virtutum omnium, vel vitiorum omnium feruntur; ergo etc.

11. Huic objectioni Billuart (1) respondet his verbis: *Licet hic actus: volo honeste vivere, plura objecta materialia respiciat, tamen ea respicit sub eodem motivo, ac sub una, eademque ratione formali honestatis in communi, et congruentiae cum ratione, in qua una ratione communi omnia conveniunt: et sic quamvis sint plura materialiter, ac in ratione entis, tamen sunt unum in ratione objecti; ut enim deprehendatur unitas actus specifica non tam spectanda est unitas, vel multiplicitas rei, quae attingitur, quam ratio formalis, ac motivum sub quo attingitur res; atque id est commune omnibus habitibus, scientiis, ac potentiis. Sic verbi gratia objectum scientiae ceu Metaphysicae amplissimum est, ac commune: ens enim est in entis ratione omnia continens entia sub se: quia tamen attingitur a Metaphysica sub eadem ratione formali, hoc est sub eadem abstractione a materia, tribuit illi unitatem specificam. Oppositus actus: volo sceleste vivere, cum nemo intendens malum operetur, elici non potest, nisi ex motivo alicujus boni utilis, aut delectabilis, a quo speciem suam sortitur.*

(1) *De actibus humanis disser.* 4. *art.* 3.

§. 2.

An humanus actus speciem sumat a circumstantiis.

SUMMARIA

1. *Circumstantia definitur, et explicatur.*
2. *Septem sunt circumstantiae, atque per singulas excurritur.*
3. *Actus humanus suam habet moralitatem a circumstantiis.*
4. *Tres sunt effectus circumstantiae moralis.*
5. *Mutantes speciem quae dicantur.*
6. *Addentes speciem quae sint.*
7. *Unde dignoscendum, quandonam circumstantiae mutent, vel addant speciem.*
8. *Circumstantia mutans, vel addens speciem induit rationem objecti.*
9. *Aggravantes, vel minuentes, quae.*
10. *Quandonam circumstantiae censeantur graviter aggravantes, vel minuentes.*
11. *Circumstantiae quandoque, si non physice, theologice tamen speciem mutant.*
12. *Circumstantiae mutantes, vel addentes speciem in confessione aperiendae sunt.*
13. *Solvitur prima objectio.*
14. *Solvitur secunda objectio.*
15. *Solvitur tertia objectio.*

1. Circumstantia definitur accidens quoddam moraliter afficiens humanum actum in suo esse tum phy-

sico, tum morali jam constitutum.

Dicitur primo *accidens*, quia est quid extrinsecum substantiae actus, quae sine tali accidente subsistere potest. Sic sine circumstantia loci sacri subsistit furtum.

Dicitur secundo *moraliter afficiens*, hoc est tribuens actui aliquid bonitatis, vel malitiae; si enim actum physice tantum afficeret circumstantia, moralis censeri minime posset, sed physica, quae ad bonitatem, vel malitiam actus nihil confert. Sic stipem dare manu dextera, vel sinistra nihil confert ad mores.

Dicitur tertio *humanum actum in suo esse morali jam constitutum*; si enim daret primam, et essentialem moralitatem, jam non esset circumstantia, sed evaderet in conditionem objecti.

2. Circumstantiae septem enumerantur ex communi Theologorum sententia, quas Tullius in sua Rhetorica hoc versiculo includit:

Quis, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*, quae si attente perpendantur, in idem recidunt cum iis, quae recensentur in jure civili (1), nempe causa, seu finis, persona, locus, tempus, qualitas, quantitas, et eventus.

(1) *L.* 15. *de poenis.*

Sunt qui inter circumstantias numerent etiam *quoties*, sed male; hoc enim adverbio indicatur multiplicatio actuum. Porro usus actus non est circumstantia cujuspiam alterius actus ejusdem rationis.

Quis non agentem significat, sed ejus qualitatem, num verbi gratia sit solutus, an conjugatus, utrum sacerdos, an laicus: utrum rationis compos, an impos.

Quid non denotat materiam, seu objectum actionis, sed ejus quantitatem, vel qualitatem, verbi gratia res ne furtiva sit sacra, an profana, magnaene, an parvae quantitatis, egeno, an diviti res erepta fuerit.

Ubi non indicat nudum locum; cum actus necessario aliquo in loco fiat, sed loci qualitatem, hoc est sacer ne sit, an profanus, publicus ne, an privatus.

Quibus auxiliis indicat media, et instrumenta, quibus operans usus est ad agendum: utrum verbi gratia ope domesticarum famularum, an solus virginem seduxerit.

Cur non denotat finem intrinsecum, et operis (hic enim confunditur cum objecto), sed extrinsecum, et operantis: clericusne verbi gratia, inserviat Episcopo unice, et principaliter, ut beneficium obtineat, an secus.

Quomodo refert modum accidentalem, quo fit actus: utrum verbi gratia ex cupidine, an ex ignorantia: utrum ex malitia, an ex metu, num intense, an remisse.

Quando denotat non praecise solum tempus, quo actio fit, sed aliquam temporis qualitatem: opusne v. gr. servile die sesto fiat, an feriali; vel quantitatem seu durationem temporis:

utrum verbi gratia per mensem, an per annum quis perduraverit in aliquo affectu pravo, ceu luxuriae, odii, detentionis alienae rei.

Conclusio. Humanus actus depromit bonitatem, vel malitiam aliquam ex circumstantiis.

3. Probatur. Eodem modo ratiocinandum est de bonitate, vel malitia humanorum actuum, quo de bonitate, vel vitio rerum naturalium; *atqui naturalibus in rebus non invenitur tota plenitudo perfectionis, quae debetur ei ex forma substantiali, quae dat speciem, sed multum superadditur ex supervenientibus accidentibus, ut in homine ex figura, colore, et sic de aliis, quorum si aliquid desit ad decentem habitudinem consequitur malum; ita et in actione; nam plenitudo bonitatis ejus non tota consistit in sua specie, sed aliquid additur ex his, quae adveniunt tamquam accidentia quaedam, et hujusmodi sunt circumstantiae debitae; unde si aliquid desit, quod requiratur ad debitas circumstantias, erit actio mala*, ita S. Thomas. (1)

(1) 1. 2. *q.* 18. *art.* 3.

Constat id etiam ex ss. litteris. Nam ex circumstantia personae viduae pauperis (1), quae duo minuta immisit in gazophylacium, legitur ea *plusquam omnes misisse*. Ob eamdem circumstantiam personae Ozias arguitur (2), quod vellet offerre sacrificium. Ob circumstantiam finis exprobratur (3) liberalitas in pauperes inanis gloriae caussa exercita. Ob modi circumstantiam (4) displicuerunt Israelitarum victimae, quia offerebantur modo non debito.

(1) *Marci* 12. *v.* 43.

(2) *Paralip.* 2. *cap.* 26.

(3) *Matth.* 6.

(4) *Isaiae cap.* 10.

Id demum constat ex communi hominum sensu, qui judicaturi de actionis bonitate, vel malitia non modo factum considerant, sed et ejus circumstantias. Sic penes omnes gentes major illi poena infligitur, qui patrem, quam qui hominem alium occiderit.

Quinam sunt effectus circumstantiae moralis.

4. ℟. tres esse. Aliae mutant speciem, aliae dumtaxat addunt, aliae demum bonitatem, vel malitiam augent, vel minuunt intra eamdem speciem.

5. Mutantes speciem circumstantiae sunt, quae humanum actum ex una in aliam speciem trahunt, verbi gratia ex indifferente reddunt bonum, vel malum. Sic deambulatio valetudinis gratia exercita transit in actum virtutis ex indifferentia sua: vel primam destruunt, aut potius impediunt, quominus prodeat. Sic eleemosyna data mere ob vanam gloriam mala est, ac tam mala, ut bonitas ex objecto amplius non existat, quia sumitur ea ut medium ad malum finem.

6. Addentes speciem circumstantiae sunt, quae bonitati, vel malitiae objectivae novam bonitatem, vel

malitiam addunt. Sic malitiae furti, quod fiat in loco sacro addit locus sacer novam malitiam sacrilegii.

7. Ut autem dignoscas, quandonam circumstantia mutet, vel novam addat speciem, videas, utrum in se considerata peculiari quodammodo congruat, vel pugnet cum recta ratione, annon; quum enim moralitas desumatur ab ordine, quem refert actus ad rationem, ceu ad agendi regulam, profecto diversa se prodit species, quoties actus diversum ordinem refert ad rationem. Hinc Angelicus (1): *Quandocumque*, inquit, *aliqua circumstantia respicit specialem ordinem rationis vel pro, vel contra, oportet, quod circumstantia det speciem actui morali vel bono, vel malo.*

(1) 1. 2. *q.* 18. *art.* 10.

8. Ceterum quoties circumstantia mutat, vel addit novam speciem, jam circumstantia non est quoad actum consideratum secundum eam novam speciem, sed induit rationem objecti. Quamobrem D. Thomas (1): *Circumstantia*, inquit, *manens in ratione circumstantiae, cum habeat rationem accidentis non dat speciem, sed in quantum mutatur in principalem conditionem objecti, secundum hoc dat speciem.* Sic in eo, qui ambulat sanitatis gratia, species sumitur a fine operantis. Sic in eo, qui furatur in loco sacro, circumstantia sacri loci, tametsi quoad actum furandi sit accidens, tamen quoad eumdem actum, prout sacrilegium est, differentia specifica evadit.

(1) 1. 2. *q.* 18. *art.* 10. *ad* 3.

9. Aggravantes demum, vel minuentes circumstantiae sunt, quae jam extantem bonitatem, vel malitiam augent, vel minuunt intra eamdem speciem, verbi gratia furtum majoris, vel minoris quantitatis.

10. Ex his circumstantiis aliae graviter, aliae leviter augent, vel minuunt. Censetur graviter augens circumstantia in materia quantitatis, seu quae sita est in numero, pondere, et mensura, si seorsim sumta, et considerata, nec non ab actu ipsomet sejuncta sufficiat peccato mortali constituendo. Sic si supponas nostrates libellas duas constituere materiam gravem in furto, in quatuor libellarum furto erit circumstantia graviter augens duarum libellarum quantitas. In aliis vero materiis censetur insigniter augens, quod excedit graviter modum ordinarium peccandi, ceu si quis per mensem, vel per annum permaneret in odio inimici: si horum nil occurrat, censetur leviter augens.

Ex his intelligitur, quid sit circumstantia graviter, vel leviter minuens.

11. Quae speciem moralem non mutant circumstantiae, possunt mutare speciem theologice, cum nimirum id efficiunt, ut culpa gravis sit, aut levis, vel ut quae gravis est, plus minusve ponderis habeat. Sic furtum unius aurei specie morali non differt a furto unius assis;

nam utrumque justitiae virtuti eadem ratione opponitur; at differt specie theologica, quatenus furtum grave meretur gratiae, ac gloriae privationem, non vero furtum leve. Item theologice plurimum differt furtum centum aureorum a furto unius aurei, hominemque facit criminis longe gravioris conscium, tametsi utrumque ad eamdem moralem speciem pertineat.

12. Circumstantias sive theologice, sive moraliter mutantes, vel addentes speciem in confessione aperiendas esse Theologorum nemo unus dissentit. An vero aperiendae sint etiam circumstantiae graviter augentes, dubitatur adhuc inter Theologos. Hac de re agendum nobis erit in tractatu de Poenitentia. Juverit hic tamen cursim notare, anno 1300. synodum Bajocensem, teste Lambertino (1) statuisse, has circumstantias esse in confessione aperiendas his verbis: *In confessione caveant sibi Sacerdotes, ne inquirant nomina personarum, cum quibus peccaverunt poenitentes, sed circumstantias tantum, quae possunt aggravare peccatum.* Quid ipsi sentiamus, haec non obscure indicant.

(1) *De syn. Dioeces. lib. 6. cap. 11. n. 2.*

Diluuntur objectiones.

Objicitur 1.° Ut aliquid bonitatem, vel malitiam actui tribuat, debet esse *volitum*; at quidquid est *volitum*, est objectum voluntatis; ergo humanus actus a solo objecto haurit bonitatem, vel malitiam. Hinc D. Thomas (1) docet bonitatem, et malitiam voluntatis non a circumstantiis, sed ab objecto solo pendere.

(1) 1. 2. *q.* 19. *art.* 2.

13. ℟. id solum esse objectum voluntatis, quod est primario, et per se *volitum*, non vero quod secundario tantum, et in modum accessorii. Porro morales circumstantiae non sunt *volitae*, nisi secundario, eamque ob rem proprie non sunt objectum voluntatis: si tamen objecti nomine intelligatur quidquid cadit quoquomodo sub intentionem sive primario, sive secundario, tunc circumstantiae induunt et rationem objecti; atque hoc sensu exponendus est D. Thomas, dum ait bonitatem, ac malitiam voluntatis ab objecto solo pendere.

Objicitur 2.° Circumstantiae sunt quid extrinsecum humano actui; ergo non possunt ei tribuere moralitatem intrinsecam.

14. ℟. esse quoque objectum extrinsecum actui; moralitatem tamen ei tribuit intrinsecam: quidni ergo et circumstantiae tribuant? possunt enim et hae id perficere, ut actus intime, intrinseceque congruat, pugnetve cum regulis morum, a quibus illius bonitas, vel malitia sumitur.

Objicitur 3.° Si circumstantia quantitatis tribuere posset actui bonitatem, vel malitiam, actus, quo quis vellet infinitis egenis opitulari, aut

infinitis nocere, indueret bonitatem, vel malitiam infinitam. Item si circumstantia temporis augeret bonitatem, vel malitiam, actus bonus, vel malus durans ad horam, indueret bonitatem, vel malitiam infinitam, cum horae spatium infinita instantia, et infinitas partes complectatur.

15. ℟. Actus malus haurit quidem ab objecto bonitatem, vel malitiam, sed eo modo, quo attingitur objectum a voluntate; quum autem finito semper modo attingatur, numquam actui tribuit bonitatem, vel malitiam infinitam. Quare amor Dei, licet objectum infinitum respiciat, tamen infinitus non est, quia illud attingit finito modo.

Sed nec actui ex duratione inest infinita bonitas, vel malitia; enim vero tametsi duratio dividi possit in infinitum, tamen partes, in quas actu dividitur, finitae semper sunt, ac determinatae. Jam vero bonitas, et malitia moralis vi diuturnitatis augetur iterum, iterumque, prout augentur finitae partes, quas determinata solum cognitione complecti animus potest. Haec sunt, quae dicenda nobis erant de circumstantiis.

§. 3.

De fine.

SUMMARIA

1. *Finis sumitur pro termino, et pro bono.*
2. *Solvitur objectio.*
3. *Finis definitur, et explicatur definitio.*
4. *Bonum, et finis non reciprocantur.*
5. *Finis maxime confert ad mores.*
6. *Finis est primus in intentione, et ultimus in executione.*
7. *Dividitur 1.° finis a plerisque in finem cujus gratia, e finem cui*
8. *Dividitur ab aliis in finem qui, et quo.*
9. *Finis alius est operis, alius operantis.*
10. *Finis alius primarius, alius secundarius.*
11. *Alius est ultimus, alius non ultimus.*
12. *Finis humanus vitae felicitas est.*
13. *Felicitas in solo Deo collocanda.*
14. *In nullo bono praeter Deum sita est felicitas.*
15. *Finis ultimus considerari potest confuse, vel distincte.*
16. *Voluntas explicite, vel implicite tendit in finem ultimum.*
17. *Quidquid appetit homo, illud vult propter finem ultimum sub ratione communi.*
18. *Solvitur prima objectio.*
19. *Solvitur secunda objectio.*
20. *Solvitur tertia objectio.*
21. *Nequit homo sibi constituere plures ultimos fines.*
22. *Solvitur objectio.*
23. *Enumerantur finis effectus, volitio nempe etc.*
24. *Solvitur objectio.*
25. *Quid volitio sit.*
26. *Quid intentio.*

27. *Quid consilium.*
28. *Consilium petendum, et a quibus*
29. *Quid consensus.*
30. *Quid electio mediorum.*
31. *Quid imperium.*
32. *Quid mediorum usus.*
33. *Quid fruitio, et quotuplex.*
34. *Fruitio proprie sita est in delectatione.*
35. *Actus humanus a fine bonitatem, vel malitiam depromit, idque probatur 1.° ex sacris litteris.*
36. *Probatur 2.° ex S. Augustino.*
37. *Probatur 3.° ex sensu intimo.*
38. *Bonus non est actus, nisi ejus bonitas expresse intendatur.*
39. *Qui jejunat ut parcat sumptibus actum non edit bonum.*
40. *Solvitur objectio.*
41. *Ad malitiam actus satis est, ut ejus malitia implicite intendatur.*

1. Finis dupliciter sumitur: primo improprie pro termino cujusque rei, tametsi non intendatur. Sic mors dicitur finis vitae, vespera finis diei. Secundo proprie pro bono, in quod tendit agens, et quo obtento cessat ejus motus. Ergo finis proprie dictus refert caussam, et terminum: caussam quidem, quia movet, et incitat ad operandum, verbi gratia intenta sanitas movet ad quaerenda, et haurienda remedia: refert et terminum, quia obtento fine quiescit agens. Ita S. Thomas (1): *Id ad quod terminatur actus humanus*, inquit, *est id, quod voluntas intendit tamquam finem.*

(1) 1. 2. *q.* 1. *art.* 3.

Dices: ex dictis finis numeratur inter circumstantias humani actus; ergo esse non potest prima ejus caussa.

2. ℟. finem esse non posse primam caussam humani actus imperati, at certe humani actus imperantis. Enim vero in agente propter finem formaliter duo sunt distinguendi actus, alter imperans, et elicitus, hoc est intentio, seu desiderium efficax obtinendi finem, alter imperatus, hoc est electio, et usus mediorum ad obtinendum finem. Porro finis circumstantia est imperati actus, eidemque tribuit bonitatem, vel malitiam accidentalem; est vero caussa movens actus imperantis, eidemque tribuit speciem, seu bonitatem, aut malitiam essentialem.

3. Finis proprie sumtus definiri solet cum Aristotele id, cujus gratia aliquid fit.

Dicitur 1.° id, hoc est bonum aliquod sive verum, sive apparens, cum voluntas non possit ferri in malum qua malum.

Dicitur 2.° cujus gratia, idest cujus amore, ac fruendi desiderio agens operatur.

Dicitur 3.° aliquid fit, hoc est medium assumitur, quod conducere possit ad finis consecutionem. Ex quo consequitur finem primam esse operationum omnium sive naturalium, sive artificialium, sive moralium omnium caussam.

4. Consequitur 2.° bonum, et finem non reciprocari; tametsi enim

omne bonum, si appetatur, cum fine confundatur, et omnis finis bonus sit saltem specie tenus, alioquin non appeteretur, tamen omne bonum non est finis; multa enim bona sunt, ad quae obtinenda nihil fit. Castitas verbi gratia, et scientia sunt quid bonum: quoti tamen sunt, qui neutram sequantur? Ad haec bonum dicitur, prout congruit appetitui; finis vero, prout movet ad media; est enim id, cujus gratia fit aliquid.

5. Cum autem homo se ipsum moveat ad finem, ad mores id confert plurimum, ut a scopo non aberret, noveritque quid sit proprium bonum, in quo finem constituat. *Sunt, qui scire volunt*, ait S. Bernardus (1) *eo fine tantum, ut sciant, et turpis curiositas est. Sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, et turpis quaestus est. Sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est. Sunt, qui scire volunt, ut aedificent, et caritas est. Sunt, qui scire volunt ut aedificentur, et prudentia est.*

(1) *Serm.* 16. *super cantica.*

6. Consequitur 3.° finem esse primum in intentione, ac ultimum in executione, quia, ut re obtineatur finis, praeire debent media.

7. Finis dividitur 1.° in finem *cujus gratia*, et finem *cui*. Prior res ea est, cui obtinendae agens dat operam. Posterior persona est, seu subjectum, cui appetitur finis *cujus gratia*. Sic in Medico sanitas est finis, cujus gratia: aeger vero est finis, cui Medicus appetit sanitatem. Haec tamen divisio non est in duos fines distinctos, sed in duas res unum, eumdemque finem constituentes, quae sunt ejus quasi duae partes, et conditiones. Enim vero manifestum est valetudinem non appeti secundum se, atque in abstracto, sed ut aegro profuturam.

8. Dividitur 2.° in finem *qui*, seu objectivum, et finem *quo*, seu formalem. Finis *qui* est objectum, quod consequi vi mediorum intendimus, et ob id dicitur etiam finis objectivus. Finis *quo* est finis objectivi consecutio, ac possessio. Sic Deus est finis objectivus hominis; visio vero beatifica est finis *quo*, seu formalis. Haec etiam divisio non est in duos fines distinctos, sed in res duas unum, eumdemque finem integrantes; non enim tendit homo in Deum, nisi ut possidendum.

9. Dividitur 3.° in finem operis, et finem operantis. Finis operis ea res est, ad quam opus natura sua tendit. Sic levamen pauperis est finis eleemosynae. Vocatur etiam hic finis proprius, et intrinsecus, quia est quid unum cum objecto. Finis operantis est is, quem sibi praestituit operans. Sic finis stipem elargientis est aliquando vanitas, aliquando quidpiam aliud, vocaturque finis extrinsecus; potest tamen is esse simul finis operis; nam quandoque in idem recidunt.

10. Dividitur 4.° in finem primarium, seu principalem, et in se-

cundarium, seu minus principalem. Primarius is est, qui per se primo intenditur, atque appetitur. Secundarius vero, qui non per se, sed secundario tantum appetitur, ac intenditur. Sic Sacerdos in celebratione Missae primario intendit Dei cultum, secundario stipendium.

11. Dividitur 5.° in finem ultimum, et non ultimum. Ultimus is est, cujus gratia expetuntur cetera, ad quem cetera referuntur, qui ad nullum refertur, nec alterius gratia umquam appetitur. Finis non ultimus, seu intermedius is est, qui sic appetitur, ut ad finem alium referatur.

Quisnam sit ultimus finis humanae vitae.

12. ℟. Felicitas est. Nam finis ultimus is est, ad quem omnia referuntur; atqui ab homine ad felicitatem referuntur omnia, ut praeclare scribit Augustinus (1): *Communiter omnes Philosophi, studendo, quaerendo, disputando, videndo appetiverunt apprehendere vitam beatam: haec una fuit caussa philosophandi; sed puto, quod etiam hoc Philosophi nobiscum commune habent; si enim a vobis quaeram, quare in Christum creditis, quare Christiani facti estis, veraciter mihi omnis homo respondet: propter vitam beatam.* Dein ait: *Nam et qui bonus est, ideo bonus est, ut beatus sit, et qui malus est, malus non esset, nisi inde se beatum esse posse speraret; verbi gratia pone aliquem furem: quaero ab illo: quare furtum facis? ut habeam, inquit, quod non habebam: quare vis habere, quod non habebas? quia miserum est non habere. Si ergo miserum est non habere, beatum putat habere. Sed in eo imprudens est, et errat, quia de malo vult beatus fieri.*

(1) *Serm. 150., qui de Epicureis, et Stoicis est cap. 3.*

Et sane, ut ex dictis de libertate constat, voluntas nostra ob id libera est, quia in quocumque particulari bono quidpiam mali deprehendit, vel defectionem boni cognoscit; ergo si voluntati obversetur aliquod bonum, in quod nec malum ullum, nec privationem ullius boni deprehendat, hoc est si voluntati offeratur bonum numeris omnibus absolutissimum, eo fertur necessario voluntas: at felicitas est bonum illud ipsissimum, cum in ea nihil occurrere possit, quod a bono deficiens, aut non bonum videri queat; est enim felicitas cumulata bonorum omnium complexio, malis exclusis omnino omnibus; ergo sola felicitas est finis ultimus hominis.

13. Ex his consequitur 1.° felicitatem in solo Deo constituendam esse, quia solus Deus est bonum illud omnino perfectissimum, cui mala omnia omnino repugnant, quod bona prorsus omnia in se complectitur.

Praeterea objectum intellectus nostri est universale verum, et objectum voluntatis est universale bonum, quia intimo sensu novimus, nos particulari vero, aut particulari

bono minime satiari, sed ulterius tendere; atqui verum, et bonum universale in solo Deo reperitur, nequaquam in ulla creata re, quae solum obtinet veritatem, ac bonitatem, cujus particeps a Deo fit, quaeque adeo auctori suomet accepta referenda est; ergo in solo Deo constituenda est felicitas hominis.

14. Colligitur 2.° in nullo bono praeter Deum constituendam esse felicitatem, sive spectentur ea bona, quae homini adhaerent interius, ceu sapientia, virtus animi, firma corporis valetudo, sive considerentur ea, quae adveniunt homini exterius, ut divitiae, honores, imperia, fama etc., quia constans omni aetate omnium hominum experientia evidentissime ponit ob oculos, haec omnia bona occupare quidem, nequaquam vero satiare animum.

An quidquid homo vult, propter finem ultimum velit.

15. Notandum 1.° finem ultimum spectari posse dupliciter, hoc est vel confuse, ac sub ratione communi quadam boni summi, quodcumque tandem illud sit, quod hominem perficere cumulate possit, quo modo consideratur ab iis, qui hoc unum sciunt, se felices esse velle, at ignorant in opibus ne, an in honoribus etc. consecuturi sint felicitatem suam. 2.° distincte, ac determinate, ut si quis rem determinatam, verbi gratia Deum, vel divitias sibi proponat ut finem ultimum, et ad eum, vel ad has sua referat omnia.

16. Notandum 2.° voluntatem duobus modis tendere in finem ultimum, videlicet, explicite, dum quis verbi gratia quidpiam facit, ut felicitatem aeternam consequatur, et implicite, dum appetimus bona particularia, quin expresse cogitemus, vel appetamus finem ultimum. Hisce praemissis.

17. ℟. Omnia vult homo propter finem ultimum sub ratione communi spectatum. Id constat jam ex resolutione superioris quaestionis; sed et demonstrari potest ratione D. Thomae. Enim vero quidquid appetit homo, sub ratione boni appetit; ergo quaecumque deliberate vult, expresse, vel implicite vult propter finem ultimum. Consequentia sic probatur a D. Thoma. Quod voluntas appetit sub ratione boni, vel appetit ut bonum perfectum, et tunc finis ultimus est: vel appetit ut minus perfectum, et tunc hoc bonum vult, ut tendat in bonum perfectum; *Semper enim inchoatio alicujus*, inquit S. Doctor (1), *ordinatur ad consummationem ipsius, sicuti patet tam in iis, quae fiunt a natura, quam in iis, quae fiunt ab arte*. Hinc S. Augustinus (2), inquit: *Verum est, quod omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, et propter hoc cetera quaecumque appetant.*

(1) 1. 2. *q.* 1. *art.* 6.

(2) *Lib.* 13. *de Trinit. cap.* 5.

Dixi sub ratione communi spectatum finem ultimum; si enim sermo sit de fine ultimo spectato in particulari, et determinate, non omnia fiunt ab homine propter hunc finem; ex dictis enim finis ultimus in particulari, et sub ratione determinati boni est solus Deus, in quo sita est nostra felicitas. Porro quidquid homo vult deliberate, non vult determinate semper propter Deum, cum plura velit, quorum caussa plane avertitur a Deo, et convertitur ad creatas res; ergo etc.

Objicitur 1.° Interdum sibi mortem consciscunt homines. At credibile non est, quemquam felicitatis studio moveri ad semetipsum interimendum; ergo quidquid homo vult, felicitatis amore non vult.

18. ℟. Dum sibi mortem consciscunt homines, felicitatem diligunt suam; nam eo tempore mortem non apprehendunt sub ratione mali, sed potius in statis iis loci, temporis, rerumque adjunctis mors videtur quid boni, aut certe minus malum, dum cum majore conferunt: quo in casu quod levius malum videtur, boni locum obtinet; ergo dum in interitum voluntarium ruunt, hunc intuentur ut graviorum malorum finem, quia persuasum id habent, praeter mortem sibi nullam aliam superesse viam, qua aerumnis, quibus premuntur, se liberent. Hoc sensu *iram* hominis ulciscentis *melle dulciorem* dixit Homerus.

Objicitur 2.° si omnis actio humana tendit in beatitudinem, nullus foret otiosus actus; falsum consequens; ergo etc.

19. ℟. Actus otiosus dicitur, qui ad nullum finem in particulari refertur; non vero is, qui refertur ad finem spectatum in communi; actus enim, qui refertur ad felicitatem, est de se indifferens, ut applicari possit objecto bono, vel malo, atque ob id nullam tribuit humanis actibus bonitatem, vel malitiam. Quamobrem ut actus sit bonus, necesse est, ut agens non modo eum referat in propriam felicitatem, verum etiam ut referat in finem aliquem particularem honestum.

Si forte dicas non esse otiosum diligere felicitatem in communi; respondeo inutile, ac otiosum esse felicitatem quaerere vi actuum, quorum nulla sit pia utilitas, vel justa necessitas: quae conditiones sunt, quas exigunt ss. Patres, ne actus otiosus sit.

Objicitur 3.° justus peccans venialiter, peccatum veniale non vult propter Deum, ad quem referri non potest, nec propter creatam rem; alioquin poneret finem ultimum in creata re, peccaretque adeo mortaliter; ergo quidquid vult homo, non vult propter finem ultimum.

20. ℟. justus peccans venialiter, non vult quidem veniale peccatum propter finem ultimum determinate, ac in particulari acceptum, bene vero confuse, atque in communi consideratum; etenim appetere fi-

nem ultimum in communi, ac sub ratione beatitudinis, nil aliud est, quam velle beatum esse. Porro ex Augustino (1) *beatum esse tam magnum bonum est, ut hoc et boni velint, et mali*; dum enim hi peccant, id unum quaerunt, ut fiant beati. Neque vero inde sequitur peccatum veniale justi fieri mortale, quia finis beatitudinis utpote necessario amatus, ac de se indifferens, ut honesto, vel turpi objecto applicari possit, nullam, uti supra dictum est, tribuit actui honestatem, vel malitiam.

(1) *In psal.* 118.

An homo possit sibi constituere plures ultimos fines.

21. ℟. negative. Probatur 1.° ratione D. Thomae. Finis ultimus totalis, et adaequatus, in quo quiescit homo, totaliter dominatur voluntati; at fieri omnino non potest, ut duo sint fines, qui totaliter voluntati dominentur; amor enim unius non subjiceretur amori alterius; alioquin non esset supremus dominans juxta id Christi (1): *Nemo potest duobus dominis servire*; ergo fieri omnino non potest, ut existant plures fines ultimi totales, et adaequati.

(1) *Math.* 6. v. 24.

Probatur 2.° Notio finis ultimi est, ut ad eum omnia referantur, jamvero si duo esse possent fines ultimi, vel horum alter amaretur alterius gratia, vel non: si primum, jam finis, qui amaretur alterius gratia, non esset finis ultimus; necessario enim referretur ad alterum, quae relatio finis ultimi notioni repugnat. Sin alterum, neuter esset finis ultimus, cujus notio est haec, ut ejus gratia expetantur omnia.

Objicitur primo. Unus idemque homo intendere simul potest peccata plura mortalia diversae speciei, verbi gratia furtum, fornicationem, superbiam etc., in quibus suum finem ultimum saltem interpretative constituat; ergo plures fines simpliciter ultimos saltem interpretative habere potest.

22. ℟. Negando consequentiam: finis enim ultimus peccantis mortaliter est propria sui delectatio, quae in omnibus peccatis etiam diversae speciei una, et eadem est; ergo semper unum, eumdemque finem ultimum intendit: ea vero creata res, cujus amore peccat mortaliter, est dumtaxat finis proximus, ad quem tendit, et a quo ejus actus desumit speciem. Quamobrem tametsi ea possit esse multiplex, tamen eam ob rem non potest homo habere plures fines ultimos simpliciter adaequatos. Solutio est D. Thomae (1). Verum etiamsi daremus (quod nobis non probatur) peccantem mortaliter in objecto peccati cujusvis constituere finem ultimum, quid tum? dicendum eorum quoque fines ultimos fore non *totaliter*, sed *partialiter*, quatenus objecta ea plura acciperentur in ratione unius boni perfecti ex iisdem *partialiter* constantis. Quare licet

Gentiles plures sibi Deos proponerent, tamen non proponebant sibi plures fines ultimos totales, et adaequatos, sed solum plures fines ultimos *partiales*, et inadaequatos. Quamobrem Dii omnes distributive sumti erant eorum finis inadaequatus; collectio vero Deorum finis adaequatus, ac totalis.

(1) *In* 4. *dist.* 42. *q.* 2. *art.* 1.

Quinam sint effectus finis.

23. R/. effectus finis esse actus, quibus voluntas in finem tendit. Octo numerantur, quorum tres, volitio, intentio, ac fruitio versantur circa finem; quinque vero reliqui, consilium, consensus, electio, imperium, et usus, versantur circa media, singuli ad finem conducentia.

Objicitur. Actus hi omnes, sola excepta fruitione, sunt caussa finis; is enim iis comparatur; ergo non sunt ejus effectus.

24. R/. omnes memoratos actus esse caussam finis in executione, nequaquam in intentione; duobus enim his modis spectatur finis. Jam vero finis in intentione bonum est voluntati propositum ut propter se appetendum, atque ut sic movet voluntatem ad amorem sui, et ad efficaciter laborandum, ut obtineatur, ac proinde caussa et actuum, quos recensuimus; finis vero in executione bonum est jam obtentum, ac possessum, ut sanitas etc.: quod quum non obtineatur, nisi ope inquisitionis, electionis, et usus mediorum, sequitur omnes illos actus esse caussam possessionis, quae vocatur finis in executione.

Quem ordinem omnes hi actus servant inter se?

25. R/. Ut ab intellectu proposita est voluntati bonitas objecti, statim prodit inde simplex volitio, seu nuda voluptas, et *complacentia* objecti propositi: simplex dicitur, quia finem in se a mediis sejunctum diligit, ac propterea *velleitas*, seu actio inefficax vocatur. Simplex haec velleitas sejuncta ab intentione non obtinet rationem finis, cum nihil fiat ejus obtinendi gratia. Quot enim sunt, qui virtutis pulchritudinem suspiciunt; ac diligunt, nec eam tamen intendunt, quia mediis uti nolunt ad eamdem comparandam necessariis. Quapropter ut simplex volitio sit effectus finis, praesto esse quoque debet intentio, quae cum volitione omnino conjungatur.

26. Intentio definitur actus voluntatis efficaciter, atque absolute in finem tendentis per media consentanea. Porro qui efficaciter finem intendit, statim sollicitus inquirit media, quibus finis obtineri possit. Quare.

27. Intentioni succedit consilium, seu deliberatio sita in ratiocinio intellectus practici, ac definitur actus mentis inquirentis media, et expendentis eorum cum fine proportionem. Hic actus elicitur quidem ab intellectu; at quia imperatur ab efficaci voluntatis intentione, inter effectus finis propterea numeratur.

Enimvero intellectus sub imperio voluntatis conferri perbelle potest cum famulo, qui noctu praeferens facem Domino non pergit, nisi quo, et qua vult Dominus, nec lucem admovet, nisi ubi praecipit Dominus. Consilium proprie ad intellectum pertinere docet luculenter D. Thomas (1) his verbis: *Post determinationem consilii, quae est judicium rationis, voluntas eligit.* Jam videamus quam necessarium in humanis actibus consilium sit.

(1) 1. 2. *q.* 17. *art.* 3. *ad* 1.

28. Consilium agendorum summopere inculcant ss. litterae, ac Patres. Sic (1) inquit Salomon: *Ego sapientia in consilio habito, et eruditis intersum cogitationibus.* Sic Ecclesiasticus (2): *Ante omnia opera verbum verax praecedat te, et ante omnem actum consilium stabile.* Nec solum saepe monent, consilium petendum esse, sed a quibus petendum sit, indicant, hoc est a viris sanctis, non vero a peccatoribus. Sic idem Ecclesiasticus (3) *cum fatuis*, inquit, *consilium non habeas: non enim poterunt diligere, nisi quae eis placent.* Nam cum unusquisque judicet, prout est affectus, uti fert commune adagium, cumque peccatores sint pessime affecti erga finem ultimum, consilia praebere solent a fine ultimo detorquentia. Ceterum, dum consilia petuntur etiam a viris sanctis, aperienda est consulenti sincera, et candida nostra mens; alioquin *juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas Prophetae erit* (4).

(1) *Prov.* 8. *v.* 12.
(2) *Ecclesiast.* 37. *v.* 20.
(3) *Eccl.* 8. *v.* 20.
(4) *Ezech. cap.* 18. *v.* 10.

29. Consilio succedit consensus, qui est actus, quo voluntas approbat media ab intellectu proposita, tamquam fini intento consequendo idonea.

30. Consensum sequitur electio mediorum, quae definitur acceptatio unius medii prae alio ad finem consequendum. Quamquam vero electio circa media versatur, tamen poterit versari et circa finem, si finis inducat rationem medii c nducentis ad finem alium superiorem, quemadmodum unius scientiae principium potest esse alterius conclusio: imo lato quodam sensu poterit electio versari etiam circa finem ultimum, quatenus omnibus aliis bonis antefertur juxta illud scripturae (1): *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus.*

(1) *Deut.* 26. *v.* 16.

31. Electionem excipit imperium, quod definitur actus practicus voluntatis, vel secundum alios actus intellectus praesupposito tamen actu voluntatis imperantis usum mediorum, quae post habitam deliberationem electa sunt tamquam ad finem magis idonea.

32. Imperium continuo sequitur mediorum usus, qui dupliciter sumi potest, videlicet active, ac passive. Active sumtus est actus voluntatis

applicantis semetipsam, vel alias potentias ad electi medii executionem. Passive spectatus est ipsamet electi medii executio, ceu eleemosynae largitio, estque actus imperatus: In hanc rem quot sunt, qui pia proposita multiplicant, eligenda decernunt, at, cum ad exitum perducenda sunt, languent, ac torpescunt. Id praeclare omnino explicat D. Bernardus (1): *Quoties vis, et in cassum? quoties moves, nec permoves? quoties conaris, et non datur ultra? eniteris, et non obtines? parturis, et non paris? tentas, et non abriperis? ubi incipis, ibi deficis, et dum adhuc ordiris, succidunt te.*

(1) *Lib. 1. de considerat.*

33. Ultimus effectus est fruitio finis, quae definitur jucunda quies in re possessa juxta illud sapientiae (1): *Venite, et fruamur bonis.* Duplex distingui solet fruitio, altera imperfecta, quae sistit tantum in fine sperato, et amato secundum id scripturae (2): *spe gaudentes*: haec tamen proprie fruitio non est, quae finem exigit possessum, nequaquam tantum speratum. Altera perfecta, et consummata est, quae sita est in bono possesso, et in patria solum conceditur, si sermo sit de fine ultimo. Egregie Augustinus (3): *Ea re dicimur frui, ait, quae nos non ad aliud referenda per se ipsam delectat; uti vero ea re, quam propter aliud quaerimus. Unde temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur aeternis.*

(1) *Sap. 2. v. 6.*

(2) *Rom. 12. v. 12.*

(3) *Lib. 11. de civit. Dei c. 25.*

Ex his colligitur nomine quietis, de qua in definitione fruitionis, non intelligi cessationem ab omni actione, sed gaudium, ac delectationem, atque adeo vitalem actum voluntatis in possessione boni amati, et obtenti suaviter conquiescentis.

In quo actu sita sit fruitio proprie dicta.

34. ℟. Cum tres actus concurrant ad fruitionem, amor, possessio boni, et gaudium, seu delectatio, disputant inter se Theologi, dum quaerunt, in quonam ex hisce actibus fruitio posita sit. Nobis in delectatione videtur essentialiter posita fruitio: in possessione vero, et amore *praesuppositive* dumtaxat. Sunt enim plures, qui amant, sed non possident: item plures sunt, qui amant, et possident, sed re amata, et possessa non delectantur. Exemplum sit in eo, qui amat, ac possidet potionem amaram, qua non delectatur; ergo etc.

An actus humanus bonitatem, vel malitiam desumat a fine.

Responsurus notes velim sermonem hic non institui de fine operis, quem unum, idemque cum objecto esse supra dictum jam est, sed extrinseco de fine, quem sibi ad libidinem praefigit operans: qui tametsi non differat a circumstantia, tamen quia ex circumstantiis praecipua est, qua movetur agens ad opus, ob id de fine speciatim, uti observatum jam

est, agit D. Thomas, et cum eo Theologi: hoc praemisso.

35. ℞. Humanum actum a fine sumere bonitatem, vel malitiam. Id in primis constat ex ss. litteris: *Si oculus tuus simplex fuerit* (1), *totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*: quem textum ita interpretatur Augustinus (2): *Oculum hic accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus quidquid facimus, quae si munda fuerit, et recta, et illud aspiciens, quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quae secundum eum operamur, necesse est bona sint, quae omnia opera totum corpus appellavit.* Sic etiam Gregorius (3) nomine oculi intentionem intelligit, et nomine corporis ipsam actionem, quae scilicet *intentionem* quasi intuentem oculum sequitur.

(1) *Math.* 6. *v.* 22.

(2) *Lib.* 2. *de serm. Dom. c.* 13.

(3) *Lib.* 28. *moral. cap.* 11.

36. Luculentius rem hanc explicat supra laudatus D. Augustinus (1), qui comprimens jactantiam eorum, qui gloriabantur, quod abstinerent a carnibus, et vino, inquit: *Quod quaero a vobis, quo fine faciatis, finis enim, quo referuntur ea, quae facimus, idest propter quem facimus quidquid facimus, si non solum inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tunc demum facta nostra laude aliqua digna sunt; sin ille jure merito culpatur, quem spectamus, et intuemur, cum in aliquo versamur officio, id quoque officium, nemo improbandum, vituperandumque dubitaverit. De Catilina memoriae proditum est, quod frigus, sitim, famem ferre poterat: haec erant illi spurco, sacrilegoque etiam cum Apostolis nostris communia. Unde ergo discernitur parricida iste ab Apostolis nostris, nisi fine illo, quem diversissimum sequebatur.* Ergo actionis bonitas, vel malitia et a fine desumitur.

(1) *Lib. de moribus Manich. c.* 3.

37. Id ipsum demonstrari quoque potest sensu intimo. Solent flagitiosi homines, ut notam inurant praeclaro cuipiam facto eorum, quos oderunt, nihilo expeditiores esse, quam ut in iis pravum finem comminiscantur; contra vero cum sese apud aliquem de admisso crimine purgare volunt, rectam intentionem suam obtrudere. Quorsum haec? nisi quia plane intelligunt omnibus intimo sensu constare a fine, qui caussa est, cur actio suscipiatur, bonitatem, vel malitiam pendere. Hinc in jure civili (1) dicitur: *Eadem severitate voluntatem sceleris, qua effectum puniri, jura voluerunt*; et alibi (2). *In maleficiis voluntas spectatur, non exitus*: demum (3) *quamquam lex non minus eum, qui occidendi hominis caussa cum telo fuerit, quam eum, qui occiderit, puniat.*

(1) *L.* 5. *cod. ad l. Juliam.*

(2) *L.* 14. *ff. ad l. Cornel. de sicariis.*

(3) *L. 16. ff. de poenis.*

Quomodo intendi debeat bonitas, vel malitia tam objecti, quam circumstantiarum, ut actus sit bonus, vel malus.

℟. ut actus sit bonus, bonitas ejus directe, ac explicite intendenda est: ut vero sit malus, satis est, ut indirecte, ac implicite intendatur ejus malitia.

38. Probatur prima pars: Qui bonitatem actus non intendens quidquam agit ex objecto bonum, nullo modo laudandus est, utpote qui ex eodem casu malum aliquod patrare poterat, quantum per eum stetit; imo culpandus, quia sic fortuito agens curam, ac diligentiam non adhibuit, quam adhibere tenebatur, ne quid adversus legem admitteret; ergo ut actus sit bonus, ac voluntati, ut moraliter bonus tribuatur, oportet, ut bonitas actus a voluntate directe volita, et intenta fuerit.

Confirmatur auctoritate D. Augustini, qui (1) inquit: *Noveris non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium autem est, quod faciendum est; cum itaque homo facit aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Ergo ex Augustino, ut quod bonum facit homo, vere sit moraliter bonum, neque in eo agendo peccet, necesse est, ut faciat bonum bene affectus, hoc est propter hoc, propter quod facere debet, ut inquit S. Doctor. Item (2) ait: *Ut aliquis dicatur voluntatis bonae opus est, ut sit amator boni;* atqui nemo potest esse amator boni, ni bonum illud directe intendat; ergo ut actus sit bonus, a voluntate bonitas ejus directe intendenda est. Ceterum necesse non est, ut operans in actu signato, ut dicitur, bonitatem actus intendat, v. g. ut secum ipse dicat: volo, et perficio haec omnia, quoniam honesta, et in virtute sunt, sed satis est, ut eam intendat in actu exercito, nempe ut velit actum qua ratione honestus est, verbi gratia, ut in eleemosyna intendat sublevare indigentiam pauperis.

(1) *Lib. 4. advesus ad Julianum c. 3.*

(2) *Lib. 14. de civit. Dei cap. 6.*

39. Ex his consequitur, actum bonum praecise, ac unice volitum propter finem indifferentem, ceu actum ejus, qui jejunat praecise, ut parcat sumtibus bonum non esse, quia formaliter non intenditur honestas jejunii.

At inquies: qui eleemosynam tribuit, ut pro peccatis satisfaciat, actum elicit, cujus duplex bonitas est, altera objecti, altera finis; ergo qui jejunat, ut parcat sumtibus, cum praeferat finem indifferentem, eliciet actum, sin minus ex fine, saltem ex objecto moraliter bonum.

40. ℟. in primo casu inesse bonitatem, quia eleemosyna conducit ad satisfactionem peccatorum, et quia bonitas eleemosynae intenditur ab agente: at in altero casu jejunium,

licet ex objecto bonum; quia refertur ad finem indifferentem, nihil prodest, prout honestum est; et aliunde jejunii bonitas non intenditur; qui enim jejunat praecise ut parcat sumtibus, nihil curat honestatem jejunii, sed ei satis est, ut jejunium conducat ad finem intentum. Id etiam constat ex auctoritate D. Thomae, qui (1), inquit; *Ad hoc, ut sit voluntas bona, requiritur, ut sit bona sub ratione boni, idest quod velit bonum, et propter bonum, seu quia bonum est.*

(1) 1. 2. *q.* 19. *art.* 7. *ad* 3.

41. Probatur altera pars. Malum non solum non est appetendum, sed omni modo vitandum: at non vitatur profecto, cum indirecte, ac implicite intenditur. Deinde si ut actus sit malus, malitia ejus directe intendenda esset; nullus amplius foret peccator, quia malum, qua malum, appeti a voluntate non potest, tantummodo sub fucata specie boni fertur in malum voluntas, atque adeo solum indirecte ferri potest in malum. Quamobrem scelestissimi homines, dum malitiam appetunt, non possunt eam appetere, praeterquam intuitu alicujus bonitatis, quam in ea ipsimet apprehendunt. Haec de fine satis esse videntur, nunc ad graviora properandum. Agemus de affectionibus moralitatis.

§. 4.

De affectionibus moralitatis.

SUMMARIA

1. *Actio tota evadit mala, si in finem malum referatur.*
2. *Solvitur prima objectio.*
3. *Solvitur secunda objectio.*
4. *Solvitur instantia.*
5. *Solvitur altera instantia.*
6. *Solvitur tertia objectio.*
7. *Solvitur quarta objectio.*
8. *Actus ex objecto malus in finem bonum relatus non evadit bonus, atque probatur primo ex s. literis.*
9. *Probatur secundo ex Augustino.*
10. *Probatur tertio ratione D. Thomae.*
11. *Solvitur prima objectio.*
12. *Solvitur secunda objectio.*
13. *Boni finis intentio multiplici de caussa actus malitiam minuit.*
14. *Bonus finis peccatum e mortali facere veniale non potest.*
15. *Solvitur objectio.*
16. *In eodem actu duplex esse potest bonitas, vel malitia.*
17. *Jejunium ex voto, vel obedientia, melius est jejunio sine voti, vel praecepti obligatione.*
18. *Solvitur objectio.*
19. *Unus, idemque actus physice non abruptus, progressu temporis fieri potest e bono malus.*
20. *Actus ex objecto bonus susceptus ob malum finem, esse non potest simul bonus, et malus.*
21. *Actus ex objecto bonus susceptus*

tum ob bonum, tum ob malum finem, totaliter malus est.

22. *Actus ex objecto bonus probabilius suscipi non potest partim ob bonum, partim ob malum finem.*

23. *Actus tum ex objecto, tum ex fine bonus, cui accedat circumstantia venialis, partim bonus, partim malus esse potest.*

24. *Inanis gloria antecedenter se habens in susceptione Eucharistiae impedit ejus fructum, secus si concomitanter.*

25. *Actus, quo quis exterius assentitur fidei, relatus in inanem gloriam, ne ex objecto quidem bonus est.*

Praecipua moralitatis affectio est ejusdem multiplicatio in uno, eodemque actu, de qua plura quaeruntur. Ac 1.° quidem, an actio ex objecto bona, si malum in finem dirigatur, tota evadat mala.

1. ℟. affirmative. Id constat 1.° ex ss. litteris (1): qui orant, jejunant, eleemosynam pauperibus erogant inanis gloriae caussa, receperunt mercedem suam. Jam vero nisi prava finis intentio totam actionem vitiaret, posset quispiam sperare mercedem aliam; ergo prava finis intentio id efficit, ut totus actus malus sit. Huc etiam pertinent ea Christi verba, quae leguntur eodem capite: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Porro supra demonstratum est auctoritate Augustini, et aliorum ss. Patrum, oculi nomine intentionem intelligendam esse, corporis vero nomine actionem; ergo si oculus, seu intentio fuerit nequam, totum corpus, seu actio tota tenebrosa est, seu mala. Idipsum constat ex auctoritate D. Thomae, qui (2) inquit: *Voluntas non potest dici bona, si sit intentio mala caussa volendi; qui enim vult dare eleemosynam ob inanem gloriam consequendam, vult id, quod de se est bonum sub ratione mali, et ideo prout est volitum ab ipso est malum, unde voluntas ejus erit mala*; et alibi (3): *Cum aliquis*, inquit, *vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, et hic actus totus est malus, licet non ab eo omni, quod in eo est malitiam habeat.*

(1) *Matth.* 6. *v.* 22.

(2) 1. 2. *q.* 19. *art.* 7. *ad* 2.

(3) *In* 2. *dist.* 38. *q.*, *art.* 4. *ad* 4.

Solvuntur objectiones.

Non desunt opera ex objecto bona, quae merentur aliquod temporale praemium in hac vita, tametsi malum in finem dirigantur. Sic Jehu in delenda domo Achab, opus edidit ex objecto bonum, quia egit praecipiente Deo; at delevit domum male affectus pro cupiditate suae dominationis, ut inquit Augustinus (1), et tamen aliquantam mercedem transitoriam regni temporalis accepit; ergo actus ex objecto boni, tametsi malum in finem dirigan-

tur, non sunt totaliter mali.

(1) *Lib. contra mendacium cap.* 2.

2. ℟. multiplices actus moraliter distingui posse in iis, quae fecit Jehu contra domum Achab; potuit enim ad eam delendam moveri mandato Dei obtemperaturus, et simul ejusdem praecepti occasione in ea delenda domo satisfacere pravae cupiditati dominandi. Porro quatenus Jehu voluit Deo praecipienti obedire, actio bona fuit ex objecto; faciebat enim jussum Dei: bona fuit etiam ex fine, hoc est ex *motivo* morem gerendi Deo; idque significare videtur scriptura (1): *Quia studiose egisti, quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia, quae erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Quatenus vero in persolvendo mandato Dei locum dedit malae cupiditati dominandi, peccavit certe Jehu, nec ob id mercedem obtinuit. At quia cupiditas haec non omnino efficax fuit, si ad executionem praecepti referatur, sed solum socia in modum actus moraliter distincti, ob id efficere non potuit, ut actus elicitus eo animo, ut obsequeretur Deo, non esset moraliter bonus. Id colligi videtur ex eodem scripturae loco, ubi arguitur Jehu diversorum vitiorum, quae conjunxit cum obedientia, licet in obedientia recte se gesserit, loco enim jam citato legitur: *Porro Jehu non custodivit, ut ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo; non enim recessit a peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israel.* Quare D. Thomas inquit: *Commendatur Jehu, et temporaliter remuneratur a Deo non pro simulatione, sed pro zelo, quo destruit* cultum *Baal.* Ex quo patet responsio ad locum Augustini. Ita vir clarissimus.

(1) 4. *Reg. cap.* 10. *v.* 30.

Objicitur 2.° Qui urgente praecepto eleemosynam erogat inanis gloriae ut auram captet, praeceptum caritatis implet; sed implere praeceptum est opus bonum; ergo etc.

3. ℟. eum, qui opus ex objecto bonum peragit, verbi gratia eleemosynam tribuit cum pravo fine, non implere proprie divinum praeceptum; hoc enim non impletur per actum malum. Dixi proprie, quia improprie, ac materialiter dici potest hunc implere praeceptum hoc sensu, quatenus tollitur materia praecepti, ex qua nascebatur ejus obligatio: hinc non tenetur amplius servare praeceptum.

Instant 1.° Qui officium persolvit inanis gloriae caussa, melius facit, quam qui officio deest; ergo ejus actus aliqua saltem ex parte bonus est; quod enim nullo modo bonum est, nequit dici altero melius.

4. ℟. eum, qui gloriae inanis caussa eleemosynam verbi gratia tribuit, proprie non persolvere officium: minus tamen peccare, quam qui nihil dat, quia iste retinet adhuc affectum

ad pecuniam, non alter: non melius agere; neque enim melius agit, qui nihil boni agit. Quare comparativum *melius* est de non supponente.

Instant 1.° Malitia finis, cum sit extrinseca objecto, non destruit ejus bonitatem; ergo non impedit, quominus actio sit bona quoad objectum.

5. ℟. Finis est quidem extrinsecus objecto in genere entis, at non in genere moris; actio enim, uti supra demonstratum est, haurit bonitatem, vel malitiam suam a fine. Deinde cum objectum bonum refertur ad finem malum, tunc actio non amplius desumit speciem suam ab objecto, quia hoc in casu objectum intenditur ut medium, atque adeo prout refertur ad malum finem, et huic obtinendo consentaneum est malum, sed depromit speciem suam ex fine, qui transit in rationem objecti specificantis.

Objicitur 3.° qui baptismum inanis gloriae caussa suscipit, gratiam sacramenti percipit, et si quis ob eumdem finem subeat martyrium, aeternam vitam consequitur. Ergo actio bona in malum finem relata mala non est.

6. ℟. si unicus, aut praecipuus finis, cujus gratia quis baptismum suscipit, aut subit martyrium inanis gloria sit, ut hoc fine sublato nec baptismum susciperet, nec martyrium perferret, malus hic finis impedit, quominus sacramentum baptismi gratiam conferat, vel martyrium ad aeternam gloriam aditum patefaciat. Nam certe abutitur sacramento baptismi, qui suscipit illud non sincero poenitentiae affectu, aeternaeque salutis desiderio ductus, sed ut penes verae religionis cultores laudem assequatur, vel gratiam ineat. Deinde martyrium si ob ejusmodi finem perferatur, non est verum martyrium, non enim dici potest effusio sanguinis propter Christum, et ob id nihil ad salutem confert; ait enim Apostolus (1): *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; et Hieronymus (2) inquit: *Martyrium ipsum, si ideo fiat, ut admirationi, et laudi habeamur a fratribus, frustra sanguis effusus est.*

(1) *Ad Corinth.* 13. *v.* 3.

(2) *In cap.* 1. *ep. ad Galat.*

Objicitur 4.° D. Thomas (1) ait: *Nihil prohibet, actioni habenti unam praedictarum bonitatum deesse aliam, et secundum hoc contingit, actionem, quae est bona secundum speciem suam, vel secundum circumstantias ordinari ad finem malum, vel e converso; non tamen est actio simpliciter bona, nisi omnes bonitates concurrant.*

(1) 1. 2. *q.* 18. *art.* 4. *ad* 3.

7. ℟. D. Thomae sententiam reddere sensum divisum, perinde ac si diceretur: actio, quae secundum speciem suam, hoc est spectata natura objecti futura esset bona, caussa mali finis, in quem dirigitur, evadit mala, Hanc esse Angelici mentem constat ex hisce verbis ejusdem superius jam recitatis: *Cum aliquis*

vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus, et totus est malus.

An actus ex objecto malus, si bonum in finem dirigatur, evadat bonus.

8. ℟. negative. Id constat 1.°, ex sacris litteris; (1) etenim legitur: *immolantis ex iniquo, oblatio est maculata*: item (2) exprobratur Saul, quod reservasset in sacrificium offerendum Deo quaedam spolia contra praeceptum Dei. Praeterea Paulus Apostolus (3) refellit, ac diluit Judaeorum calumniam, a quibus accusabatur, quasi doceret fieri posse mala, ut eveniant bona: *At non sicut blasphemamur*, inquit, *et sicut ajunt quidam nos dicere: faciamus mala, ut eveniant bona, quorum damnatio justa est.*

(1) *Ecclesiast.* 34. *v.* 21.

(2) *Lib.* 1. *Reg. cap.* 15.

(3) *Ad Rom.* 3. *v.* 8.

9. Probatur 2.° ex doctrina S. Augustini, qui (1) arguit, nullum esse nefandum sacrilegium, quod non possit cohonestari bono fine, si hic actionem ex objecto malam excusare posset; en verba S. Doctoris: *Quod scelestissimum facinus, quod turpissimum flagitium, quod impiissimum sacrilegium non dicatur posse fieri recte, atque juste, nec impune tantum, verum etiam gloriose, si semel concesserimus in omnibus operibus malis hominum, non quid fiat, sed quare fiat esse quaerendum? interest quidem plurimum, qua caussa, quo fine, qua intentione quid fiat, sed ea, quae constat esse peccata, nullo bonae caussae obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt . . . . . Cum vero jam opera ipsa peccata sunt, sicut furta, stupra, blasphoemiae, vel cetera talia, quis est, qui dicat ea esse facienda, ut vel peccata non sint, vel quod absurdius, justa peccata sint? quis est, qui dicat, ut habeamus quod demus pauperibus, faciamus furta divitibus, aut testimonia falsa vendamus, maxime si non inde innocentes laedantur, sed nocentes potius damnaturis judicibus eruantur? quis ista dicat, nisi qui res humanas, omnesque conetur mores, legesque subvertere.*

(1) *Lib. contra mendacium cap.* 7.

10. Probatur 3.° ratione, et auctoritate D. Thomae; qui (1) ait: *Non est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant, quia quilibet singularis defectus caussat malum; bonum autem caussatur ex integra caussa.* Quamobrem concludit (2): *unde sive voluntas sit ejus, quod est secundum se malum, et sub ratione boni, sive sit boni sub ratione mali semper voluntas erit mala.* Ergo ex D. Thoma non minus malus est actus ex objecto malus, accedente bono fine, quam actus ex objecto bonus, si malus finis accedat. Et sane ut actio sit bona, debet in omni sua parte congruere cum sua regula, ita ut si deficiat in aliqua sui parte a regula sua, non amplius dici possit cum sua regula congrue-

re, nec bona esse, quomodo linea, si vel puncto deficiat a rectitudine, non amplius dici potest linea recta; sed actio ex objecto mala, si bonum in finem dirigatur, in omni parte sua, seu totaliter non congruit cum sua regula; ergo actio simpliciter mala dicenda est: unde patet veritas illius axiomatis: bonum ex integra caussa, malum ex quocumque defectu.

(1) *Q.* 2. *de malo art.* 4. *ad* 3. *et* 2. 2. *q.* 18. *art.* 5. *ad* 3.

(2) 1. 2. *q.* 19. *art.* 7. *ad* 3.

Diluuntur objectiones.

Objicitur 1.° In scriptura (1), legitur: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit.* Jam vero ex iis, quae supra dicta sunt, oculi nomine intelligitur intentio, corporis nomine actio; ergo si finis sit bonus, tota est actio bona.

(1) *Matth.* 6. *v.* 22.

11. ℟. intentionem boni finis non posse simplicem, seu rectam dici, si cum electione mala conjungatur. Porro cum electione mala conjungitur, si quod ex genere suo malum est, intentione boni finis eligatur. Recte S. Bernardus (1): *Ut interior oculus*, inquit, *vere simplex sit, duo illi arbitror esse necessaria, caritatem in intentione, et in electione veritatem.* Ceterum dici etiam potest nomine corporis intelligi objectum bonum, vel saltem indifferens; tunc enim verum erit actionem bonam esse, si huic indifferenti, vel bonae bonus finis accedat; malam vero, si malus finis accesserit.

(1) *Lib. de praecepto, et dispens. cap.* 14.

Objicitur 2.° Qui eligit minus malum ad vitandum majus, non peccat ex jure canonico (1); sed hic eligit malum ob finem bonum; ergo licet actionem malam suscipere intuitu boni finis.

(1) *Can.* Duo mala 1. *dist.* 13., *ubi dicitur*: Minus malum de duobus eligendum est.

12. ℟. si sermo sit de malis physicis, eum non peccare, qui minus malum eligit, ut majus effugiat, quia minus malum, si cum majore conferatur, quasi boni rationem induit. Similiter non peccat is, cujus voluntati objiciuntur duo tamquam mala, quae ambo mala non sunt, quorum unum eligere necessario debeat. Hoc solet contingere in eo, qui perplexa laborans conscientia, de qua inferius, putat peccare se, quodcumque eligat, verbi gratia sive audiat Missam, ac deserat infirmum, sive infirmo praesto sit, ac Missam deserat: qui versatur in hisce rerum circumstantiis, non peccat, non quod malum morale possit cohonestari fine bono; si enim revera ex duobus, quae proponuntur voluntati, unum eligat, quod malum sit, electio, seu actio non evadit bona ob finem bonum, sed materialiter mala est; ergo ratio, cur agenti culpae loco non adscribatur, haec una est, quia

cum is laboret ignorantia invincibili, quam hic, et nunc expellere non potest, uti supponimus, quod malum actioni subest, a voluntate quam longissime abest. Quamobrem ex duobus extremis quodcumque eligat, cum agendi necessitate prematur, jam non potest amplius uti libertate indifferentiae, quae ad peccandum omnino necessaria est. Secus vero dicendum de illo, cujus voluntati proponuntur duo mala, quorum unum non sit necessario eligendum, verbi gratia si quis cogatur vel mentiri, vel innocenti vitam eripere; in hoc enim casu tenetur hic abstinere tum a mendacio, tum ab homicidio, ac potius mortem ipsemet oppetere, quam eorum alterutrum eligere; permittens enim sui necem nil aliud agit, quam quod docet Apostolus (1), videlicet non esse facienda mala, ut eveniant bona.

(1) *Rom.* 3. *v.* 8.

An boni finis intentio actus malitiam minuat.

13. ℟. boni finis intentionem peccati malitiam revera minuere multiplici de caussa. Nam 1.° quidem, qui boni finis intentione quidquam mali agit, minori affectu in peccatum fertur, ac minus voluntarie peccat; vult enim malum alicujus boni gratia, nec movetur a malo, quod eligit, sed a bono, in quod tendit. 2.° cum actus possit esse tum ex objecto, tum ex fine malus, minor certe malitia est illius actus, qui ex objecto tantum malus est, non malus ex fine. 3.° plerumque ignorantia laborat, qui boni finis intentione peccat. Porro ignorantia licet vincibilis, dum affectata non sit, peccatum minuit. Quamquam vero boni finis intentio peccatum elevat, tamen id non efficit, ut actio, quae per se mala est, ulla ex parte fiat bona. Hinc Augustinus (1) comparans eum, qui miserando furatur, cum eo, qui concupiscendo ait: *Sed horum duorum non ideo est quisquam bonus, quia pejor est unus; pejor enim est, qui concupiscendo, quam qui miserando furatur.*

(1) *Lib. contra mendac. cap.* 8.

Neque vero dicas Augustinum relatum in jure canonico (1) sentire intentionem bonam objecto malo adjunctam ejusdem malitiam non minuere, idque aperte colligi ex his, quae ibi scribit: *Si fur totum, quod abstulit tribuat pauperibus, auget potius peccatum, quam minuat*; nec addas dictum a nobis esse superius, actionem malam, cui bonus finis adnectitur, totaliter malam esse; nam

(1) *In can.* forte 14. *q.* 5.

℟. Augustinus recte docet, furem, qui totum, quod abstulit, pauperibus tribuit, augere potius peccatum, quam minuere, quia sic fur imparem se restituendo reddit.

Ad id, quod objicitur secundo loco, respondetur, actionem malam, cui bonus finis adnectitur, totaliter malam esse, nec posse minuere malitiam actionis, quatenus bonus finis nullam tribuit bonitatem actioni ma-

lae; verum hoc non impedit, quominus actio per se mala in bonum finem suscepta minus mala sit, quam si actionis malitia intenderetur.

An bonus finis malitiam actionis sic minuat, ut possit totam tollere, aut saltem e mortali reddere venialem.

℟. negative, quia bonus finis nunquam potest mutare naturam actionis. Quare cum ex hypothesi actio sit mortaliter mala, ejus malitia mortalis nullo bono fine tolli unquam potest.

At inquies D. Thomas, (1), inquit: *Quanto bonum intentum est melius, tanto magis minuitur culpa mendacii.* Ergo si bonum intentum sit optimum, ut salus aeterna proximi, deleri culpa poterit, ac penitus tolli.

(1) 2. 2. *q.* 10. *art.* 2.

14. ℟. Consequens falsum est; non enim bonum intentum, quo melius est, eo magis mendacii culpam minuit, quod quasi ullam bonitatem impertiatur mendacio; bonitas quippe finis nunquam efficere potest, ut quod est per se illicitum, fiat licitum, sed ideo minuit, quia magis removet pravum mentiendi affectum; qui tamen affectus totaliter non destruitur bono fine. Enim vero quod quis eligat sponte mendacium, verbi gratia ut servet vitam proximi, ob id ostendit se ad mendacium proclivem, eique adhaerere plus, minusve: jam vero mali adhaesio, vel minima ut libet semper mala est.

An in eodem actu possit inesse duplex bonitas, vel duplex malitia.

16. ℟. affirmative. Id in primis constat ex auctoritate D. Thomae, qui inquit (1): *Actiones humanae, et alia, quorum bonitas dependet ab alio habent rationem bonitatis a fine, a quo dependent, praeter bonitatem absolutam, quae in eis exsitit.*

(1) 1. 2. *q.* 18. *art.* 4.

Id ipsum ratione demonstrari quoque potest. Actus bonus est, vel malus, prout congruit, vel non congruit cum sua regula; ergo si ex duplici capite, nimirum ex obiecto, et ex fine congruat, vel pugnet cum sua regula, duplex erit ejus bonitas, vel malitia. Hinc actus illius, qui stipem erogat, ut pro peccatis satisfaciat, dupliciter bonus est, ex objecto quidem, quia est ei propositum exercere actum misericordiae, et ex fine, quia intendit is satisfacere pro peccatis. Enim vero duplex ibi occurrit objectum propositum voluntati, alterum voluntati ut elicienti actum misericordiae, alterum ut referenti actum misericordiae ad satisfaciendum pro peccatis; ergo duplex eodem actu occurrit bonitas specie diversa: idem a contrario dicas de malitia.

An jejunium factum ex voto, vel ex obedientia melius sit, ac majoris meriti, quam si fiat sine ulla voti, vel praecepti obligatione.

17. ℟. affirmative. Id constat jam ex superiori quaestione, ac ostenditur etiam auctoritate D. Thomae, qui (1) inquit: *In virtutibus contin-*

git, quod actus unius virtutis ad aliam virtutem ordinatur, sicut cum quis dat sua, ut cum altero amicitiam habeat; actus quippe ex sua specie est liberalitatis, ex fine autem caritatis; hujusmodi autem actus majorem laudem habet ex caritate, quam ex liberalitate. Ponamus aliquem jejunantem, vel continentem se a venereis, si absque voto hoc faciat, erit actus vel castitatis, vel abstinentiae, si autem ex voto, refertur ulterius ad virtutem, cujus est Deo aliquid vovere, scilicet ad religionem, quae potior est castitate, vel abstinentia, utpote nos faciens recte habere ad Deum: erit actus continentiae, vel abstinentiae laudabilior in eo, quod ex voto facit, etiamsi non ita delectetur in abstinentia, vel continentia ex eo, quod delectatur in potiori virtute, quae est religio. Idem docet alibi (2), ubi hanc affert rationem: *Quanto* inquit *aliquis plus dat alicui, tanto majus aliquid ab eo meretur. Qui facit aliquid sine voto, dat ei solum quod facit propter ejus amorem, qui autem non solum facit, sed etiam vovet, non solum dat ei, quod facit, sed etiam potentiam, qua facit; facit enim se non posse, quin faciat, quod prius non facere licite poterat: magis igitur meretur apud Deum, qui ex voto aliquid facit, quam qui illud facit sine voto.* Accedit D. Anselmus, qui (3) inquit: *Magis dare dicitur ille, qui dat arborem cum fructibus, quam qui dat fructus tantum.* Re quidem vera qui plurium virtutum intuitu movetur ad bene agendum, hic magis meretur. Porro qui jejunat, quo die, vel qua vice praeceptum est jejunium, duplici virtute, videlicet obedientiae, ac temperantiae movetur ad jejunandum; qui vero jejunat, quin ullo jejunii praecepto teneatur, sola temperantiae honestate ad jejunium inducitur; ergo prior magis meretur, quam posterior.

(1) *Lib.* 3. *contra gentes cap.* 39.

(2) *Lib. de perfect. vitae spiritualis cap.* 12.

(3) *Lib. de similitud. cap.* 88.

At inquies: qui jejunat sine voto, privat se libertate morali, qua non gaudet, qui voti caussa jejunare tenetur.

18. ℟. Privatio libertatis moralis in eo, qui jejunium vovit, voluntaria est, quae adeo profluit a majore in Deum caritate, ac desiderio perfectionis. Ceterum si qui jejunat ex voto, hic et nunc parum admodum laboraret de honestate jejunii, et ea solum de caussa jejunaret, quia obstrictus est voto, quod emisisse nollet, alioqui non jejunaturus; alter vero, qui sine voto jejunat, maxime sollicitus esset de honestate jejunii; cum meritum, et culpa ex majori, vel minori boni, vel mali adhaesione, ac studio maxime metienda sint, fieri posset, ut quandoque magis mereretur, qui jejunat sine voto, quam qui caussa voti jejunat; Verum *ex objecto loquendo*, ut patet ex allatis rationibus, magis meretur, qui caussa voti, quam qui

sine voto jejunat. Quoniam vero contingit, ut qui bonum aliquod opus perficiunt sine praecepto, et privent se libertate morali, qua donantur, insuper autem magis solliciti esse soleant de honestate operis boni, cujus studio ardent plurimum, quam qui tenentur praecepto, quod aliunde, a sua ipsorum voluntate non oritur; hinc *communiter loquendo* magis ii mereri videntur, qui primi ordinis sunt. Sic magis mereri videtur, qui nondum vigesimum primum completum annum natus toto quadragesimali tempore jejunat, quam qui praecepto Ecclesiastico jejunandi tenetur.

An unus, idemque actus possit esse simul bonus, et malus.

19. ℟. Convenit inter Theologos 1.° unum, eundemque actum physice non abrupum progressu temporis posse fieri e bono malum, si moraliter mutetur objectum. Sic actus comedendi carnes inceptus ante mediam noctem feriae sextae, ac ultra eamdem protractus sine interruptione ulla e bono evadit malus.

20. Convenit 2.° inter Theologos, actum ex objecto bonum susceptum ob malum finem, ita ut malus finis sit ratio totalis, et adaequata, cur ille actus bonus eligatur, non posse simul esse bonum, et malum, nosque id superius demonstravimus. Egregie propterea D. Thomas (1) inquit: *Cum aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, et hic actus totus est malus, licet non ab omni eo, quod in eo est, malitiam habeat.*

(1) *In* 2. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 4.

Quaestio vero est inter Theologos, an actus secundum se bonus, cujus finis malus non est totalis, et adaequata ratio cur eligatur, possit esse bonus ex objecto, et malus ex fine.

℟. Nobis sentiendum videtur, actum ex objecto bonum, ceu eleemosynam, susceptum partim ob inanem gloriam, partim ob honestatem misericordiae, totaliter malum esse, actum vero tum ex objecto, tum ex fine bonum, cui accedat circumstantia venialiter mala, esse partim bonum, et partim malum, seu verius, duos esse actus, quorum alter bonus, alter vero malus est.

Probatur prima pars 1.° auctoritate (1): inquit Apostolus: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Jam vero modici fermenti nomine intelligitur prava etiam minima intentio, cujus gratia opus suscipiatur. Quamobrem D. Augustinus (2) inquit: *Nihil potest dici absurdius, quam opus aliquod esse simul justum, et injustum.*

(1) 1. *Corinth.* 5. *v.* 6.

(2) *Lib. contra mendacium cap.* 15.

Probatur 2.° ratione: is actus malus est, cujus objectum malum est, atqui eleemosyna verbi gratia data partim ob vanam gloriam, partim ob honestatem misericordiae, refert objectum malum. Quemadmodum enim ad honestatem moralem constituendam necessaria res est, ut

quod bonum est, bene fiat; ita etiam requiritur, ut bene appetatur. At bene non appetitur eleemosyna, quoties appetitur ob propriam ejus honestatem, et ob inanem gloriam; nam bonum ex integra caussa, malum ex quocumque defectu; ergo actus partim ob bonum, partim ob malum finem susceptus, totus malus evadit.

22. Immo neutiquam fieri posse videtur, ut actus in homine possit procedere tum ex *motivo* inanis gloriae, tum ex *motivo* ad virtutem aliquam pertinente. Sic exempli gratia attritio non videtur procedere posse in homine cum ex inani gloria, tum ex *motivo* ejus honestatis; nam attritio, ut sit vera, et supernaturalis oriri debet a motivo supernaturali, gratia Spiritus Sancti excitante; ergo procedere non potest ex motivo inanis gloriae; alioqui non amplius supernaturali motivo excitata dici posset, neque adeo vera, et supernaturalis attritio. Nec potest motivum inanis gloriae ad motivum poenitentiae referri, eique subesse, quia id omnino intelligi non potest, quomodo peccatum quis assumat ut medium, quo dolorem, ac odium peccatorum obtineat. Enim vero quomodo potest quis velle hominem laedere, ut eidem illatam injuriam doleat? Ergo nunquam possunt inanis gloria, et attritio ita componi, ut unum, eumdemque formaliter actum moralem constituant, quia ex iis duobus motivis alterum alteri non potest in ordine ad idem ullo modo subesse.

23. Secunda pars explicatione magis indiget, quam probatione. Sunt quidam actus, inquit vir clarissimus, qui pravo fine, vel circumstantia prorsus depravantur, ut si quis eleemosynam tribuere velit indigenti, ut eum excitet ad turpe opus; sunt vero actus alii, quibus admiscetur aliqua turpitudo ex parte finis, aut circumstantiarum, et qui nihilominus boni esse non desinunt, velut si quis intuens alienam indigentiam miseratione quidem moveatur ad ei succurrendum; simul tamen propter affectum quemdam inanis gloriae in aliorum conspectu captandae cieatur ad pecuniam celerius, et alacrius tribuendam, vel si largiatur quidem, inconsiderate non advertat, cui sit potissimum succurendum, aut cum torpore, ac fastidio largiatur. Profecto in talibus circumstantiis dici non potest, largitionem eleemosynae bonitatem suam amittere, fierique simpliciter malam; aliunde vero difficile videtur intellectu, quemadmodum accedente prava circumstantia non tota actio inficiatur, et mala evadat: siquidem bonum ex integra caussa, malum vero ex quocumque defectu exoritur.

Itaque rem explicaturus animadverto, in primo casu eleemosynae largitionem non placere agenti per se se, seu propter suam bonitatem, ac honestatem, aut propter aliud bonum honestum, in quod referatur,

sed assumi veluti medium, quo pravus finis obtineatur: pravus proinde finis directe influit in largitionem, eamque intime afficit, ac proinde inficit: at in altero casu affectus inanis gloriae, qui admiscetur largitioni eleemosynae non proprie influit in eleemosynam; siquidem haec caussa honestatis suae amari, eligique supponitur, ut etiamsi nemo praesens adesset, tamen tribueretur. Quamobrem inanis gloria non est finis, in quem referatur eleemosyna, sed potius occasione eleemosynae recto animo tribuendae oboritur in mente inanis gloriae affectus ex praesentia circumstantium. Quare dum voluntas ei cupiditati consentit, male quidem agit, et consensus pravus est, sed simul est actus proprie secretus ab actu, quo alienae inopiae sublevandae caussa eleemosynam largiri vult; atque adeo is actus non est conditio pertinens ad actum eleemosynae, quo hic intime afficiatur, sed actus est distinctus, qui tantummodo socium addit se se actui eleemosynae, cujus occasione interim eligitur; ergo tanti non est; ut impediat, quominus largitio eleemosynae bona sit. Idem omnino dicendum de aliis circumstantiis hujusmodi, quae tunc solum actum vitiant, cum se tenent ex parte actus, eumdemque afficiunt intime, minime vero cum distincte produnt se se, ac fiunt alterius actus objectum. Sic dum filium delinquentem pater corripit ex vero quidem virtutis amore, ac studio, sed cum iracundia quadam acriori, quam par sit, duplex actus distinguendus est. Primus quo ex virtutis amore filium corripit, alter vero, dum iracundiae dat locum; qui tamen actus non tollit bonitatem, ac meritum alterius actus, quo sui memor officii filium corripit, si tantummodo in modum socii se se prodat. Hujus duplicis actus mentionem fecit D. Thomas, loquens de obstetricibus AEgipriis (1) inquit: *Obstetrices non sunt remuneratae pro mendacio, sed pro timore Dei, et benevolentia, ex qua processit mendacium . . . . mendacium vero postea sequens non fuit meritorium.* Et alibi (2): *Obstetrices habuerunt bonam voluntatem, quantum ad liberationem puerorum, non tamen fuit earum recta voluntas quantum ad hoc, quod mendacium confixerunt.* Ergo fuerunt duo actus, alter bonus, cui Deus remunerationem praestitit, alter vero malus: et clarius alio in loco (3). *Dare eleemosynam pauperi est actus secundum se bonus, sed referre actum hujusmodi ad finem aliquem inordinatum, scilicet cupiditatis, aut inanis gloriae, est quidem alius actus malus, qui tamen duo actus quodam ordine in unum rediguntur.*

(1) *2. 2. q. 110. art. 3. ad 2.*
(2) *1. 2. q. 114. art. ult. ad 2.*
(3) *q. 2. de malo art. 4. ad 2.*

An, qui suscipit Eucharistiam inanis gloriae captandae gratia, sacramenti fructum amittat.

24. ℟. Vel inanis gloria infert se se antecedenter, vel addit se concomitanter, seu tantum ut socia. Si *concomitanter*, ut non sit caussa, cur suscipiatur Eucharistia, sacramenti fructus non amittitur, ut constat ex auctoritate D. Thomae, qui (1) docet hunc non percipere levamen actuale spiritualis dulcedinis, at percipere nihilominus *augmentum* habitualis gratiae, vel caritatis. Si vero *antecedenter*, ita ut influat in susceptionem Eucharistiae, sitque adeo caussa, cur haec suscipiatur, respondent Doctores, eam conferre gratiam non quidem vi voluntatis Eucharistiae suscipiendae, ut inanis gloria obtineatur, quod peccatum est, sed quia satis est ad fructum hujus sacramenti percipiendum, ut homo sit in gratia constitutus: secus vero dicendum ajunt de Baptismo, de Confessione, atque adeo de Martyrio, quae non praestant gratiam justificationis, nisi quis ea suscipiat ductus *motivo* supernaturali, quod suppeditare non potest inanis gloria, aliusve similis affectus venialis, qui re influat in actum agentis. Verum haec nobis sententia non arridet. Enimvero qui constitutus in gratia Sacramentum Eucharistiae suscipit eo praecise animo, ut inanem gloriam aucupetur, assumit Sacramentum Eucharistiae tamquam medium, quo inanis gloria obtineatur. Jam vero dum sic agit, humi repit cupidus, et Sacramentum Eucharistiae refert ad peccatum; ergo abutitur Eucharistia, ob eamque rem graviter omnino peccat, nullumque propterea ex hoc Sacramento fructum capit.

(1) 3. *p*. *q*. 79. *art*. 8.

An qui exterius fidei assentitur ob inanem gloriam, actum eliciat ex objecto bonum.

℟. Si vana gloria *concomitanter* tantummodo inferat se se, is elicit actum non solum ex objecto, verum etiam ex fine bonum, quia ut patet ex dictis, vana gloria hoc in casu actus est distinctus a confessione Fidei, qui propterea externum confessionis Fidei actum non inficit: si vero *antecedenter* inferat se, non desunt Theologi magni nominis, qui dicant memoratum actum ex objecto bonum esse; animadvertunt enim hi Theologi, hoc esse Fidei peculiare, ut cum Fides natura sit virtus intellectualis, et objectum suum primario, ac secundum se respiciat non sub ratione boni, sed sub ratione primi veri, actus ejus non labefactetur, propterea quod ad finem extrinsecum non bonum referatur, quia relatio haec repugnat quidem bonitati morali ejusdem, neutiquam vero inconcussae certitudini, quam Fides natura sua requirit; ergo actus credentis ex motivo inanis gloriae carebit quidem bonitate morali, non tamen desinet esse actus infusae Fidei, cujus proprium non est referre bonitatem moralem, sed solum veritatem, et infallibilitatem ob divinum testimonium, quo tamquam mo-

tivo intrinseco firmissime nititur. Verum haec sententia nobis non probatur; cum enim gratia, uti praeclare D. Augustinus (1) sit *inspiratio dilectionis*, *ut cognita sancto amore faciamus*, objectum propterea gratiae profecto est efficere hominem bonum, bonitate morali, non objectiva. Enim vero actus Fidei supernaturalis principium est nostrae justificationis, et a gratia excitante oritur. Porro quis umquam ausit dicere, actum malum, cujusmodi est actus Fidei elicitus praecise ob inanem gloriam esse principium nostrae justificationis, et a divina gratia oriri? Quamobrem dum exterius quis assentitur Fidei, ut captet auram inanis gloriae, Fidem gerit quidem in animo naturalem, ut haereticus, neutiquam vero supernaturalem; ergo concludendum; ejus actus nec ex objecto bonus est.

(1) *Lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. n. 11.*

§. 5.

De indifferentia humanorum actuum.

SUMMARIA.

1. *Actus humanus in specie, vel in individuo spectari potest.*
2. *Dantur actus humani indifferentes in specie.*
3. *Solvitur prima objectio.*
4. *Solvitur secunda objectio.*
5. *Dum quaerimus, an dentur actus indifferentes in individuo, non loquimur de actibus indeliberatis.*
6. *Nec de indifferentia actuum quoad meritum, vel demeritum aeternae vitae.*
7. *Nec de indifferentia actuum quoad vitam spiritualem in hac vita inchoandam.*
8. *Nulli dantur actus indifferentes in individuo, et probatur ex scripturis.*
9. *Apostoli verba:* Sive manducatis *etc. verum praeceptum continent.*
10. *Probatur ex Augustino.*
11. *Probatur ratione D. Thomae.*
12. *Solvitur objectio.*
13. *Solvitur altera objectio.*
14. *Probatur alia ratione.*
15. *Solvitur prima objectio ex Hieronymo.*
16. *Solvitur instantia ex Hieronymo.*
17. *Solvitur objectio ex Concilio Constantiensi.*
18. *Solvitur objectio ex Bonaventura.*
19. *Solvitur objectio prima ex ratione.*
20. *Solvitur prima instantia.*
21. *Solvitur altera instantia.*
22. *Solvitur tertia instantia.*
23. *Solvitur quarta instantia.*
24. *Solvitur quinta instantia.*
25. *Solvitur altera objectio ex ratione.*
26. *Solvitur instantia.*
27. *Solvitur altera instantia.*
28. *Solvitur tertia objectio ex ratione.*
29. *Solvitur instantia.*
30. *Solvitur altera instantia.*
31. *Solvitur quarta objectio ex ratione.*

1. Humanus actus, de quo uno hic agitur, potest dupliciter considerari 1.° in specie, seu ex parte

objecti tantum. 2.° in individuo, idest non tantum ex parte objecti, verum etiam ex parte finis, et circumstantiarum. Hoc praemisso:

Pronunciamus existere humanos actus indifferentes in specie, ita communiter Theologi contra Scotum, qui (1) nullos vult actus indifferentes in specie.

(1) *In 2. sent. dist. 7. q. 1. art. 1.*

2. Probatur prima pars auctoritate. Augustinus (1) inquit: *Sunt quaedam facta media, quae possunt bono, vel malo animo fieri, de quibus judicare temerarium est*. S. Hieronymus (2): *Bonum est*, ait, *continentia, malum luxuria, inter utrumque indifferens ambulare.*

(1) *Lib. 2. de serm. Domini c.* 18.

(2) *Ep.* 89.

Probatur secundo ratione. Humanus actus desumit speciem suam ab objecto; atqui existit aliquod objectum, quod natura nec bonum, nec malum est; sed plane indifferens, ut ambulare, tollere festucam etc.; ergo existit actus indifferens in specie. Praeclare omnino D. Thomas (1) inquit: *Sunt autem tres differentiae humanorum actuum . . . . quidam actus sunt boni ex genere, qui sunt actus virtutum, et respectu horum ponitur actus legis praecipere . . . . quidam vero sunt actus mali ex genere, sicut actus vitiosi, et respectu horum lex habet prohibere: quidam vero ex genere suo sunt actus indifferentes, et respectu horum lex habet permittere.*

(1) 2. 2. *q.* 92. *art.* 2.

Objicitur 1.° Actus omnis desumit speciem suam ab objecto; unde vel objectum congruit rectae rationi, et actus erit bonus; vel non congruit, et actus erit malus; ergo nullus existere potest actus indifferens in specie.

3. R). Potest objectum congruere rectae rationi dupliciter, hoc est vel quatenus recta ratio proponit legem praecipientem, vel prohibentem, vel quatenus proponit legem tantummodo permittentem; ergo sicuti dum objectum congruit rectae rationi, prout proponit legem praecipientem, vel prohibentem, actus bonus est, vel malus; ita indifferens est, dum objectum congruit rectae rationi, prout proponit legem permittentem. Neque vero inde sequitur existere medium aliquod inter duo contradictoria; nam contradictoria sunt de eodem secundum idem: congruere autem rectae rationi, ac legi congruere idem omnino est, ut patet ex dictis de legibus; jam vero actus boni vel mali referuntur ad legem praecipientem, vel vetantem, indifferentes ad legem permittentem; ergo de eodem non sunt secundum idem.

Objicitur secundo. Inter privative opposita nullum excogitari, aut esse potest medium in subjecto, quod sit capax ea suscipere, sed bonum, et malum ex objecto sunt privative opposita; ergo actus omnis debet esse bonus, vel malus, nullus potest esse indifferens.

4. R). Quamvis demus inter priva-

tive opposita nullum esse posse medium, tamen nihil proficis; nam supponit objectio, actum ex objecto a lege permissum, quamdiu ex objecto, et in specie consideratur, posse privari bonitate, vel malitia, quod plane falsum est; nam privatio est absentia formae in subjecto illius formae capaci. Sic homo dicitur caecus, non lapis. Objectum porro qua indifferens suscipere non potest bonitatem, vel malitiam; ergo non potest iis privari.

Constituimus secundo nullos existere posse actus indifferentes in individuo.

5. Notandum primo cum D. Thoma (1), non esse hic quaestionem de actibus, qui non profluunt *a ratione deliberativa*, *sed ex quadam imaginatione*, *sicut cum quis fricat barbam*, *vel movet manum*, *aut pedem*; hi enim actus, cum non sint proprie loquendo morales ex defectu libertatis, nec boni, nec mali moraliter sunt.

(1) 1. 2. *q.* 18. *art.* 9.

6. Notandum secundo nec esse quaestionem de indifferentia quoad meritum, vel indignitatem aeternae vitae; certum enim est existere actus hoc sensu indifferentes, qui nec mereantur aeternam vitam, nec eadem indigni sint. Sic actus Fidei, timoris, ac Spei, quibus ex Tridentino (1) impii divina gratia excitati, et adjuti tendunt ad justitiam, nec merentur vitam aeternam, quia impii sanctificante gratia destituti sunt, nec digni aeterna poena, quia ex eodem Concilio (2) ejusmodi actus dona Dei sunt, ac Spiritus S. impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Haec citato loco Concilium Tridentinum.

(1) *Sess.* 6. *cap.* 6.

(2) *Sess.* 14. *cap.* 4.

7. Notandum tertio nec ibi esse quaestionem de indifferentia quoad vitam spiritualem in hac vita incohandam; utrum enim gratia necessaria sit ad singulos actus moraliter bonos, an sufficiant naturae vires, questio est alibi pertractanda. Quamobrem sermonem hic tantummodo instituimus de indifferentia quoad bonitatem, vel malitiam moralem in ordine naturali.

8. Probatur primo. In sacris literis (1) legimus: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, *et in tota anima tua*, *et in tota mente tua*; quo praecepto jubemur nostra omnia et cogitata, et facta in Deum referre, uti docet Augustinus (2). Hinc vero argumentum ita conficitur: est praeceptum divinum, universos deliberatos actus in Deum tamquam in finem ultimum expresse, vel implicite dirigendi: actus igitur ex objecto indifferens, de quo potissimum est quaestio, vel in Deum tamquam in finem ultimum refertur, vel non. Si primum, actus evadit bonus; sin alterum, evadit malus.

(1) *Matth.* 22. *v.* 37.

(2) *Lib.* 1. *de doctr. Christ. cap.* 22.

Simile argumentum deducitur ex iis Apostoli verbis (1): *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Si enim jubemur actus omnes in Dei gloriam explicite, vel implicite referre, jam certum est, nullos existere posse actus indifferentes in individuo; nam qui ad Dei gloriam referuntur, boni sint oportet; qui vero non referuntur, non possunt non esse mali.

(1) 1. *ad Corinth.* 10. *v.* 31.

9. Neque audiendi sunt, qui asserunt, non verum praeceptum, sed nudum consilium iis Apostolis verbis contineri. Nam primo Apostolus utitur verbo imperativo *facite*, quod quidem non consilium, sed praeceptum prodit, ni aliud ex antecedentibus, vel consequentibus colligatur, vel ex aliis scripturae locis; porro in hoc casu nil eruitur ex antecedentibus, et consequentibus, nec ex aliis scripturae locis. Deinde verum praeceptum in Apostoli verbis agnovere Patres, quos inter Basilius, qui (1) inquit: *Christianus, si actiones suas omnes, sive majores, sive minores ad Dei voluntatem direxerit, Apostoli praecepto ille satisfacit: sive manducatis, sive bibitis etc.* Augustinus (2): *Praecipit Apostolus: omnia vestra in caritate fiant.* S. Maximus Urbis, ac Diaecesis Taurinensis Episcopus (3): *Christianus debet semper patri, ac domino suo laudes dicere, et in ejus gloriam omnia procurare, sicut ait B. Apostolus; sive manducatis, sive bibitis.* D. Thomas (4), recitatis hisce Apostoli verbis: *Omnia quaecumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine domini Jesu Christi facite*, subdit: *Quidam dicunt, quod hoc non est praeceptum, sed consilium, sed non est verum.* Demum S. Bernardus: *Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei.*

(1) *In reg. brevioribus interrog.* 5.

(2) *Lib. de corrept. et grat. cap.* 3.

(3) *Hom.* 2.

(4) *Lect.* 3. *in cap.* 3. *epist. ad Coloss.*

(5) *Serm. de obedientia.*

10. Probatur secundo auctoritate D. Augustini, qui (1) inquit: *Sed cavendum, ne sicut Philosophi, facta quaedam hominum media dicamus inter recte factum, et peccatum, quae neque in recte factis, neque in peccatis numerentur.* Iam porro quid clarius proferre unquam poterat S. Doctor, quo palam faceret, nullum humanum factum in medio constare posse, ut neque in recte factis, neque in vitiis numerari debeat? Idem S. Augustinus (2) inquit: *Cum facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propterquod facere debet, peccare convincitur*, et infra: *Quidquid boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Quare sic: quidquid fit ab homine, vel fit propter id, propter quod fieri debet, vel non. Si primum actus bonus est:

si alterum, actus malus sit oportet.

(1) *Ep. ad Hieron.* 82. *cap.* 2.

(2) *Lib.* 4. *contra Julianum c.* 3.

11. Probatur tertio ratione D. Thomae (1). Omnis actus otiosus moraliter malus est, si quidem dè verbo otioso *homines reddent rationem in die judicii.* Matthei 12.; quod a fortiori verum est de opere otioso. Hinc S. Hieronymus, vel quisquis est auctor commentarii ejus nomine vulgati (2): *Quod si de verbo otioso*, inquit, *redditur ratio*, *quanto magis de operibus hominum*; et Ambrosius (3) explicans eamdem Christi sententiam inquit: *Si pro otioso verbo ratio poscitur*, *quanto magis pro sermone impietatis*, *et blasphemiarum*: atqui actus dicitur otiosus, non qui malum finem induit, sed qui non refertur in finem honestum; id vero constat ex definitione otiosi a ss. Patribus tradita: *Otiosum verbum est*, inquit S. Gregorius (4), *quod aut utilitate rectitudinis*, *aut ratione justae necessitatis caret.* Basilius (5): *Omne verbum*, *quod non conducit ad propositam in Domino utilitatem*, *vanum*, *et otiosum est.* Hilarius (6) verbum otiosum dicit esse *verbum ineptum*, *et inutile*. Origenes (7) *otiosus*, *qui neque boni*, *neque mali quid agit.* Ergo actus omnis, qui non refertur in finem honestum, non indifferens, sed moraliter malus censendus est.

(1) 1. 2. *q.* 18. *art.* 9.

(2) *In psal.* 16.

(3) *Lib.* 1. *de off. cap.* 2.

(4) *Hom.* 6. *in Evangelia.*

(5) *Q.* 25. *inter breviores.*

(6) *Cap.* 12. *in Matth.*

(7) *Hom.* 1. *in psal.* 38.

12. Quid ad haec adversarii? Ajunt primo verbi otiosi nomine perniciosum verbum intelligi oportere. Id sibi colligere videntur ex verbis Christi (1): *Progenies viperarum*, *quomodo potestis bona loqui*, *cum sitis mali? Amen dico vobis omne verbum otiosum etc.* Sane, inquiunt, Christus locutus est de verbis malis, quale illud erat Judaeorum, qui per summam blasphemiam dicebant, eum *in nomine Beelzebub ejicere demonia*. Verum haec interpretatio adversatur auctoritati Patrum, quos adduximus, neque vero illis favet, quod afferunt ex contextu; Christus enim, ut demonstraret eo loco quam prava sint, quamque severo judicio punienda verba perniciosa, et impia, est argumentatus a minori ad majus, quasi dixisset: si de omni otioso verbo ratio redditur in judicio, quanto magis de verbis perniciosis, et blasphemis.

(1) *Matth.* 12. *v.* 34.

13. Ajunt secundo, reddendam quidem esse rationem in judicio de verbis otiosis, sed judicio discussionis, non condemnationis. At haec interpretatio in primis arbitraria est, et auctoritate Patrum minime innixa: deinde vim infert contextui; Christus enim eo loco vult argumentari a minori ad majus, quod argumentum nullum esset, si de otioso verbo reddenda esset ratio,

non ut puniatur, sed ut discutiatur. Frustra enim omnino in illo tribunali verba otiosa essent discutienda, si nulla poena essent multanda: quod etiam contrarium est Apostolo, qui (1) ait: *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum.* Addas demum, Christum post ea verba: *homines reddent rationem de eo* (otioso verbo) *in die judicii*, statim verba haec subdidisse: *ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis condemnaberis*; quae satis superque demonstrant, in extremo die judicii, otiosa verba esse omnino adducenda non solum ut discutiantur, verum etiam ut condemnentur.

(1) 2. *Corinth.* 5. *v.* 10.

14. Probatur tandem alia ratione. Quidquid homo deliberate agit, agere debet ob finem honestum: quod si faciat, actus ejus ex objecto indifferens est bonus, si minus faciat, malus est.

Probatur antecedens multipliciter. Finis cujusvis actus deliberati est bonum vel honestum, vel delectabile; nam utile bonum cum propter se non appetatur, induere non potest rationem finis. Ergo si demonstrabitur, solum honestum bonum, non vero delectabile, finem esse cujusvis actus deliberati, jam consequens erit, hominem propter finem honestum semper agere oportère. Ad rem veniamus. Bonum delectabile, ac sensibile finis brutorum, et sensitivae partis est; ergo non potest esse finis actus deliberati hominis, ni velis hominem in agendo non esse a brutis distinguendum. Secundo quia definivit Innocentius XI., non licere homini suis in actibus deliberatis ob solam delectationem agere, qui adeo hanc octavam numero propositionem damnavit: *Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*; et hanc numero nonam; *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus culpa caret, et defectu veniali.* Ergo delectatio non potest esse finis actus deliberati. Tertio si delectatio finis esse posset actus humani, eadem non esset propter operationem, sed potius operatio propter delectationem; at hoc falsum est. Auctor enim naturae delectationem apposuit propter operationem, non vero contra. *Divinus intellectus*, inquit S. Thomas (1), *qui est institutor naturae delectationes apposuit propter operationes*; et uti docet Aristoteles: bonum delectabile, cum sit inferius honesto, per se ordinatur ad illud. Quarto demum si delectatio esset finis humani actus, ipsamet ratio ceterarum potentiarum regina serviret parti sensitivae, ac inferiori, seu appetitui animali, cui dominari omnino debet; quod quam obsurdum sit, nemo unus plane videt.

(1) 1. 2. *q.* 4. *art.* 2. *ad* 2.

Diluuntur objectiones.

Objiciunt primo D. Hieronymum, qui (1) inquit: *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare: hoc nec bonum, nec malum est; sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Nec dicas Hieronymum intelligendum esse de actione considerata ex parte objecti tantummodo; haec enim verba: *sive enim feceris, sive non feceris, etc.* referuntur ad actionem in individuo spectatam; ergo ex D. Hieronymo existunt actiones in individuo indifferentes.

(1) *Ep. ad Augustinum* 89.

15. R. D. Hieronymum revera loqui de actibus in specie, seu ex objecto, non in individuo spectatis; cum enim absolute pronuntiet *bonum est continentia*, satis ostendit se loqui de continentia in specie, seu ex objecto, non in individuo; si quidem in individuo actus continentiae malus esse potest, si nimirum ex pravo fine fiat; ergo etiam de actu in specie loquitur, dum ait: *indifferens est ambulare.* Deinde hoc evidenter colligitur ex contextu. Nam disputabat ibi Hieronymus contra Augustinum, qui volebat observationem caeremoniarum legis Mosaicae natura sua bonam esse: at contra contendebat Hieronymus, eam esse natura sua malam: quare ait: *Neque enim indifferentia sunt inter bonum, et malum, sicuti Philosophi disputant: bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare . . . . . observare autem legis caeremonias non potest esse indifferens, sed aut malum est, aut bonum est: tu dicis bonum; ego assero malum.* Ergo Hieronymus loquitur de actionibus in specie consideratis, quia, ut patet ex dictis, Hieronymi disputatio cum Augustino non erat de operibus in individuo, sed in specie consideratis. Nec refert addidisse Hieronymum ea verba: *Sive feceris, sive non feceris* etc; haec enim verba facere, vel non facere, non tantum referuntur ad actionem in individuo, verum etiam ad actionem in specie consideratam; ut cum dicimus: bonum est eleemosynam erogare, seu facere, bonitatem tribuimus eleemosynae non in individuo; potest enim sic male fieri, sed in specie. Hanc esse mentem D. Hieronymi, patet ex eo, quod referens (1) verba Pelagii, quibus hic negabat gratiae necessitatem pro singulis actibus, inquit: *Audite quaeso, audite sacrilegum.* (Pelagium): *Si, ait, voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa jacere . . . semper mihi auxilium Dei necessarium erit?* sic respondet *audi, ingrate, Apostolum praedicantem: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*; ergo vult Hieronymus, actiones omnes etiam ex

objecto indifferentes, in Deum esse referendas, atque adeo censuit, nullam esse indifferentem in individuo.

(1) *In ep. ad Ctesiphontem.*

Instant: Hieronymus (1), ea verba declarans: *Dedi eis praecepta non bona*, docet eum, qui accedit ad uxorem, nec bonum, nec malum facere: in promtu sunt ejus verba: *Neque dixit: dedi eis praecepta mala, sed non bona; neque enim statim, ut quod bonum non est, sit malum, sicut et Apostolus docet: bonum est homini uxorem, vel mulierem non tangere, sed propter incontinentiam unumquemque possidere vas suum in sanctificatione, et castitate; quod si feceris, nec bonum, nec malum est*; ergo etc.

(1) *In cap. 20. Ezech.*

16. ℟. D. Hieronymus accipit eo loco bonum pro perfecto, ac meliori; quo sensu praecepta veteris legis dicuntur non bona, quia non erant perfecta, uti praecepta novae legis; quemadmodum enim ipsemet Hieronymus exponit (1): quae sunt secundum se bona in conspectu meliorum dicuntur non bona, imo mala: *Ergo*, inquit, *secundum hunc comparationis sensum malum diximus mulierem tangere, quia bonum, seu melius est non tangere*. Itaque ubi dicit in objectione mulierem tangere nec bonum, nec malum esse, intelligit non bonum, quia non est tam bonum, seu tam perfectum, quam non tangere, nec tamen malum, quia bonum natura sua est.

(1) *In apologia contra Jovinianum.*

Objiciunt secundo. In Concilio Constantiensi damnata est haec Joannis Hus propositio numero decimasexta: *Divisio immediata humanorum actuum est, quod sint virtuosa vel vitiosa*; at si nulli existerent actus indifferentes in individuo, humanum opus omne divideretur in *virtuosum*, vel *vitiosum*, adeoque immerito haec propositio damnata fuisset; ergo non desunt actus, qui sint indifferentes in individuo.

17. ℟. Joannis Hus propositio proscripta fuit non sensu catholico, sed sensu auctoris, qui plane sensus a veritate, atque ab Ecclesiae doctrina longe alienissimus erat; nam contendebat ille, omnia, quae a peccatore fiunt opera esse peccata; quae autem a justo, laude ac merito carere non posse, uti constat ex his ejus verbis: *Quia si homo est vitiosus, et agat quidpiam, tunc agit vitiose, et si est virtuosus, et agat quidpiam, tunc agit virtuose, quia sicut vitium, quod crimen dicitur, sive peccatum mortale inficit universaliter omnes actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi*: jam vero longe ab errore Joannis Hus distat nostra sententia, quae nullos agnoscit actus indifferentes in individuo. Etenim fatemur nos peccatorem posse cum statu peccati componere bonos actus aliquos, justumque posse componere cum statu justitiae actus venialiter malos.

Objiciunt tertio D. Bonaventuram, cujus maxima est laus, ingenii, sanctitatis, ac doctrinae, qui tamen docuit existere posse actus indifferentes in individuo.

18. ℞. D. Bonaventurae nos opponimus D. Thomam, cujus auctoritas major in Ecclesia est, ac multo apertior sententia, et argumentis probata omnino firmissimis. Adde, quod non tam perspicua est mens D. Bonaventurae, ut circa praesentem quaestionem de ea dubitari non possit. Proferunt quidem adversarii locum ex 2. dist. 41. a. 1. q. 3. ubi sanctus Doctor constituit inter actum otiosum, qui omni utilitate caret, et actum bonum constare actum medium, seu indifferentem; atquemadmodum recte animadvertit Gregorius de Valentia, D. Bonaventura hoc loco de bonitate loquitur non pure, ac praecise morali, qua de hic disputatur, sed de bonitate penes Deum meritoria. Quare concludit memoratus Gregorius de Valentia, non adversari hac in re D. Bonaventuram D. Thomae. Proferunt et interpretationem textus Apostolici superius allati, qua docere videtur, verba Pauli Apostoli consilium tantum, non vero praeceptum continere. Verum ibi S. Doctor loqui videtur de relatione in Deum actuali, non virtuali. Sic enim concludit: *Et sic patet, quod ex auctoritatibus illis non concludit, quod aliquis peccet, cum non refert opus suum in Deum actualiter.*

Objiciunt quarto. Si quod esset praeceptum referendi actiones omnes ad finem honestum, vel esset naturale, vel positivum; at neutrum dici potest: non naturale; nam neque in decalogo extat, neque ad ullum decalogi praeceptum revocari potest: non positivum; siquidem in sacris litteris nullum cernitur ejus vestigium; ergo etc.

19. ℞. Praeceptum hoc naturale, non positivum est: naturale, cum sit naturae insitum, ostendit in omnibus hominem agere oportere ut hominem pro dignitate, ac ratione naturae suae, atque indignum homine id esse, ut more brutorum is prosequatur bonum sensibile ut finem, atque appetitus rationalis ut serviat, ac mancipetur appetitui sensitivo, quemadmodum ex probationibus apertissime constat. Deinde falsum est, hoc praeceptum nullo decalogi praecepto contineri; continetur enim primo, ac maximo mandato diligendi Deum super omnia, quo jubemur actiones nostras omnes in Deum tamquam in finem ultimum referre, uti ex prima probatione manifeste patet. Extat etiam praeceptum explicitum, ac positivum contentum in verbis Apostoli: *Sive ergo manducatis, sive bibitis etc.*; quibus verbis usi sumus in secunda probatione conclusionis.

Inst. Si extat praeceptum referendi omnia in Dei gloriam, essent omnia dirigenda in finem supernaturalem, adeoque omnia opera infidelium essent peccata.

20. ℞. Non desunt Theologi, qui

dicant, omnia opera nostra esse referenda in finem supernaturalem, nec inde tamen sequi, omnia infidelium opera peccata esse; etenim respondent Deum infidelibus ipsis interdum illustrationes infundere, ac suppeditare auxilium, quo in verum Deum aliquod opus bonum aliquando referant. In hac Theologorum sententia corruit objectio, uti res per se loquitur. Qui vero sentiunt actiones nostras omnes non esse in finem supernaturalem referendas, docent satis esse ut infideles referant ex suis actionibus aliquas in finem honestum. Enim vero, inquiunt, simul ac referunt in finem honestum, referunt et in Deum tamquam in finem ultimum, quia, ut inquit S. Thomas (1). *Semper inchoatio alicuius ordinatur ad consummationem ipsius, sicut patet tam in his, quae fiunt a natura, quam in his, quae fiunt ab arte, et ita omnis inchoatio perfectionis ordinatur in perfectionem consummatam, quae est propter ultimum finem*; Deus enim summa est, et infinita bonitas, perfectio, honestas; ergo ut homo sciens, et prudens producit opus *ex motivo* proximo signatae honestatis, statim profecto hujusmodi opus suo veluti pondere in Deum tendit, qui fons omnis honestatis est; atque adeo tametsi qui stipem verbi gratia erogat ob solam ejus honestatem, Deum non cogitet, tamen quia quidquid natura honestum est, refertur ad Deum, qui fons omnis honestatis est, censetur ob id respicere Deum ut finem ultimum. Quaenam vero ex his duabus sententiis verior sit, alibi expendimus.

(1) 1. 2. *q.* 1. *a.* 6.

Inst. Si extaret hoc praeceptum referendi actiones omnes in finem honestum, esset affirmativum. Porro praeceptum affirmativum obligat semper, at non pro omni tempore; ergo etc.

21. ℟. Praeceptum hoc, licet affirmativum, quia generale est, actiones omnes deliberatas complectitur, et obligat pro quovis tempore, quo quispiam deliberate agit. Deinde praeceptum hoc non tantum est affirmativum, sed et negativum, hoc est nihil agendi otiose, ac nihil non in gloriam Dei.

Inst. Praeceptum hoc, semper, et in omnibus agendi ob finem honestum, onus est intolerabile. Quis enim sustineat onus cogitandi semper de fine humanis actionibus praestituendo, in eumque referendi actiones illas ipsas, quae naturales, seu animales sunt? Quis?

22. ℟. Grave onus hominibus imponeret, qui doceret per momenta singula cogitandum esse de recto fine, in eumque actiones singulas actu referri oportere; at nos non semper de recto fine cogitandum dicimus, sed actiones singulas, si non actu, saltem virtute ad eum esse referendas, quemadmodum qui Romam tendit, non semper de itineris suscepti meta cogitat, attamen virtute, hoc est constanti animi pro-

posito gressus universos eo refert, ac dirigit: viro autem Christiano nequaquam gravis videri debet ista obligatio, quam ipsimet Gentiles Philosophi natura impositam sibi agnovere. Praeclarum est illud Platonis (1): *Omnes, qui mentis compotes sunt, in operis cujuslibet, sive magni, sive parvi initio Deum invocant*: tum etiam illud Epicteti apud Arrianum: (2) *Si luscinia essem, lusciniae officio fungerer, si olor, oloris more facerem, atqui compos sum rationis; itaque Deus mihi celebrandus est, hoc officium meum est, hoc exequor, nec deseram hanc stationem, dum licuerit.*

(1) *In Thimaeo*

(2) *Lib.* 1. *cap.* 16.

Inst. Praecepta omnia indicuntur de actu aliquo virtutis, sed nulla virtus est, qua compellatur homo ad referendas actiones omnes in finem honestum; ergo nec ullum praeceptum.

23. ℟. Probatum supra jam est, praeceptum, quo jubemur, actiones deliberatas omnes referre in finem honestum, contineri primo, ac maximo mandato diligendi Deum. Quare qui non refert actiones suas omnes in finem honestum, peccat contra virtutem caritatis, qua Deum diligere tenemur.

Inst. Nullum extat praeceptum semper agendi deliberate: res per se loquitur; ergo nec ullum existit praeceptum referendi actiones deliberatas in finem honestum.

24. ℟. Longe dispar est ratio. Enim vero nullum existit praeceptum semper deliberate agendi, quia non est hoc in hominis potestate positum, cum sit idem homo expositus involuntariis impressionibus sensuum, et phantasiae, motibusque cupiditatum antecedentibus, quae praevertunt aliquando rationis deliberationem, usum, atque adeo advertentiam; at vero positum est in potestate hominis, actiones deliberatas omnes in finem honestum referre.

Obj. 5. Qui ob solam voluptatem comedit, vel bibit, vel quidpiam aliud agit, ex quo procedit oblectatio sensuum, nihil boni agit; sed nec agit quidpiam mali; neque enim peccat, cum persequitur eam voluptatem, quam sapientissimus naturae auctor comitem dedit iis actionibus, quae ad hominum conservationem faciunt, ut ad easdem allicerentur homines; ergo id agit, quod plane indifferens est.

25. ℟. Qui agit quidpiam solius voluptatis gratia, immunis a peccato non est; cum iis enim rebus, quibus alitur, et conservatur vita hominum, voluptatem aliquam conjunctam esse voluit naturae auctor Deus, ut quae agenda sunt jucundius, atque alacrius agerentur, non vero ut homines ipsammet voluptatem pro fine, ac scopo sibi proponerent, in eamque tenderent more brutorum; scilicet ut ait S. Augustinus (1): *Tantae excellentiae in comparatione pecoris est homo, ut vitium hominis natura sit pecoris.* Hinc idem S. Doctor (2) dolet,

quod quae facienda erant salutis caussa, fecerit aliquando caussa delectationis: *Et cum salus*, inquit, *sit caussa edendi, vel bibendi adjungit se tamquam pedissequa periculosa jucunditas, et plerumque praeire conatur, ut ejus caussa fiat, quod salutis caussa me facere vel dico, vel volo*; et alibi (3) sic, et ad rem nostram loquitur: *Movetur certe animus ad pietatis affectum, divino cantico audito, tamen etiam illic, si solum sensum libido audiendi desideret, improbatur, quanto magis si cantiunculis inanibus, vel etiam turpibus delectetur.*

(1) *Lib. de pect. orig. cap.* 60.

(2) *Lib.* 10. *confess.*

(3) *Lib.* 4. *cap.* 14. *contra Julianum.*

Inst. Sunt actiones aliquae per se tantum ordinatae ad voluptatem, verbi gratia visio pulchri ad oculos oblectandos, odoris olfactio ad titillandas nares etc.; ergo saltem hae poterunt licite propter solam delectationem exerceri.

26. ℟. visionem pulchri, olfactionem odoris etc., non esse natura datam, ut in ea sistatur, sed ut inde levetur animus, quo fiat aptior ad sua obeunda munera. Ergo qui sistit in ea tamquam in fine, peccat. Idem plane dicendum de iis actionibus, quae fiunt commodi caussa, verbi gratia perfricare manus ad frigus pellendum, expurgare dentes, etc. dum enim actus hujusmodi fiunt deliberate (contingit enim plerumque ut fiant sine ulla deliberatione, praecipue vero dum in gravi cura, et cogitatione defixus est animus; quo in casu non pertinent ad hanc quaestionem, quae de actibus deliberatis instituitur) nec eo referantur, quo referri debent, immunes a culpa non sunt. Ceterum probis, ac piis hominibus hoc nullum injicere debet scrupulum; *Nam hoc ipsum*, ait D. Thomas (1), *quod aliquis agit ordinate ad sustentationem, vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis.*

(1) 1. 2. *q.* 18. *art.* 9. *ad* 3.

Instabis. Actus, qui fiunt voluptatis caussa, ceu perfricare manus, ambulare etc. non sunt materia voti, nec confessionis, ergo nec boni, nec mali sunt.

27. ℟. Ejusmodi actus non sunt materia voti, quia votum voveri debet de meliori bono. Porro tametsi perfricatio manuum, et ambulatio bona sit, eorum tamen omissio facta mortificationis caussa, et patiendi studio, melior est. Memorati vero actus, et alii, atque alii similes, cum deliberate fiunt, nec in debitum finem actu, vel virtute referuntur, profecto mali evadunt, ac materia fiunt confessionis non secus, ac reliqui actus vani, et sermones otiosi. Ceterum prudens Sacerdos raro absolutionem impertiri debet poenitenti, qui hos solum actus in confessione aperiat; quia hujusmodi actus ut plurimum sine deliberatione fiunt,

vel si cum deliberatione rationis fiant, ad sanitatem, aut ad honestam recreationem, aut ad naturae quietem referri virtualiter solent, ob eamque rem sunt *regulariter* dubia confessionis materia. Qua propter monendus est poenitens, ut aliis, quae certa peccata sint, accuset se; quamvis eadem jam alias confessus fuerit.

Obj. 6.° Nulla species est, quae individua sua non habeat, sed existunt actus indifferentes in specie, quemadmodum supra probatum est, ergo et existere debent actus indifferentes in individuo.

28. ℟. In hoc syllogismo fit transitus ab objecto ad finem, et circumstantias, et ob id fallaciam includit; enim vero ille syllogismus in hunc resolvi facillime potest: nulla datur species, quae non habeat individua sua; sed existunt actus indifferentes ex parte objecti; ergo et existunt actus indifferentes ex parte finis, et circumstantiarum. Melius cognosces fallaciam, si memoratum syllogismum nobis oppositum cum hac fallacia conferas: nulla existit species, quae non habeat individua sua; sed homo specie sua nec albus, nec niger, nec ullius coloris est; ergo in individuo existunt homines nec albi, nec nigri, nec ullius coloris.

Instabis. Omissio consilii, verbi gratia, omissio auditionis sacri die profesto bona non est, quia oppositum bonum est: sed nec mala est, quia nulli praecepto adversatur; ergo est omnino indifferens.

29. ℟. Actus omissio, si deliberata sit, non potest esse indifferens; etenim vel ab intentione boni alicujus finis proficiscitur, et bona est, vel oritur ab intentione finis indebiti, et mala est. Sic qui die profesto sacris mysteriis non interest, ut desidiae indulgeat, et otio tempus absumat, male agit; qui vero sacro non interest, ut in opere alio, quod ex objecto, et ex fine bonum est, se exerceat, bene agit, quamvis forte bonum praestantius praetermittat, quo bonum aliud minoris ponderis persequatur, quemadmodum qui nubit, is bene facit, ut inquit Apostolus (1), quamquam qui non nubit, melius facit.

(1) *Corinth.* 7.

Instabis. Potest quis ambulationem verbi gratia omittere ea una de caussa, quia praecepta non est; atqui hoc in casu omissio ambulationis indifferens est etiam ex fine; ergo etc.

30. ℟. In hoc argumento assignatur pro fine id, quod revera finis non est; quod enim omissio aliqua non sit imperata, conditio quidem esse potest omissionis removens impedimentum omittendi; at vero finis omissionis esse non potest. Sic potest quispiam omittere ambulationem ob id, quia praecepta non est, sed alicujus finis gratia, qui animo sit praesens, ad omissionem ambulationis inducatur necesse

omnino est. Enim vero finis omnis est bonum honestum, vel jucundum. Quare potest quidem quis omittere, aut agere quia lubet, quia placet, sed hoc *motivum* ipsissima delectatio est, ac proinde finis illicitus. At *motivum* agendi, vel omittendi, non potest esse solus defectus, seu carentia praecepti.

Obj.c. 7.° Actus per se pravus, qui tamen propter agentis invincibilem ignorantiam culpa eximitur, uti concubitus Jacob cum Lia, quam uxorem suam non esse invincibiliter nesciebat, nec bonus esse potest, cum ejus objectum natura sua malum sit, nec pravus ullo modo, cum ignorantia eumdem a culpa liberum efficiat. Praeterea qui nescit invincibiliter universos actus deliberatos bonum in finem dirigendos esse, profecto non peccat, quo tempore actum natura indifferentem non dirigit in finem bonum; ergo actus ejus non tantum in specie, verum etiam in individuo erit indifferens.

31. R. Actus, qui ex objecto mali sunt, propter invincibilem ignorantiam, si fiant, et in finem ultimum referantur, juxta Theologorum aliquorum doctrinam, non tantum culpa eximuntur, verum etiam boni evadunt. Annon enim, inquiunt hi Theologi, peccasset Jacob, si Liae, quam conjugem suam esse putabat, debitum denegasset? Ergo recte, ac judicii plenus ei debitum reddidit, ut ne officio deesset suo, seque peccati reum faceret. Verum haec sententia contraria est iis, quae supra elocuti nos sumus, ubi demonstravimus actum ex objecto malum, etiamsi bonum in finem dirigatur, totaliter malum esse.

Inquiunt alii: actiones hujusmodi materialiter consideratas, scilicet quoad objectum, non esse bonas, formaliter vero spectatas, nempe quoad intentionem bonas esse, ac merito adscribi. At haec sententia inferius reprobabitur, ubi ostendemus eum, qui actionem ex objecto malam ductus ignorantia invincibili facit, non habere voluntatem bonam. Alii sentiunt, actiones, quae ab ignorantia involontaria proficiscuntur, inter actiones morales, de quibus hoc loco disputatur, non recenseri, eamque ob rem, quamvis indifferentes sint, nihil inde confici posse adversus doctrinam hanc, quae agit de actionibus vere moralibus, quae procedunt a principio cognoscente singula, in quibus est actio. Verum haec quoque sententia probari nobis non potest; quamvis enim actus hujusmodi non sint morales, tamen indifferentes non sunt, sed materialiter mali, utpote qui dedeceant naturam rationalem. Quid igitur? si quod sentimus, libere aperiendum nobis est, melius ii sentire videntur, qui dicunt argumentum nobis objectum non pertinere ad quaestionem, quam pertractamus. Enim vero quaeritur hic, an sint actus quidam nec boni, nec mali. Porro actus in objectione propositi, revera mali

sunt ex aliquo capite, nimirum ex objecto; ergo indifferentes non sunt, ut ex nullo capite nec boni, nec mali ullo modo existant. Etenim licet per accidens, hoc est propter ignorantiam invincibilem contingat, ut actus ii natura sua mali non adscribantur culpae formali, tamen natura sua repugnant semper morum regulis, atque adeo ex se se mali sunt. Itaque si quid umquam probat objectio, nihil omnino probat aliud, quam actus memoratos nobis non adscribi merito, aut culpae, quod ultro, libenterque fatemur. Ad id, quod secundo loco nobis objicitur, respondent Theologi quidam, non posse hic locum habere ignorantiam invincibilem referendi actiones omnes in finem honestum, cum manifestum sit, hominem ratione utentem teneri agere ut hominem, et prout a brutis distinguitur, quod nec ipsimet Gentiles ignorarunt; unde illud Poetae.

Ni ratio jubeat, digitum exere, peccas.

Tum illud.

Vina sitim sedant, natis venus alma creandis

Servit: finem horum transiliisse nocet.

At sententia haec non arridet plerisque Theologis, qui animadvertunt, plures omni aetate Theologos tum pietate, tum doctrina insignes id sensisse, actus indifferentes in individuo existere. Respondent alii hoc in casu existere actum indifferentem in individuo per accidens, hoc est propter ignorantiam invincibilem. Verum qui sic sentiunt, aliqua ex parte recedunt a propria sententia. Itaque melius hic quoque sentire videntur ii, qui dicunt actus ex objecto indifferentes, qui debito fine careant, esse quidem malos, sed propter ignorantiam invincibilem culpae non adscribi, atque adeo quod objicitur, non pertinere ad quaestionem, quam pertractamus, quemadmodum supra dictum est.

DISSERTATIO II.

DE CONSCIENTIA.

CAPUT I.

De natura conscientiae, ejusque divisione.

SUMMARIA

1. *Definitur conscientia quoad nomen, et quoad rem.*
2. *Conscientiae varia sunt munera.*
3. *Qui peccat contra conscientiam, duplex non admittit peccatum.*
4. *Conscientia considerata, ut regula nostrarum actionum, definitur.*
5. *Explicatur primum definitionis verbum.*
6. *Solvitur objectio.*
7. *Explicatur secundum definitionis verbum.*
8. *Solvitur prima objectio.*
9. *Solvitur secunda objectio.*
10. *Explicatur tertium definitionis verbum.*

1. Si Conscientiae etymologiam inspiciamus, Conscientiae nomen derivatum est ex eo quod animus sibi conscius est; unde nihil aliud est, quam scientia ejus, quod in animo est, cordis scilicet scientia; quoad rem autem a S. Thoma (1) definitur applicatio scientiae ad opus aliquod particulare.

(1) *Q.* 17. *de veritate*, *et prima parte q.* 79. *art.* 13.

2. Conscientiae sic definitae ex S. Thoma locis citatis varia sunt munera, accusare scilicet, defendere, et ligare. Accusat, et remordet conscientia, quando scientia applicatur ad ea, quae male egimus. Defendit, seu absolvit, ideoque consolatur, quando scientia refertur ad ea, quae bene operati sumus: sic in scriptura (1) dicitur: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum*, *et inter se invicem cogitationibus accusantibus*, *aut etiam defendentibus.* Ligat demum, quando scilicet scientia ad opus applicata judicat mens aliquid esse agendum, vel omittendum, quo judicio, veluti vinculo quodam legis ligatur ad parendum, secundum illud scripturae (2): *Est qui promittit*, *et quasi gladio pungitur conscientiae.*

(1) *Ad Rom.* 2. *v.* 15.

(2) *Prov.* 12. *v.* 18.

3. Ex his colligitur conscientiam non esse proprie loquendo regulam nostrarum operationum, quum sit solum applicatio legis, seu regulae ad aliquod opus particulare; ideoque eum, qui peccat contra conscientiam, non duplex committere peccatum, unum contra legem, alterum contra conscientiam; quia tamen lex ad actiones nostras applicari non potest, nisi ope conscientiae; hinc Theologi duplicem solent distinguere regulam, unam proximam, et interiorem, conscientiam scilicet, alteram remotam, et exteriorem, nempe legem.

4. Conscientia, prout consideratur tamquam regula nostrarum actionum definiri solet judicium intellectus practici ex principiis universalibus morum dictans quid hic et nunc sit faciendum, vel omittendum. Hanc definitionem, utpote magis penes Theologos receptam, explicamus.

5. Dicitur in primis *judicium*, quia conscientia non est potentia, vel habitus, sed actus. Non est potentia, siquidem nulla potentia erui potest ex animo, potest vero animus deponere conscientiam. Neque est habitus, quia omnis habitus naturalis est, vel infusus, vel aquisitus; porro conscientia non est habitus

naturalis, quia hic idem est apud omnes, ut patet in habitu naturali, qui dicitur primorum principiorum; conscientia autem non est eadem in omnibus; nec est habitus infusus, quia hic semper est rectus, conscientia vero interdum errans; nec habitus aquisitus, secus conscientia in homine non haberetur, antequam eam sibi per multos actus sibi comparasset.

Obj. Conscientia in nobis dormientibus permanet, ergo non est actus.

6. ℟. Conscientiam permanere in nobis dormientibus tum radicaliter, quia permanet in suo principio, nempe synderesi, tum virtualiter, quamdiu non deponitur, virtute nempe praecedentis actus per actum contrarium non revocati; formaliter tamen et actu in nobis non permanet.

7. Dicitur 2.° *intellectus*, quia conscientia de agendis judicat, judicium autem ad intellectum pertinet.

Obj. 1.° Conscientia nunc dicitur bona, nunc mala scribente S. Luca (1): *Ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum*; bonitas autem, vel malitia ad voluntatem pertinet, non ad intellectum, ergo conscientia non est actus intellectus.

(1) *Act.* 23. *v.* 1.

8. ℟. Conscientiam dici bonam, vel malam non formaliter, et subjective, quasi vero ipsa sit subjectum bonitatis, vel malitiae, sed per analogiam quamdam, quatenus homo bonae, vel malae voluntatis suae est conscius. Ita S. Thomas ajens (1): *Inquinatio non dicitur esse in conscientia, sicut in subjecto, sed sicut scitum in cognitione; dicitur enim aliquis habere conscientiam inquinatam, quando alicujus inquinationis sibi est conscius.*

(1) *Q.* 17. *de veritate.*

Obj. 2.° Nemo dicitur bonae, vel malae conscientiae, quia scientia polleat, sed quod bonam, vel malam gerat voluntatem. Deinde conscientia ex dictis est applicatio scientiae ad opus; applicatio autem fit a voluntate, non ab intellectu; ergo etc.

9. ℟. ad primum. Licet quis non dicatur bonae, vel malae conscientiae, quia polleat scientia, tamen ex eo dicitur, sive quod sibi est conscius se bonam, vel malam habere voluntatem, sive quod habeat practicum judicium in bonum, vel malum ordinatum; porro scientia, et judicium ad intellectum pertinent, non ad voluntatem.

℟. ad 2. applicationem scientiae ad aliquod opus a voluntate non fieri, sicuti a voluntate non fit in scientiis speculativis illatio conclusionis ex praemissis.

10. Dicitur 3.° *judicium intellectus practici*, quia conscientia non versatur solum circa operationes humanas, ut eas cognoscat, utrum bonae, an secus, ut facit intellectus speculativus, sed circa eas ponendas, vel omittendas; quod munus est intellectus practici. Est itaque conscientia conclusio syllogismi practici, cujus in majori propositione

habetur lex, in minori factum, in conclusione sententia. Sic ex. gr. synderesis, vel lex dicit: malum est fugiendum; ratio subsumit: sed furtum est malum; concludit conscientia: ergo furtum est fugiendum; unde a S. Antonino *Conscientia*, dicitur, *concludens scientia*.

11. Dicitur 4.° *ex principiis generalibus morum*, seu synderesis, quae quidem principia, si bene applicentur, erit conscientia recta; si autem male, conscientia falsa. Non est ergo conscientia quodcumque practicum ultimum judicium; sic enim qui ex propria utilitate movetur ad furtum committendum obmurmurante conscientia, iste non agit ex conscientia, sed potius contra conscientiam; quia non inducitur ad agendum ex principiis synderesis, sed potius ex principiis oppositis.

12. Dicitur 5.°, *quid hic et nunc sit faciendum*, *vel omittendum*, quum conscientia, prout regula nostrarum operationum, non versetur circa actiones praeteritas, sed potius circa futuras, num hic et nunc sint a nobis ponendae, nec ne. Dixi prout est regula nostrarum operationum; nam conscientia generatim accepta, ut est applicatio scientiae ad opus aliquod particulare comprehendit etiam actiones praeteritas. De hac conscientia inquit Apostolus (1): *Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae*: et Isaias (2) de conscientia damnatorum: *Vermis eorum non moritur*.

(1) 2. *Corinth.* 1. *v.* 12.

(2) *Cap.* 66. *v.* 24.

13. Differt conscientia ab aliis principiis practicis. Et primo differt a synderesi, quae est habitus primorum principiorum moralium, puta bonum esse faciendum, malum vitandum; conscientia vero est actus, quo ex dictis principiis infert, quid sit faciendum, vel omittendum. Adde quod synderesis nullum admittit errorem; at consientia errori obnoxia esse potest, quando male applicat principia practica ad casus particulares. Quando ergo homines peccant agentes secundum conscientiam, id non provenit ex eo quod depravetur judicium universale synderesis, sed quia male applicatur hoc universale judicium ad casus particulares. Differt 2.° a prudentia, cujus munus est elicere conclusiones generales, conscientia vero particulares. Deinde prudentia est habitus, sive acquisitus, sive infusus, conscientia vero actus.

14. Conscientia spectari potest vel ratione objecti, vel ratione assensus. Conscientia ratione objecti alia est vera, seu recta, alia falsa et errans. Prima ex veris principiis recte concludit, et judicat, unde licitum, vel illictum esse dictat, quod revera tale est. Secunda ex veris principiis prave et perperam judicium suum efformat; unde licitum judicat, quod illicitum est, vel illicitum illud, quod revera licitum est. Conscientia falsa, seu erronea alia est vincibiliter, alia

invincibiliter erronea, sicut ipsa ignorantia.

15. Conscientia ratione assensus dividitur in certam, probabilem, seu opinativam, et dubiam; deinde in scrupulosam, et laxam. Conscientia certa, pro ut hic sumitur, est ea, quae excludit omnem prudentem haesitationem, et formidinem de opposito, et sic conscientia certa distinguitur a recta. Quod ut intelligatur, duplex est distinguenda certitudo, objectiva scilicet, seu formalis, et subjectiva. Certitudo objectiva, quae sola proprie certitudo dici potest, est illa, quae ex certis exploratisque principiis legitima consecutione aliquid infert; atque hoc in sensu conscientia certa non distinguitur a conscientia vera, ut patet. Certitudo subjectiva est firma, et prudens persuasio de rei veritate, et sic conscientia certa distinguitur a vera; quum enim quandoque contingat, ut homines sine ulla dubitatione prudenter assentiantur tamquam exploratae veritati alicui rei, quae in se falsa sit, hinc fit, ut conscientia invincibiliter errans in sensu laudato aliquando certa dici possit, quatenus scilicet omnem prudentem dubitationem excludit. Dixi invincibiliter errans, nam si erret vincibiliter, nullo modo certa dici potest.

Conscientia probabilis seu opinativa ea est, quae ex argumentis tantum probabilibus ducitur, ut proinde non omnem de opposito formidinem prudentem amoveat. Multiplex est pro multiplici gradu probabilitatis, qua nititur, tenuis, aut gravis, unde alia est tenuiter probabilis, alia graviter probabilis, quae a probabilistis definitur illâ, quae nititur gravi fundamento, licet absolute fallibili. Si haec conscientia graviter probabilis nullum admittat aeque, aut gravius contrarium fundamentum, erit conscientia subjective certa, de qua jam diximus.

Conscientia dubia est suspensio mentis neutri contradictionis parti adhaerentis, vel quia sunt aequalia utrinque momenta, et dicitur dubia positive, vel quia nulla sunt pro utraque parte, et appellatur dubia negative. Sunt qui dicunt conscientiam negativam non esse vere et proprie conscientiam, sed contrarium nos inferius ostendemus agentes de conscientia dubia; sunt etiam, qui asserant dubiam conscientiam non posse appellari vere ac proprie conscientiam; nam, inquiunt, conscientia est judicium, at qui habet conscientiam dubiam non judicat, sed judicium suum suspendit. Verum resolutio hujus questionis pendet ex varia conscientiae definitione; si enim conscientia definiatur applicatio scientiae ad opus particulare, tunc conscientia dubia erit veri nominis conscientia, eo quod mens libratis hinc inde momentis judicat veritatem nec in una, nec in altera contradictionis parte apparere; ideoque suspensa manet, nec uni potius, quam alteri contradictionis parti adhaeret; quare

suspensio haec est effectus illius judicii. Si autem definiatur, pro ut nos cum plerisque Theologis definivimus, tunc conscientia dubia non erit veri nominis consciëntia, quia non judicat, quid hic et nunc sit agendum, vel omittendum; si enim ex eo quod sint utrinque aequalia momenta procedat ad judicandum sibi abstinendum esse ab actione, hoc judicium posterius non pertinebit amplius ad conscientiam dubiam, sed ad rectam.

16. Conscientia scrupulosa ea dicitur, quae ex futilibus, et prorsus contemnendis rationibus judicat esse peccatum quod non est, aut esse peccatum grave, quod est tantummodo veniale. Dico *judicat*, quia si revera ex his levibus, et inanibus rationibus timeat tantum, ne actio sit mala contra judicium, quod habet de ejus bonitate, non est proprie conscientia, sed potius ejus umbra, et similitudo.

Conscientia lata, seu laxa ea est, quae ex levibus, et futilibus rationibus judicat non esse malum, quod revera malum est, aut leve tantum, quod est grave Huic accedit pharisaica, quae magna parvi, et parva magni facit; talis erat conscientia Pharisaeorum (1) culicem excolantium, et camelum deglutientium. Huc quoque pertinet conscientia cauteriata, quae judicat bonum malum, et malum bonum absque ullo remorsu; hujusmodi conscientia laborabant illi haeretici, quos Apostolus his verbis (2) carpit: *Qui attendebant spiritibus erroris, et doctrinis Daemoniorum, in hypocrisi loquentes mendacium, et cauteriatam habentes conscientiam suam.* Utraque haec conscientia scrupulosa scilicet, et laxa ad errantem reducitur, ut patet.

(1) *Matth.* 23. *v.* 24.
(2) 1. *ad Timoth.* 4. *v.* 2.

ARTICULUS UNICUS.

An intellèctus speculativus differat a practico.

SUMMARIA

1. *Intellectus speculativi et practici definitio traditur.*
2. *Intellectus speculativus essentialiter non differt a practico.*
3. *Objectio solvitur.*

1. Saepe saepius offendimus Theologos Moralistas, qui distinguentes speculativum intellectum inter, et practicum, aiunt quaedam esse speculative nec certa, nec probabilia, practice autem non tantum probabilia, sed certa evadere; ne ergo haec distinctio imperitis fucum faciat, et aliquibus sit causa erroris, ideo inquirendum, an intellectus speculativus differat a practico. Intellectus autem, ut jam supra animadversum est, speculativus ille dicitur, qui veritates in se ipsis considerat ad mores pertinentes, quin eas ordinet ad opus, intellectus vero pra-

cticus eas ad opus dirigit. His positis.

1. Dico intellectum speculativum essentialiter non differre a practico, sed solum accidentaliter. Etenim diversitas facultatum petitur a diversitate objectorum; atqui unum, idemque est objectum intellectus tum speculativi, tum practici, nempe verum; ergo etc. Quod autem intellectus practicus hoc verum ordinet ad opus, non vero intellectus speculativus, hoc non mutat naturam objecti; sicut non mutatur natura coloris, sive color inspiciatur in lapide, sive in pictura. Sicut ergo color, sive sit in hoc, sive in alio corpore non requirit duas distinctas visus facultates; ita idem verum, sive referatur ad opus, sive non referatur, non exigit duas distinctas intellectus facultates. Praeclare propterea S. Thomas (1) inquit: *Intellectus practicus et speculativus non sunt diversae potentiae, quia, ut dicitur ab Aristotele in 3.° de anima intellectus speculativus per extensionem fit practicus, una autem potentia non mutatur in aliam . . . solo fine speculativus differt a practico, quia nempe speculativus, quod apprehendit, ordinat ad solam veritatis considerationem, practicus vero, quod apprehendit, ordinat ad opus.* Sola ergo differentia, quae est penes intellectum speculativum, et practicum est accidentaria, quatenus veritas, quam considerat intellectus practicus refertur ad opus, non vero veritas, quam attingit intellectus speculativus; quare si intellectus speculativus cognoscat aliquem contractum esse usurarium; sub ea ratione necesse est, ut illum cognoscat intellectus practicus, quando nempe ageretur, num hic et nunc licite iniri possit ille contractus, nisi fortasse occurrat in praxi aliqua circumstantia, vi cujus ab eo contractu usura tollatur. Verum si ille contractus fuisset cum ea circumstantia speculative consideratus, certe illum contractum non improbasset intellectus speculativus. Hinc S. Antoninus (2) inquit: *Vult S. Thomas dubium practicum oriri ex dubio speculativo de veritate opinionis, et ita illud, quod est dubium in speculatione, esse semper dubium in praxi, nisi occurrat in praxi aliqua circumstantia, quae efficiat, ut nullum amplius sit dubium etiam speculativum: v. g. si velimus supponere dubium esse speculative loquendo, utrum sit licitum pingere diebus festis, vere dicetur, quod is, qui pingit in die festivo, est in dubio, nisi superveniat in praxi aliqua circumstantia, et necessitas extrema, quae efficiat, ut id quod dubium erat, dubium amplius non sit.*

(1) *In* 3. *sent. dist.* 23., *similia habet* 1. *p. q.* 79. *art.* 11.

(2) *P.* 1. *tit.* 3. *cap.* 10.

At, inquies, diversitas facultatum petitur a diversitate objectorum, sed objectum intellectus speculativi est verum, intellectus autem practici

Alasia Tom. II. Z

est bonum; ergo quum verum, et bonum essentialiter differant, intellectus speculativus essentialiter differt a practico.

3. Huic difficultati ita respondet S. Thomas (1): *Dicendum, quod verum, et bonum se invicem includunt. Nam verum est quoddam bonum, alioquin non esset appetibile, et bonum est quoddam verum, alioquin non esset intelligibile. Sicut igitur objectum appetitus potest esse verum, in quantum habet rationem boni, sicut cum aliquis appetit veritatem cognoscere, ita objectum intellectus practici est bonum ordinabile ad opus sub ratione veri. Intellectus enim practicus veritatem cognoscit, sicut speculativus, sed veritatem cognitam ordinat ad opus.* Hinc toto coelo aberrant, qui dicunt aliud esse verum speculativum, aliud verum practicum, adeo ut, quae sunt nec certa, nec probabilia speculative, illa practice non solum probabilia, sed etiam certa esse posse contendant; perinde ac si alia esset lex agendorum, alia sciendorum, quum tamen eadem veritas tum in mente, tum in opere tenenda sit.

(1) 1. *p. q.* 79. *art.* 11. *ad* 2.

CAPUT II.

De conscientia recta, et errante.

SUMMARIA

1. *Non omnis conscientia recta obligat sub peccato.*
2. *Peccat, qui agit contra conscientiam rectam.*
3. *Peccat pariter, qui agit contra conscientiam, sive vincibiliter, sive invincibiliter errantem.*

   Solvuntur objectiones numeris 4., 5., 6., 7.
8. *Exponitur, quomodo conscientia erronea obliget.*
9. *Discrimen ostenditur inter conscientiam erroneam vincibilem, et invincibilem.*
10. *Nulla irretitur necessitate peccandi, qui errore vincibili laborat.*
11. *Unde cognoscatur conscientiam esse erroneam vincibiliter, vel invincibiliter.*
12. *Si conscientia recta sit, non tenetur poenitens exprimere in confessione se egisse contra conscientiam rectam, secus si sit erronea.*
13. *Non differt specie peccatum contra conscientiam rectam a peccato contra erroneam.*
14. *Nullas incurrit poenas, qui agit contra conscientiam erroneam.*
15. *Cujus speciei, et gravitatis sit peccatum contra conscientiam erroneam.*
16. *Lethaliter peccat generatim loquendo, qui operatur id, quod non advertit, an sit mortale, an veniale.*
17. *Ceteris paribus gravius peccat, qui contra conscientiam errantem vincibiliter, quam qui secundum ipsam operatur.*
18. *Conscientia recta magis obligat, quam praeceptum Superioris.*

19. *Idem dicendum de conscientia invincibiliter errante, non vero vincibiliter erronea, sed haec erit deponenda.*

20. *Subditus adhaerere potius debet praecepto Superioris, quam suae dubiae conscientiae, quam deponere debet.*

21. *Subditus sequi tenetur potius suam conscientiam probabiliorem, quam praeceptum Superioris.*

22. *Potest pariter sequi suam sententiam probabiliorem subditus, licet conscientia dictet id, quod Superior praecipit, non esse per se illicitum.*

23. *Coeca obedientia respuenda est.*

24. *Modus indicatur, quo conscientia erronea vincibiliter est deponenda.*

25. *Laborans conscientia vincibiliter erronea, licet nullum dubium, vel scrupulum sentiat de malitia actionis hic et nunc eliciendae, non tamen a peccato excusatur.*

1. Certum est neminem peccare, qui non obtemperet conscientiae consulenti; nam conscientia consulens non proponit legem; ubi autem nulla est lex, nulla quoque est praevaricatio, ut ait Apostolus (1). Verum nos hic agimus de conscientia praecipiente, vel vetante, non vero de conscientia consulente, quae non cadit sub definitione conscientiae superius definitae, prout est regula nostrarum actionum, quae nempe dictat, quid sit faciendum, vel omittendum. De conscientia igitur praecipiente, vel vetante acturi.

(1) *Ad Rom.* 4. *v.* 15.

Quaeritur primo, an qui agit contra conscientiam peccet.

℟. peccare, sive agat contra conscientiam rectam, sive contra conscientiam erroneam.

2. Probatur prima pars. Enim vero, cum conscientia est recta, Deum nobis repraesentat vere praecipientem, vel vetantem; ergo peccat qui agit contra conscientiam rectam, utpote qui non obediat Deo praecipienti, vel vetanti.

3. Probatur 2.ª pars. Et primo ex Apostolo Paulo, qui inquit (1): *Qui discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non est ex fide; omne autem, quod non est ex fide peccatum est.* Porro Apostolus non loquitur hic de fide supernaturali; evidens enim est eum, qui non manducaret cibos ex fide supernaturali, non esse damnandum; ergo loquitur de conscientia, idque colligitur ex contextu. Apostolus namque ibi agit de eo, qui cibos quosdam prohibitos esse judicans, eos tamen manducabat; qui autem *discernit* cibos licitos ab iis, quos vetitos judicat, si hos *manducaverit, damnatus est, quia non ex fide*, idest non ex conscientiae judicio.

(1) *Ad Rom.* 14. *v.* 23.

Idipsum probatur ratione; ille peccat, qui vult peccatum; sed qui agit contra conscientiam etiam errantem, vult peccatum. Ille enim vult peccatum, qui facit id, quod judicat

esse peccatum; atqui agens contra conscientiam etiam errantem judicat esse peccatum agere contra hanc conscientiam; ergo etc.

Objicies. Actio illius, qui operatur contra conscientiam erroneam est consentanea legi aeternae; ergo non peccat ille, qui agit contra conscientiam erroneam.

4. ℟. actionem illius, qui agit contra conscientiam erroneam esse quidem secundum se spectatam consentaneam legi aeternae; in individuo tamen mala est, quia conjuncta cum voluntate violandi legem, quam quidem voluntatem prohibet lex aeterna.

Instabis. Conscientia errans nequit esse a Deo; ideoque nec obligatio, quae per conscientiam errantem induci creditur esse potest a Deo; ergo non peccat ille, qui agit contra conscientiam erroneam.

5. ℟. omnem evanescere difficultatem, si duplex distinguas judicium in conscientia erronea; unum, quo mens judicat esse parendum legi a Deo latae; alterum, quo judicat legem a Deo latam prohibere id, quod a Deo non est prohibitum. Conscientia vi primi judicii, quod rectum est, obligat, non vi secundi, quod errorem continet, qui a Deo non est.

Urgebis. Homo non potest sequi primum judicium, posita ignorantia invincibili, nisi sequatur etiam secundum; ergo si Deus vult, ut homo sequatur primum judicium, vult etiam, ut sequatur secundum; ideoque vult, et praecipit, ut homo sequatur quod malum est; hoc autem esse non potest; ergo non peccat ille, qui agit contra conscientiam erroneam.

6. ℟. primum judicium non esse vi, et natura sua conjunctum cum secundo, sed solum ex errore operantis; cum ergo Deus non sit causa hujus erroris, non erit causa, cur homo sequatur hoc secundum judicium.

Obligatio ergo, inquies, sequendi hoc secundum judicium non erit a Deo, sed ab errore; erit ergo error lex, quia nulla obligatio, nisi a lege (1).

(1) *Ad Rom.* 4. *v.* 15.

7. ℟. errorem esse solum occasionem, cur hoc judicium laborans conscientia erronea sequatur, nullam tamen habere vim obligandi. Finge hominem nocturno tempore incedentem per viam, et videntem arbores albas, quae illi videantur tot latrones, qui sint ipsum invasuri, ideoque domum revertatur; arbores istae erunt quidem occasio, cur homo iste domum petat; at nullam habebunt vim ex se timorem injiciendi; ita a pari error erit quidem occasio, cur homo sequatur id, quod dictat conscientia erronea; at nullam habebit vim obligandi ad eam sequendam.

Quomodo obligat conscientia erronea.

8. ℟. Conscientiam erroneam obligare non simpliciter, et per se, ut

conscientia recta, sed per accidens, secundum quid, et sub conditione; quatenus perseverante conscientia errante peccat, qui agit contra eam.

Probatur ex D. Thoma, qui (1) ait: *Diversimode recta conscientia, et erronea ligat; recta quidem ligat simpliciter, et per se; erronea autem secundum quid, et per accidens; dico autem rectam simpliciter; quia ligat absolute, et in omni eventu .... sed conscientia erronea non nisi secundum quid, et sub conditione.* Explicat autem in eodem articulo S. Doctor, quomodo conscientia erronea liget secundum quid, et sub conditione: *Secundum hoc*, inquit, *conscientia ligare dicitur, quod aliquis nisi conscientiam impleat, peccatum incurrat; non autem hoc modo, quod aliquis implens recte faciat.*

(1) *Q.* 17. *de veritate art.* 4.

9. Hoc autem intercedit discrimen inter conscientiam erroneam vincibiliter, et inter erroneam invincibiliter, quod si error est vincibilis, tunc homo peccat, sive pareat conscientiae, sive illi reluctetur; non autem si sequatur conscientiam invincibiliter errantem. Ex his consequitur, quod si conscientia vincibilis dictet esse mentiendum, vel fornicandum, et quis mentiatur, vel fornicetur, peccat, quia quod malum est agit ex errore vincibili; quem deponere potuit, et debuit; si autem nec mentiatur, nec fornicetur, similiter peccet, quia sic animo est affectus, ut velit legem Dei transgredi;

10. Neque ex his colligitur conjici quemquam in absolutam necessitatem peccandi; quandoquidem errorem, ex quo nascitur peccandi necessitas, perseverante illa conscientia, potest, ac debet deponere, utpote vincibilem; unde talis necessitas peccandi, sive quis faciat, quod conscientia dictat, sive non faciat, est necessitas non absoluta, et antecedens, sed hypothetica, et consequens. Quod si error hic, et nunc deponi non possit, quia non est, a quo consilium petatur, et aliunde adsit necessitas agendi, tunc eliciendus conditionis actus de priori ignorantiae peccato, eaque eligenda pars, in qua minus appareat mali, et sic culpa ulterius non imputabitur, quia error e vincibili fiet invincibilis, cum et actu excuti nequeat, et ejus causa fuerit retractata. Ceterum si forte hic homo id eligat, quod alteri damnum affert, tenebitur ejus damna resarcire; nam ponendo causam influxivam damni, jus ipsius violavit; violatio autem haec impediri non potest per retractationem voluntatis; at peccatum, cum in sola voluntate consistat, per voluntatis retractationem impediri potest.

Unde cognosci possit conscientiam esse erroneam invincibiliter.

11. ℟. judicandam esse conscientiam erroneam invincibiliter, si homo satis diligens, et accuratus sit in iis adimplendis, quae ab aliis piis hominibus ejusdem conditionis pe-

ragi soleant, et praesertim si addiscere curet ea omnia, quae pertinent tum ad communes, tum ad proprias obligationes; si de actus malitia nullam dubitationem habuit, vel scrupulum, vel saltem confusam aliquam notitiam; si statim, ac advertit se legem violasse ex conscientia erronea, doleat, atque tristetur.

An poenitens in confessione exprimere debeat se egisse contra conscientiam.

12. ℟. Si poenitens egerit contra conscientiam rectam, non tenetur id exprimere, quia, ut dictum est, ille, qui agit contra conscientiam, duplex peccatum non committit, nisi forte eo fine egisset contra conscientiam rectam, ut illam omnino extingueret, quia cum conscientia recta nobis Deum praecipientem repraesentet, velle extinguere conscientiam rectam, idem est, ac Deum praecipientem contemnere. Si vero egerit contra conscientiam erroneam, non solum debet id exprimere, sed ulterius explicare speciem peccati, quam dictabat conscientia erronea, ut dicetur n. 15.

An differat specie peccatum contra conscientiam rectam a peccato contra conscientiam erroneam.

13. ℟. non differre, ut facile constat ex dictis; quare reus est ejusdem peccati adulterii, sive quis accedat ad eam, quam scit non esse suam uxorem, sive accedat ad suam, putans esse alienam.

14. Licet is, qui contra conscientiam erroneam agit, perinde peccat, ac ille, qui contra rectam operatur, non tamen incurrit easdem poenas, ac censuras, cum hae infligantur solum in transgressores legis verae, non autem putatae. Hinc qui laicum percutit credens clericum percutere, non ligatur excommunicatione, quae solum imponitur clericorum percussoribus.

Cujus speciei, et gravitatis peccatum sit agere contra conscientiam erroneam.

15. ℟. peccatum, quod contra conscientiam erroneam committitur, habet eam speciem, et gravitatem, quam quis ex errore judicat actioni, vel omissioni suae inesse; quia is vult objectum, in quo talem speciem, et gravitatem malitiae apprehendit, et sic vult saltem interpretative talem malitiae speciem, et gravitatem sibi ab intellectu propositam, nisi fortasse conscientia esset vincibiliter erronea, et dictaret esse veniale tantum peccatum, quod agitur contra conscientiam, cum tamen sit mortale, tunc committeret peccatum mortale, et quidem illius speciei, in qua existit illud peccatum; quia conscientia vincibiliter erronea ipsum excusare non potest.

An qui agit aliquid, quod existimat esse peccatum, sed non advertens, mortale ne sit, an veniale, peccet mortaliter, an tantum venialiter.

16. ℟. generatim loquendo eum,

qui sic agit, reum videri peccati mortalis, quia temere omnino se exponit periculo peccandi mortaliter, unde Divus Antoninus (1) ex communi veterum Doctorum sensu haec scripsit: *Beatus Thomas, et alii dicunt, quod ille, qui agit, de quo est dubium, utrum sit mortale, vel non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis*; attamen si agitur de homine sic affecto, qui licet nil expresse cogitet de mortali, aut veniali culpa, nihilominus peccatum, quod committit contra conscientiam, non committeret certe, si mortale illud esse suspicaretur; videtur non nisi venialiter peccare; quia ex illa habituali dispositione, quae a quolibet mortali maxime abhorret, potest inferri hunc illud peccatum non apprehendere ut mortale, sed solum implicite apprehendere tantum ut veniale, nisi aliunde illud esset peccatum mortale, nec per ignorantiam invincibilem excusaretur.

(1) 1. *p. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10.

An gravius peccatum sit agere contra conscientiam errantem invincibiliter, quam agere secundum illam.

17. ℟. Secundum se, et ceteris paribus gravius esse agere contra conscientiam erroneam, quam agere secundum illam; quia qui agit contra illam, explicitum demonstrat affectum ad peccatum; qui autem agit secundum illam, talem affectum non demonstrat. Adde, quod primus cum cognitione, secundus vero ex ignorantia tantum agit; ignorantia autem minuit peccatum. At, si cetera non sint paria, id erit judicandum ex subjecta materia; unde si credis tibi mentiendum esse, ut proximi vitam tuearis, graviter peccas non mentiendo, leviter mentiendo; si vero putes pejerandum esse, ut leve aliquod malum ab alio avertas, graviter peccas pejerando, leviter non pejerando.

An plus obliget conscientia, quam praeceptum Superioris.

18. ℟. 1.° si conscientia sit recta, plus obligare conscientiam, quam praeceptum Superioris. *Nam*, ut inquit S. Thomas (1) *conscientia non ligat, nisi vi praecepti divini . . . comparare igitur ligamen conscientiae ad ligamen, quod est ex praecepto Praelati, non est aliud, quam comparare ligamen praecepti divini ad ligamen praecepti Praelati; unde, cum praeceptum divinum obliget contra praeceptum Praelati, et magis obliget quam praeceptum Praelati, conscientiae ligamen erit majus, quam ligamen praecepti Praelati.* Hinc in Scriptura (2) dicitur; *Obedire Deo oportet magis quam hominibus.* Id ipsum docuerunt etiam Ethnici philosophi, nam Socrates (3) sic Athenienses affatus est: *O viri Athenienses, diligo vos equidem, atque amo, Deo tamen parere malo, quam vobis.*

( ) *Q.* 17. *de veritate art.* 5.

(2) *Act.* 5. *v.* 29.

(3) *Apud Platonem in apologia.*

19. ℟. 2.° Si conscientia sit erronea, vel est invincibiliter erronea,

vel vincibiliter; si primum, tenemur ipsam sequi potius, quam praeceptum Superioris; quia conscientia invincibiliter erronea, assimilatur rectae, eo quod repraesentet agenti Deum ipsum praecipientem; unde cum ipsa non possit deponi, quia ex hypothesi est invincibilis, tenemur ipsam sequi; alioquin ageremus contra illam, quod non licet, ut superius ostensum est. Si secundum, tenetur subditus obedire Superiori praecipienti deponendo conscientiam vincibiliter errantem, ut nimirum ejus conscientiae vinculo solutus possit absque peccato satisfacere suae obligationi, Superiori nempe parendo. Ceterum *si contrarium tali conscientia manente agere disponat, quantum in se ipso est, ex hoc ipso habet voluntatem legem Dei non observandi*; *unde mortaliter peccat*, inquit S. Thomas (1), si nempe praeceptum Superioris sit de re gravi.

(1) *Q. 17. de veritate art. 4.*

20. ℟. 3.° Si conscientia sit dubia, tenetur subditus dubitans praeceptum Superioris esse de re illicita, deponere illud dubium, formando sibi conscientiam moraliter certam de honestate suae obedientiae; idque probatur tum ex Patribus, tum ex ratione. Augustinus (1) inquit: *Vir justus, si forte sub Rege homine etiam sacrilego militat, recte posset illo jubente bellare civicae pacis ordinem servans, cui quod jubetur vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel utrum sit, certum non est.* S. Bernardus (2): *Quod vice Dei praecipit homo, quod tamen non sit certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si praecipiat Deus.* S. Bernardinus Senensis (3): *Subditus rationabiliter dubitat, an quod praecipitur sit peccatum, an non, tunc profecto obedire tenetur.*

(1) *Lib. 22. contra Faustum c. 75.*
(2) *Lib. de praecepto et dispens. cap. 12.*
(3) *In Dialogo de obedientia.*

Ex ratione: Superior habet jus certum praecipiendi, neque ob dubium subditi exuitur jure suo; ergo subditus tenetur illi obedire; sunt enim correlativa jus praecipiendi, et obligatio obediendi. Demum ex denegatione obedientiae in dubio, an sit obediendum, enervatur auctoritas in Superioribus, in subditis extinguitur obedientia, discordiae, et contentiones Superiores inter, et inferiores oriuntur, scandala, et perturbationes nascuntur, et sic notabiliter laeditur regimen.

21. ℟. 4.° Si conscientia sit probabilior, si nempe momenta, quae a Superiore afferuntur, tam infirma sint, ut non valeant elidere momenta sententiae probabilioris, teneri subditum sequi potius conscientiam, quam praeceptum Superioris; quia in hoc casu duo menti subditi occurrunt Superiores, Deus scilicet praecipiens ex gravibus momentis, qui repraesentatur per conscientiam, et ex alia parte occurrit Superior praecipiens ex levibus, et contemnendis

momentis; at procul dubio est potius obediendum Deo praecipienti ex gravibus, quam Superiori praecipienti ex levibus et contemnendis momentis.

Sed quid, si conscientia dictet illud, quod Superior praecipit, non esse per se illicitum, poterit ne adhuc sequi sententiam suam probabiliorem dictantem jus non esse Superiori illud praecipiendi.

22. ℟. posse secluso scandalo. Nam licet sequi opinionem probabiliorem in conspectu tutioris minus probabilis, ergo etiam in conspectu praecepti Superioris. Probatur consequentia. Tam sententia tutior, quam praeceptum Superioris Deum quidem repraesentant praecipientem, sed momenta, quibus hoc repraesentatur, levia admodum sunt et contemnenda; ergo sicut licet sequi opinionem probabiliorem in conspectu tutioris minus probabilis; ita licet sequi conscientiam probabiliorem in conspectu praecepti Superioris.

23. Ex his constat non esse admittendam illam obedientiam caecam, quam multi Regularium Superiores a suis subditis exigunt; homo siquidem, cum rationabilis sit, et secundum rationem agere debeat, potest et debet examinare, an illud, quod sibi a Superiore praecipitur, sit licitum, an illicitum. Audiatur D. Thomas (1): *Subditus non habet judicare de praecepto Praelati, sed de impletione praecepti, quae ad ipsum spectat. Unusquisque enim tenetur actus suos examinare ad scientiam, quam habet a Deo, sive sit naturalis, sive aquisita, sive infusa, omnis enim homo debet secundum rationem agere.* Tum quoque S. Bernardus (2): *Facere malum quolibet etiam jubente, constat non esse obedientiam, sed potius inobedientiam, sed quid ad me? inquis, ille viderit . . . . si ita oportet, sine causa legitur in Evangelio: Omnia probate, quod bonum est, tenete.*

(1) *Q. 17. de veritate art. 5. ad 4.*

(2) *Epistola 7. ad Adam.*

Quomodo deponenda sit conscientia vincibiliter errans.

24. ℟. non temere, sed prudenter deponendam esse; temere autem conscientiam errantem deponunt 1.°, qui ut liberius peccent, ejus judicium contemnunt. 2.° Qui animum, et cogitationem avertunt ab iis motivis, quibus nititur judicium errantis conscientiae. 3.° Qui levibus quibusque acquiescunt rationibus, propterea quod libertati favent. 4.° Qui, si Doctorem consulant, quaerunt latiorem, qui ad voluntatem loquatur, et ut legimus in Scriptura (1): *Dicunt videntibus nolite videre, et adspicientibus nolite adspicere, loquimini nobis placentia, videte nobis errores.*

(1) *Isaiae cap. 30. v. 10.*

Prudenter vero errantem conscientiam ponunt, qui Deum assidue, humiliterque orant cum regio Psalte (1): *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo*, tum audiendo, legendo, meditando Dei legem,

et Christiani hominis officia inquirunt, quique sincero veritatis detegendae studio consilium petunt a viris doctis, et piis, ut monet Spiritus S. his verbis (2): *Ne innitaris prudentiae tuae, ne sis sapiens apud temetipsum, in multitudine praesbyterorum prudentum sta, et sapientiae illorum conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire.* Non est tamen necesse, ut quis, ad ponendam conscientiam erroneam, omnem diligentiam possibilem conferat, sed satis est, ut eam adhibeat, quam adhibere solent ejusdem conditionis homines pii, et timorati. Hinc si dubites, an hodie sit jejunandum, non teneris Episcopum, aut Parochum consulere, sed satis erit, si interroges virum, quem prudenter existimas jejunii habere notitiam.

(1) *Psalmo* 118. *v.* 73.

(2) *Proverb.* 3. *v.* 5.

Quaeres, quomodo ponere possit conscientiam vincibiliter errantem ille, qui hic, et nunc nullum sentit scrupulum, vel suspicionem de malitia actionis suae.

25. ℟. hunc non posse quidem hic, et nunc ponere suam conscientiam errantem, eo quod nullum sentiat scrupulum de malitia actionis, et putet se bene agere, non tamen necessario peccare, quia necessitas, in quam est conjectus, non est absoluta, et antecedens, sed hypothetica, et consequens originem habens a negligentia addiscendi ea omnia, quae poterat, et debebat addiscere.

ARTICULUS I.

An Confessarius monere debeat poenitentem ignorantia laborantem.

SUMMARIA.

1. *Monendus est poenitens laborans ignorantia vincibili.*
2. *Poenitens laborans ignorantia invincibili monendus est juxta plerosque Theologos in sequentibus casibus* 1.° *quando monitio est ipsi profutura.*
3. 2.° *In dubio, an sit profutura.*
4. 3.° *Si poenitens ignorat mysteria necessaria necessitate medii ad salutem.*
5. 4.° *In dubio, an ignorantia sit invincibilis.*
6. 5.° *Quando praevidetur poenitens peccaturus ex malitia.*
7. 6.° *Quando ignorantia invincibilis vergit in damnum publicum.*
8. 7.° *Quando poenitens interrogat, an actio honesta sit.*
9. *Poenitens juxta omnes monendus non est dispositus ad dimittendum peccatum materiale, si ex huiusmodi dimissione timeantur gravia scandala etc.*
10. *Plerique sentiunt adhuc in caeteris casibus, in quibus monitio profutura non censeatur, monendum non esse poenitentem; idque probant primo ex Patribus.*
11. 2.° *Ex ratione.*
12. *Solvitur prima objetio.*
13. *Solvitur secunda objectio.*
14. *Solvitur tertia objectio.*

1. Dum quaeritur, an Confessarius monere teneatur poenitentem ignorantia laborantem circa ea, quae sui muneris sunt, videndum, an ignorantia sit vincibilis, an invincibilis. Si vincibilis, tenetur eum illuminare; quia alioquin absolveret indispositum, cum ignorantia vincibilis a peccato non excuset. Si autem ignorantia sit invincibilis, tunc plerique Theologi docent in sequentibus casibus poenitentem esse a Confessario monendum.

2. 1.° Si monitio sit poenitenti profutura.

3. 2.° In dubio etiam, an sit profutura, quia cum teneatur Confessarius vi sui officii monere poenitentem, non potest in dubio, an monitio sit profutura, abstinere a monitione, quia in dubio legis favendum est legi.

4. 3.° Si poenitens ignoret mysteria fidei necessaria necessitate medii ad salutem; quia hic poenitens non est capax absolutionis; siquidem damnata est ab innocentio XI. haec propositio numero 64: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimae Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.* Adde, quod in hoc poenitente vix praesumi potest ignorantia invincibilis, vel voluntas non acquiescendi instructioni Confessarii propter facilitatem ea addiscendi.

5. 4.° In dubio, an ignorantia sit invincibilis, monendus erit poenitens, ne absolvatur is, de cujus dispositione dubitatur.

6. 5.° Quando praevidetur poenitens peccaturus ex pura malitia; tunc enim vel ignorantia non est invincibilis, vel si invincibilis, Confessarius in eo jam cognoscit actualem ad peccandum propensionem.

7. 6.° Quando ignorantia invincibilis poenitentis vergit in damnum publicum; puta si Sacerdos invalide ordinatus ministraret sacramenta etc.; quia, inquiunt aliqui, damnum publicum est privato anteponendum; at haec ratio nihil concludit; quia cum monitio ex hypothesi non sit profutura, damnum publicum non impediretur; monendus ergo potius in hoc casu, quia Confessarius prudenter presumere debet poenitentem ejus monitis esse obtemperaturum, vel ex pura malitia peccaturum.

8. 7.° Monendus est poenitens, quando interrogat, an licita, vel illicita actio sit; quia quando interrogat, dubium aliquod habet communiter de honestate actionis; ideoque ejus ignorantia non est invincibilis.

9. Ex altera parte concedunt omnes non esse monendum poenitentem dispositum ad dimittendum peccatum materiale, ex cuius dimissione gravia inde scandala, vel damna sint oritura. Sic, ajunt, non est monenda mulier, quae bona fide matrimonium invalide contraxit, de nullitate matri-

monii, si cognoscat Confessarius mulierem dispositam esse ad denegandum debitum, sed ex denegatione debiti fore occidendam, et scandala plurima oritura.

10. An vero ceteris in casibus, in quibus monitio non censetur profutura, monendus sit poenitens laborans ignorantia invinclbili, dissentiunt inter se Theologi. Affirmant plerique monendum non esse; idque probare contendunt, his argumentis. S. Bernardus (1) inquit: *Mallem aliquando tacuisse, et dissimulasse, quod agi perperam deprehendi, quam ad tantam reprehendisse perniciem*. Et S. Augustinus (2): *Si propterea*, ait, *quisque in objurgandis, et corrigendis male agentibus parcit, quia opportunum tempus inquirit, vel de iisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium caritatis*. Ergo, quando monitio non est profutura, Confessarius ad illam non tenetur; unde scriptura nos monet (3): *Ubi non est auditus, ibi non effundas sermonem.*

(1) *Sermone 42. in Cantica.*

(2) *Lib. 1. de civit. Dei c. 9.*

(3) *Ecclesiast. 32. v. 6.*

11. Probant quoque ex ratione; nam nemo tenetur ad opus inutile, et perniciosum, sed talis in hypothesi futura esset monitio, eum obfutura magis, quam profutura sit; ergo ad hanc Confessarius non tenetur. Deinde ex duobus malis minus est eligendum; atqui majus malum sequitur ex monitione; quam ex ejus omissione; nam si poenitens moneatur, deinceps peccabit formaliter, si non moneatur, materialiter tantum; ergo etc.

Obj. 1.° Confessarius est doctor, ergo, ut talis, instruere poenitentem debet, nec potest absque peccato permittere ejus peccatum materiale.

Respondent negando consequentiam. Est utique doctor Confessarius, sed simul etiam est medicus, atque ut talis non quamcumque praesertim nocivam, sed salutarem tantum doctrinam tradere debet, ne scilicet attenta poenitentis fragilitate venenum pro remedio porrigat. Et sane Parochus non est minus, imo magis doctor, quam Confessarius, et tamen Parochus juxta omnes monere parochianum non debet si nullum fructum speret. Itaque doctor tenetur quidem homines sibi commissos docere, sed prudenter, et oeconomice in opportunis scilicet tantum circumstantiis. Hac oeconomia usus est ipse Christus, cum sic (1) affatus est Apostolos: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; Cum autem venerit Paraclitus Spiritus, ille docebit vos omnem veritatem.*

(1) *Joan. 16. v. 13.*

Objicies 2.° Poenitens, qui praevidetur non obtemperaturus monitioni Confessarii, est indispositus, rg o absolvi non potest.

12. Respondent negando antece-

dens. Ut enim esset indispositus, opus esset, ut veram gereret voluntatem non aquiescendi instructioni Confessarii; at poenitens voluntatem hanc non habet: non actualem, quia actualis voluntas componi certe non potest cum ignorantia invincibili, qua ex hypothesi laborat: non habitualem; quia haec actualem necessario praesupponit; ergo solum habere potest interpretativam; haec autem certe voluntas non est, ut diximus agentes de voluntario interpretativo, sed esset tantum, si monitio fieret. Si dicas futuram hanc voluntatem reddere indispositum poenitentem, et esse peccatum, jam sentis cum Semipelagianis ab Augustino confutatis, qui nimirum docebant infantes decedentes sine baptismo damnari ob voluntatem peccandi interpretativam, quam scilicet in ipsis futuram, si ad rationis usum pervenissent, Deus praevidebat. Ergo ille poenitens capax revera esse potest absolutionis; atque ut talis a Confessario judicetur, sufficit, si Confessarius illum agnoscat hic, et nunc paratum perdere omnia in generali potius, quam Deum offendere. Dixi in generali, quia necesse non est, ut poenitens ad singularia descendat, sed sufficit, ut nunc detestetur peccatum super omne malum in generali; alioquin pauci forent veri poenitentes. Juvat audire doctorem Angelicum hac de re clarissime disserentem (1): *Contritus*, inquit, *tenetur in generali velle magis pati quamcumque poenam, quam peccare; sed in speciali descendere ad hanc poenam, vel ad illam non tenetur; quin imo stulte faceret, si quis se ipsum, vel alium sollicitaret super hujusmodi particularibus poenis; Manifestum est enim, quod sicut delectabilia plus movent in particulari considerata, quam in communi; ita terribilia plus terrent, si in particulari considerentur; et sunt aliqui, qui in minori tentatione non cadunt, qui forte in majori caderent; sicut aliquis audiens adulterium non incitatur ad libidtnem, sed si per considerationem descendit ad singulas illecebras magis moveretur; et similiter aliquis non refugeret pati mortem pro Christo, sed si descenderet ad considerandas singulas poenas, magis retraheretur; et ideo descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem, et praebere occasionem peccandi.* Unde ita licet ex S. Thoma argumentari. Stat cum poenitentis vero dolore voluntas sustinendi omnem poenam potius quam peccare, quamvis praevideatur voluntas interpretativa, hanc, vel illam poenam non patiendi, si descendat ad particularia; ergo stare potest in poenitente voluntas servandi omnes leges, quamvis si descendat ad hanc vel illam legem particularem, praevideatur, quod non sit ob fragilitatem, et gravia incommoda illam servaturus.

(1) *Quodlib.* 1.° *art.* 9. *in corpore.*

Objicies. 3.° Poenitens tenetur sci-

re ipsam legem; ergo Confessarius tenetur eum instruere.

13. Respondent negando consequentiam. Etenim ex eo quod poenitens legem scire teneatur, inde propterea minime respondet in Confessario obligatio eum instruendi, sicut ex eo, quod insit parochiano obligatio dimittendi peccatum, et obsequendi Parochi monitioni, inde non respondet juxta omnes obligatio in Parocho eum admonendi, quando monitio est obfutura; unde S. Thomas (1) inquit: *Probabiliter existimatur, quod si peccator monitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab hujusmodi correctione desistendum.* Haec sunt, quae in favorem hujus sententiae proferri possent; at pro praxi raro occurrit casus, in quo Confessarius poenitentem monere non debeat, quia difficile est ipsi cognoscere, num poenitens laboret ignorantia vincibili, an invincibili, vel utrum adsit spes profectus, nec ne.

(1) 2. 2 *q.* 33. *art.* 6.

ARTICULUS II.

An opera elicita ex conscientia invincibiliter erronea, si in bonum finem dirigantur, evadant bona, et meritoria.

SUMMARIA.

1. *Sententiae Theologorum referuntur.*
3. *Opera ex conscientia invincibiliter erronea peracta, nulla gaudent bonitate, et merito vitae aeternae; idque probatur ex Patribus.*
3. *Probatur quoque ex ratione.*
4. *Solvuntur objectiones numeris* 4., 5., 6., 7.
8. *Opera ex invincibili facti ignorantia bona non sunt, nec meritoria.*
9. *Intentio illius, qui malum perpetrat ex ignorantia invincibili juris, vel facti, bona non est, nec meritoria.*
10. *Solvuntur objectiones numeris* 10., 11.

1. Dum quaeritur, an opera ex ignorantia invincibili peracta, atque in bonum finem directa, evadant bona, et meritoria, variae occurrunt Theologorum sententiae. Prima affirmat, secunda negat, tertia distinguit inter actum, et intentionem agentis; docetque opera quidem huiusmodi esse mala, bonam tamen reputari intentionem, et meritoriam. Nostris hisce temporibus quidam mediam inierunt viam docentes, opera, quae fiunt ex ignorantia invincibili juris, esse quidem mala, non tamen imputabilia; opera autem, quae fiunt ex ignorantia invincibili facti bona esse, et laudabilia. Quaenam ex hisce sententiis nobis arrideat, nunc aperiendum.

Dico primo, opera ex ignorantia invincibili juris peracta, etiamsi bonum in finem dirigantur, nec bona, nec meritoria esse, sed mala, non tamen imputabilia ob ignorantiam invincibilem.

Probatur primo auctoritate Augustini, qui (1) inquit: *Nec recte fa-*

ctum esse ullo modo potest, quod non a recta ratione proficiscitur; porro recta ratio ipsa est virtus. Atqui opera ex ignorantia invincibili juris a recta ratione non proficiscuntur, sed ab erronea; ergo recte facta nullo modo esse possunt.

(1) *Lib. de utilitate cap.* 12.

Probatur 2.° ex S. Bernardo, qui (1) quaerens, *cur conscientia errans non aeque convertat malum in bonum, uti bonum in malum*: ita respondit: *Mirum quippe vobis, imo et injustum videtur, ut plus in malo, quam in bono humanae valeat intentionis opinio ... sed videte, ne forte non sit vere oculus simplex, qui fallitur . . . ego vero ut interior oculus vere simplex sit, duo illi arbitror necessaria, caritatem in intentione, et in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam: et nescio, quemadmodum judicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas . . . . cur? inquis. Num quid non ex fide? prorsus ex fide, sed falsa; vel potius certe non ex fide, quia fides falsa fides non est.*

(1) *De praecepto et dispensat. c.* 14.

Probatur tertio ex Angelico, qui (1) quaerens, an conscientia erronea liget, relata sententia negante ita scribit: *Sed qui hoc dicunt, non videntur intelligere, quid sit conscientiam ligare. Secundum hoc enim conscientia ligare dicitur, quod aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurrat; non autem quod aliquis implens recte faciat.* Ergo ex S. Thoma, qui malum ex ignorantia invincibili operatur, excusatur quidem a peccato, non tamen recte facit.

(1) *Quaest.* 17. *de veritate art.* 4.

3. Probatur quarto multiplici ratione. Nam si opera mala ex ignorantia juris invincibili peracta mentis apprehensione bona fierent, ejusdem conditionis, et bonitatis essent opera bona in finem bonum directa, ac opera mala ex ignorantia juris invincibili prodeuntia, possetque mentis apprehensio mutare naturam objectorum, puta mendacia, vel adulteria in virtutes, et merita vitae aeternae; absurdum est antecedens; ergo et consequens. 2.° Si mentis apprehensio vim haberet convertendi opera mala in virtutem, jam nullum opus esset natura sua malum; atque bonitas, vel malitia consisteret in hominum opinione. Porro, hoc vel ipsis Gentilibus repugnat; inquit enim Cicero (1): *Ipsum bonum non est in opinionibus, sed in natura. Nam ni ita esset, beati quoque opinione essent homines, quo quid dici potest stultius? Quare cum bonum, et malum natura judicetur, et ea sint principia naturae; certe honesta quoque, et turpia simili ratione judicanda, et ad naturam referenda sunt.* Tertio sicut ille, qui asserit, et jurat aliquid verum esse, quod tamen falsum est, quacunque tandem gaudeat bona fide, nunquam tamen efficere potest, ut id, quod falsum est, evadat verum; ita a pari, qui actionem facit de

se malam, quantumcunque bonam fidem habeat, nunquam tamen efficere poterit, ut id, quod in se malum est, evadat bonum, quia rerum essentiae pro animi affectibus mutari non possunt.

(1) *Lib.* 1. *de legibus.*

Obj. 1.° Actus sumit speciem ab objecto in quod tendit; atqui objectum in casu nostro repraesentatur, ut bonum; ergo actus erit bonus.

4. ℟. hanc objectionem S. Thomam sibi jam fecisse hisce verbis (1): *Voluntas concordans praecepto Dei, et legi aeternae, semper est bona; sed lex aeterna et praeceptum Dei proponitur nobis per apprehensionem rationis etiam errantis; ergo voluntas concordans rationi etiam erranti est bona.*

(1) 1. 2. *q.* 19. *art.* 6.

Huic argumento ita respondet (1): *Ad secundum dicendum, quod lex aeterna errare non potest; sed ratio humana potest errare, et ideo voluntas concordans rationi humanae non semper est recta, nec semper concordans legi aeternae.* Itaque ex D. Thoma ut voluntas sit bona, et recta satis non est, ut concordet rationi humanae, sed praeterea requiritur, ut concordet legi aeternae; atqui voluntas illius, qui aliqua de causa putat mendacium esse licitum, non concordat legi aeternae; ergo voluntas istius non potest esse bona. Deinde haec objectio supponit actum suam speciem desumere ab objecto non in se, sed repraesentato per intellectum, quod tamen falsum est. Etenim actus desumit suam speciem ab objecto comparato ad regulas morum, non vero a repraesentatione intellectus, haec enim repraesentatio est solummodo medium, quo cognoscitur bonitas, vel malitia objecti, et conditio necessaria, ut objectum bonitatem, vel malitiam formalem refundat in actum, non vero ratio formalis speciem refundens in actus voluntatis. Unde sicut ratio formalis, qua ignis comburit, est solus calor, non vero applicatio ejusdem ad lignum, cum sit solum conditio, sine qua ignis non combureret; sic repraesentatio objecti per intellectum est quidem conditio necessario requisita, non tamen formalis ratio, ut objectum speciem refundat in actus voluntatis.

(1) 1. 2. *q.* 19. *art.* 6.

Obj. 2.° Qui facit id, quod in se bonum est, putans esse malum, peccat; ergo e contrario, qui facit malum putans invincibiliter esse bonum, bene agere debet.

5. ℟. Hujusmodi argumentum sibi quoque loco laudato opposuisse D. Thomam his verbis: *Videtur, quod voluntas concordans rationi erranti sit bona. Sicut enim voluntas discordans a ratione tendit in id, quod ratio judicat malum; ita voluntas concordans rationi tendit in id, quod ratio judicat bonum. Sed voluntas discordans a ratione etiam errante est mala; ergo voluntas concordans etiam rationi erranti est bona.* Cui objectioni sic

respondet: *Dicendum, quod, sicut Dionysius dicit cap. 4. de divinis nominibus, bonum causatur ex integra causa; malum autem ex singularibus defectibus; et ideo ad hoc quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit quod sive secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur, ut malum. Sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur, quod utroque modo sit bonum.* Ergo ex Divo Thoma, ut actio sit bona, duo requiruntur, nempe ut objectum sit secundùm se bonum, deinde ut tamquam bonum apprehendatur; atqui in casu nostro, licet mendacium apprehendatur ut bonum, non est tamen secundum se bonum; ergo actio, qua quis mendacium profert, putans esse bonum, non est actio bona; immo quia mendacium in se malum est, actio haec simpliciter est mala. Neque quidquam probat illud secundum aliquos axioma: *Contrariorum eadem est ratio*; sicut enim in dialecticis duae propositiones contrariae possunt esse falsae, puta; omnis homo est justus; nullus homo est justus; ita in moralibus duo contraria esse simul possunt mala, nempe agere contra conscientiam, et agere secundùm conscientiam; ita ut si conscientia sit vincibiliter errans malum sit formale, materiale vero, si invincibiliter.

Ob. 3.° Qui credit ex errore invincibili se teneri ad mentiendum, ut proximi vitam servet, vel tenetur aliqua Dei lege ad mentiendum, vel non. Si primum, ergo mendacium in hoc casu legi huic congruens, erit bonum. Si secundum, ergo non peccaret non mentiendo; quia ubi nulla lex est, ibi nulla praevaricatio ex Apostolo (1).

(1) *Ad Rom.* 4. v. 15.

6. ℟. nullam dari legem obligantem in hoc casu ad mentiendum; alioquin una eademque lex aeterna preciperet, ac prohiberet mendacium, quod contradictionem involvit. Nec dicas legem aeternam prohibere quidem in genere mendacium, neutiquam vero in allata circumstantia; Haec enim responsio supponit mendacium suapte natura malum non esse, aeternamque Dei legem non esse immutabilem; ideoque posse aliqua circumstantia cohonestari, quod omnino falsum est, et universae Ecclesiae consensui contrarium; unde Tertullianus (1) inquit: *Nusquam, et nunquam excusatur, quod Deus damnat: nusquam, et nunquam licet quod semper, et ubique non licet.* Peccat ergo iste non mentiendo; quia si non mentiretur haberet voluntatem violandi Dei legem, quam quidem voluntatem prohibet lex aeterna. Vide alias objectiones, et responsiones capite hoc secundo, num. 4. et sequentibus.

(1) *Lib. de spectat. cap.* 20.

Ob. 4. Finge hunc hominem nolle mentiri; certe in nostra sententia peccabit: finge pariter eodem stante errore invincibili, velle agere poenitentiam, habere certe debebit propositum mentiendi imposterum; vel

ergo dicendum propositum mentiendi bonum esse, vel hunc hominem poenitentiam agere non posse.

7. ℟. hunc hominem agere posse poenitentiam dolendo de mala voluntate, quam habuit violandi Dei legem, et proponendo se nihil velle facere imposterum, quod credat Dei legi contrarium; quod si postea addat propositum mentiendi, propositum in hoc casu bonum non esset, neque dispositio esse posset ad justificationem; sed neque eam impediret, quia superveniens actui doloris, est actus ab eo distinctus: et aliunde, quum non sit formaliter malum, dolorem jam existentem non destruit.

8. Dico secundo, opera facta ex ignorantia facti invincibili mala quoque esse. Et hic recurrunt omnia argumenta, quibus antecedentem propositionem constabilivimus. Enimvero qui bona fide putans accedere ad propriam uxorem, alienam cognoscit, ille proprie committit adulterium; cum nihil aliud sit adulterium, quam accessus ad non suam; atqui adulterium semper malum est, nec unquam ulla bona intentione cohonestari potest; ergo opera facta ex ignorantia invincibili facti semper mala sunt. Dixeris ne judicium, quo quis judicat falso accedere ad propriam uxorem, non adversari regulis morum? quia hae in particulari non dictant hanc mulierem esse propriam uxorem; at quamvis hoc judicium non adversetur regulis morum, voluntas tamen in particulari accedendi ad hanc mulierem, quam invincibiliter putat esse suam uxorem, et accessus ipse regulis morum adversantur. Neque addas judicium, quo quis credit licitum sibi esse accedere ad propriam uxorem rectum esse, et conforme regulis morum. Licet enim hoc judicium rectum sit nihil tamen bonitatis communicare potest actui per se malo, scilicet adulterio, nec auferre illam oppositionem, et repugnantiam, quam habet adulterium cum aeterna lege.

9. Dico tertio, intentionem illius, qui opera mala peragit ex ignorantia invincibili, sive juris, sive facti bonam non esse, neque meritoriam. Id in primis constat ex D. Thoma, qui expresse docet voluntatem concordantem rationi erranti malam esse (1). Et sane illa intentio, bona non est, quae adversatur Divinae bonitati, et legi aeternae, atqui intentio illius, qui ex. g. profert mendacium ad servandam vitam proximi, vel adulterium committit ad vitandam mortem compartis adversatur divinae voluntati, ejusque legi aeternae, nisi velis divinam voluntatem ejusque legem approbare voluntatem mentiendi, et adulterandi, ergo etc. Neque reponas cum adversariis voluntatem mentiendi, et adulterandi per se non approbari a divina voluntate, approbari tamen per accidens, stante nempe ignorantia invincibili; sicuti enim Deus ne per accidens quidem mentiri potest, vel esse caussa mendacii, vel adulterii;

ita ne per accidens quidem approbare potest voluntatem mentiendi, vel adulterandi. Re enim vera intentio et voluntas unum et idem sunt; voluntas vero nihil aliud est, nisi actus interior, actus interior est idem actus exterior in intentione; ergo cum actus exterior, mendacium nempe vel adulterium, sit materialiter malus, etiam intentio erit materialiter mala.

(1) 1. 2. *q.* 19. *art.* 6.

Deinde intentio voluntatis speciem sumit ab objecto, in quod tendit; unde si objectum sit bonum, bona quoque est voluntas, si vero malum sit, mala quoque inde existet voluntas. Sic voluntas diligendi Deum est bona, quia ejus objectum est bonum; atqui objectum voluntatis agentis ex ignorantia invincibili est malum, ut patet in eo, qui ex ignorantia invincibili profert mendacium ad servandam vitam proximi, ratus id sibi in hac circumstantia licere; hoc enim objectum est vita proximi servanda ope mendacii, quod est malum; ergo voluntas quoque erit mala, sed materialiter propter ignorantiam invincibilem.

Ob. 1.° Voluntas mentiendi ad servandam vitam proximi non est mala, quia excusatur ob ignorantiam invincibilem: non indifferens, quia nulla datur actio indifferens in individuo; ergo bona.

10. ℟. negando consequentiam; et dico voluntatem mentiendi non esse malam formaliter, sed materialiter tantum, ut dixi; nec inde sequitur dari actum indifferentem in individuo, quia talis voluntas juxta aliquos non est actus humanus, qui, ut talis sit, debet procedere ex cognitione objecti, quod ex hypothesi est ignoratum; juxta alios est quidem actus humanus, non tamen indifferens, sed materialiter malus, nec imputabilis ob ignorantiam invincibilem. Et sane si quid probaret hoc argumentum, probaret quoque opus malum ex ignorantia invincibili peractum esse bonum, quod certe ipsis non arridet adversariis.

Ob. 2.° Intentio illius, qui mentitur ad servandam vitam proximi, objectum habet bonum, nempe vitam proximi servandam, et quidem sub ratione boni, ex caritate scilicet erga proximum; ergo bona est. Nec refert quod iste eligat mendacium quod est per se malum ad servandam vitam proximi; electio enim hujus medii, licet per se mali, cum ejus malitia invincibiliter ignoretur, non est actio humana, unde non potest inficere bonam voluntatem.

11. ℟. haec quidem probare, bonam esse in genere intentionem illius, qui vult servare vitam proximi, at malam esse, si conjungatur cum intentione proferendi mendacium ad servandam vitam proximi; hujusmodi enim intentio, intentio est placendi Deo, sed per actum malum; ergo, cum bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu, jam sequitur intentionem illam bo-

nam non esse; ideoque nec remuneratione dignam. Sic, Dominus non remunerabit voluntatem illius famuli, qui putans invincibiliter laborare in agro Domini, laboravit in alieno. Et sane in hoc homine, qui ex ignorantia invincibili profert mendacium ad servandam vitam proximi, vel unicus est actus, vel duplex; si unicus, ut docet S. Thomas (1); ergo non potest esse partim bonus, partim malus, bonus scilicet ex intentione, malus ex objecto. Si duplex; ergo etiam ille, qui ignorantia vincibili ductus profert mendacium ad servandam vitam proximi, duplicem exeret actum, quorum unus bonus est ex intentione, alter vero formaliter malus; neque enim unus actus malus poterit alterum inficere, qui natura sua bonus est, quod tamen non admittunt adversari. Quod diximus de voluntate proferendi mendacium ad servandam vitam proximi, idem dicendum de voluntate accedendi ad determinatam mulierem, quam quis ex ignorantia invincibili suam uxorem esse credit. Egregie propterea (2) S. Thomas: *Si ratio*, inquit, *erret in hoc, quod credat aliquam mulierem submissam esse suam uxorem, et ea petente debitum, velit eam cognoscere, excusatur voluntas ejus, ut non sit mala; quia error iste ex ignorantia circumstantiae provenit, quae excusat, et involuntarium causat.*

(1) Q. 2. *de malo art.* 2.

(2) 1. 2. *q.* 19. *art.* 6.

Ut autem solvantur cetera argumenta, quae afferri possunt, notandum, duplex distinguendum esse judicium in eo, qui ex ignorantia invincibili sive juris, sive facti aliquod malum perpetrat, unum universale, et antecedens, quo quis vult servare vitam proximi ex motivo caritatis, vel vult adorare hostiam consectatam, alterum vero particulare, determinatum, et subsequens, proponens homini mentiendum esse ad servandam vitam proximi, vel adorandam hanc hostiam non consecratam. Primum judicium antecedens verum est, et affectus caritatis, vel religionis judicio huic universali conformes, boni sunt, et meritorii. Secundum judicium subsequens erroneum est, et mendacii affectus ad servandam vitam proximi, vel adorationis hostiae non consecratae hoc judicio directus ex se malus est, licet excusetur per ignorantiam invincibilem. Igitur in eo, qui accedit ad Missam audiendam, omnes affectus, quos habet, et identidem repetit, adorandi hostiam consecratam, boni sunt, et meritorii; at dum in elevatione hostiae non consecratae eam adorat, intentio adorandi hanc hostiam, sicut et ipsa adoratio per se idololatrica est, licet idololatria ipsi non imputetur ob ignorantiam invincibilem.

CAPUT III.

De conscientia perplexa.

SUMMARIA.

1. *Quis dicatur laborare conscientia perplexa.*
2. *Laborans conscientia perplexa vincibili peccat quidquid eligat.*
3. *Detentus conscientia perplexa invincibili non peccat, si minus malum, vel si utraque pars aequaliter mala apprehendatur, quamcunque partem eligat.*
4. *Solvitur objectio.*
5. *Conscientia perplexa invincibilis quandoque ad aliquid obligare potest.*

1. Acturi de conscientia perplexa animadvertimus illum dici habere conscientiam perplexam, qui putat se peccare, sive hanc, sive alteram contradictionis partem eligat; talis est ille, qui assistens infirmo putat se peccare, sive infirmum deserat, ut sacro intersit, sive sacri auditionem omittat, ut infirmi curam gerat.

Quomodo se gerere debeat qui habeat conscientiam perplexam.

2. ℟. distinguendo, vel haec perplexitas oritur ex ignorantia vincibili, vel ex invincibili. Si ex vincibili peccat quidquid eligat, quia credit se peccare in utroque casu, et aliunde non excusatur ob ignorantiam, cum sit vincibilis, et propterea deponenda modo superius dicto.

3. Si ex invincibili ignorantia perplexitas oriatur, tunc non peccat eligendo minus malum, vel si apprehendat utrumque aequaliter malum, eligat quod libuerit, non quia malum morale possit honestari intuitu boni finis, sed quia quod ab homine sic perplexo malum eligitur, ipsius intuitu desinit esse peccatum ob defectum libertatis; nam semel ac homo ex conscientia invincibiliter erronea, quam non potest depónere, credit se peccare quodcunque ex duobus extremis adoptet, et aliunde necessitate agendi premitur, jam libertate indifferentiae necessaria ad peccandum nequit amplius uti.

Si dicas talem perplexum unum libere eligere, ideoque liberum esse.

4. ℟. esse quidem liberum libertate physica, neutiquam morali. Equidem ad libertatem physicam satis est, ut homo possit objectum amplecti, vel respuere; at ad libertatem moralem ulterius requiritur, ut homo cognoscat objectum, ut vitabile, illudque in genere moris vitare possit; peccatum enim, cum sit in genere moris, requirit in eodem genere libertatem; porro haec libertas non invenitur, ubi est ignorantia invincibilis; hinc qui assistens aegroto credit se peccare, sive Missam audiat aegrotum deserendo, sive aegroto assistat, Missam omittendo, non peccat quidquid agat; quia caret libertate morali ad agendum. Idem dicendum de eo, qui detentus in carcere putat se peccare omissione

sacri, quod audire vellet, sed non potest; quia ad peccandum satis non est, ut quis credat se peccare, sed ulterius requiritur, ut habeat libertatem moralem peccatum vitandi.

5. Diximus laborantem ignorantia perplexa teneri eligere illam partem, in qua minus malum apprehendit, ut docet Toletanum Concilium (1) his verbis: *Duo mala licet sint cautissime praecavenda, tamen si periculi necessitas, vel conscientiae perplexitas ex his unum perpetrare contigerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare*; quod si eligat id, quod sibi majus malum videtur, tunc peccat juxta excessum mali apprehensi; cum libere hunc excessum eligat.

(1) *Relato in can.* 1. *dist.* 13.

CAPUT IV.

De conscientia scrupulosa, et laxa.

SUMMARIA.

1. *Notio scrupuli, ejusque distinctio a conscientia scrupulosa, et dubia.*
2. *Licet agere contra scrupulos, non vero contra conscientiam scrupulosam.*
3. *Mala, quae ex scrupulis oriuntur.*
4. *Signa, et caracteres scrupulosae conscientiae.*
5. *Causae scrupulorum.*
6. *Remedia contra scrupulos.*
7. *Modus indicatur, quo Confessarius se gerere debeat cum scrupuloso.*
8. *Conscientiae laxae indicia.*
9. *Ejus causae.*
10. *Effectus.*
11. *Remedia.*

1. Scrupulus definiri solet timor peccati conceptus ex levibus, et inanibus rationibus cum nimia operandi anxietate.

Dicitur 1.° *timor peccati*, et sic distinguitur a conscientia scrupulosa, quae est judicium, quo quis ob leves, et inanes rationes judicat esse peccatum, ubi non est.

Dicitur 2.° *Conceptus ex levibus, et futilibus rationibus*, et sic secernitur a conscientia dubia, quae rationum hinc inde aequalitatem importat, non autem scrupulus.

Dicitur 3.° *Cum nimia operandi anxietate*, quia fere semper scrupulosi angustiis praemuntur, et torquentur.

2. Ex his consequitur, licere quidem agere contra scrupulos, quia quum isti innitantur levibus, et inanibus momentis, non excludunt judicium moraliter certum de honestate actionis; ideoque licebit illos spernere. At non ita sentiendum de conscientia scrupulosa, quae cum sit judicium erroneum, non licet contra eam agere, ut diximus superius agentes de conscientia erronea. Hinc in jure Canonico (1) mulieri scrupulosa conscientia agitatae super valore matrimonii non permittitur exigere debitum, nisi *explosa ad sui*

pastoris consilium conscientia scrupulosa.

(1) *Cap.* Inquisitioni 44. *de sent. excom.*

3. Plura sunt incommoda, et damna, quae ex scrupulis oriri solent. 1.° Animae pacem, et tranquillitatem perturbant. 2.° mentem excruciant, eamque saepenumero ad obeunda Christiani pietatis officia ineptam reddunt. 3.° in causa sunt, ut qui iis vexantur, animum despondeant, de Divina bonitate, et clementia parum recte sentiant, in graves morbos incidant, et quandoque in amentiam, vel desperationem prolabantur.

4. Signa, et caracteres conscientiae scrupulosae haec praecipua sunt. 1.° Si quis credat se peccasse in iis, in quibus viri pii nullum peccatum inveniunt: puta in pravis cogitationibus, quibus fuit excruciatus, quamvis eas detestetur, ac perhorrescat. 2.° Si viro pio, et docto asserenti nullum esse peccatum, aut non credat, aut non nisi cum magno timore, iterum, atque iterum ipsum, aut alios interrogans. 3.° Si excutiendae conscientiae nunquam finem faciat, cum ad Poenitentiae sacramentum vult accedere: in Confessione minutissima quaeque etiam impertinentia explicet, aut praeteritas Confessiones morali diligentia factas ex toto, vel ex parte repetat. 4. Si preces praescriptas, sive officii Divini, sive poenitentiae etc. maxima cum anxietate persolvat, ad quamcunque mentis evagationem subsistat, et trepidet, easque iterum, vel ex toto, vel ex parte recitet; ex his, vel similibus signis cognosci poterit scrupulosus.

5. Causae scrupulorum aliae sunt intrinsecae, extrinsecae aliae, eaeque non in omnibus eaedem sunt, sed diversae pro qualitate scrupulosorum. Intrinsecae sunt 1.° Complexio naturalis admodum disposita ad suspiciones, atque timores, qualis est melanchonica, quae solet inanes cogitationes excitare, et timores incutere. 2.° Infirmitas capitis, praesertim in mulieribus, ex qua evenit, ut quis firmiter non inhaereat principiis practicis sufficienter notis, sed levibus momentis a sententia dimoveatur. 3.° Ignorantia, qua quis imprudenter mandata Dei, et Ecclesiae intelligit. 4.° Occulta superbia, qua quis nimium suo judicio fidit, ceteris contemtis (1) 5.° Nimia abstinentia, et immoderatae vigiliae, quibus debilitato capite facile turbatur animus. Quare Hieronymus (2) reprehendit eum, qui nimio corporis regimine animi vires prosternens, in errorem, et moestitiam labebatur, unde scrupuli oriuntur.

(1) *Spirito di S. Francesco di Sales part.* 3. *cap.* 20.

(2) *Relatus in can.* Mediocriter 24. *de consec. dist.* 5.

Extrinsecae sunt 1.° Deus, non quod ipse scrupulos immittat, sed quia subtrahit lumen, quod scrupulos everteret; permittit autem scrupulos in justis, ut poenis spiritus

purgati in via Dei spirituali magis proficiant, in tepidis, ut Christianae pietatis officia ferventius obeundi consilium capiant, in peccatoribus, ut praeteritarum culparum poenas luant, ut a dissoluto vivendi genere retrahantur, et ad frugem reducantur. Scrupuli autem a Deo esse censentur, si ex iis justus ad majorem virtutis amorem, majoremque pro peccatis satisfactionem, peccator vero, si ad horrorem peccati, ejus fugam, et morum mutationem inducatur. 2.° Daemon, qui Deo permittente, *movere potest melancholicos humores in homine, per quos imaginatio vel errare potest, vel turbari ad timorem inordinatum* (1). Porro scrupuli esse a Daemone cognoscuntur, si quis ex iis ad teporem adduci, a virtutis studio retrahi, et praecipue ad desperationem de sua salute inclinari se sentiat, ut docet S. Ignatius (2). 3.° Societas scrupulosorum; qui enim timidioris conscientiae sunt, facile contrahunt morbum eorum, cum quibus frequenter morantur, praesertim si horum consiliis vivant. 4.° Lectio librorum, qui nimis rigidi sint, quos damnat S. Ambrosius his verbis (3): *Sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere.*

(1) *S. Antoninus* 1. *part. tit.* 3. *cap.* 10. §. 9.

(2) *In libello exercitiorum reg.* 5.

(3) *In psalm.* 118. *num.* 37.

6. Inquisitis scrupulorum causis remedia praescribenda sunt, quae diversa esse debent pro diversitate causarum, quae scrupulis originem dederunt. Si scrupuli a causa corporali oriantur, ope Medici remedia adhibeantur; hinc melanchonicus honestis recreationibus sublevetur, et remediis a Medico praescriptis atram bilem expellat; si proveniant scrupuli a Deo peccata nostra ulciscente, peccata fugienda sunt, si autem nos probante, scrupuli sunt patienter tollerandi; si a societate aliorum, erunt hi vitandi; si ab ignorantia, ea expellenda; si demum ab aliis causis originem habeant, generalia haec erunt remedia. 1.° Frequens, et humilis oratio ad Deum, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (1). 2.° Vitam piorum, ac sapientum hominum pro regula habere. 3.° Cavere otium, et vagas cogitationes, quae scrupulorum seminaria sunt, et se exercere in externis operibus statui suo convenientibus, praesertim in operibus caritatis, et misericordiae, per quae caritas in nobis augetur, ac perficitur; *perfecta autem caritas foras mittit timorem* (2). 4.° Coecam obedientiam praestare suo Directori, de qua inferius.

(1) 2. *Corint. cap.* 1. *v.* 4.

(4) 1. *Joan.* 4. *v.* 18.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum scrupuloso.

7. Confessarius 1.° statim ac co-

gnovit aliquem esse scrupulosum ex indiciis assignatis, eum in poenitentem non admittat, nisi sibi promittat absolutam obedientiam; alioquin erit curationis incapax. Hujus autem obedientiae necessitatem scrupuloso suadere poterit hisce argumentis. *Etenim melior est obedientia, quam victimae, et auscultare magis, quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere* (1); unde Deus invehit in eos, qui sibimetipsis sunt sapientes iis verbis (2): *Vae qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.* Nam (3), *qui renuunt credere superiorum, et prudentum consilio ad tales scrupulos deponendum, et agendum contra eos, errant multipliciter, primo per superbiam, et arrogantiam, praeponendo judicium suum, et prudentiam aliorum judicio. Rursus talis vix, aut nunquam habebit devotionem solidam, et pacem conscientiae.* Hinc Divus Bernardus dicit discipulo cuidam scrupuloso: *Vade frater, et in fide mea celebres. Obedivit discipulus et scrupulus ille omnis perpetuo discessit.* At dicet aliquis: utinam talis mihi esset director, qualis erat S. Bernardus, facile ego imperanti crederem. Respondet S. Antoninus: *Quisquis ita dicis, erras; non enim commisisti te in manibus hominis, quia litteratus, et devotus, sed quia tibi est praepositus; quamobrem obedias illi non ut homini, sed ut Deo . . . Caveas ad extremum, ne dum quaeris securitatem, in gravem ruas praesumtionis foveam.* S. quoque Philippus Nerius (4) suis poenitentibus sic ajebat; *li qui proficere in via Dei cupiunt, submittant se Confessario docto, cui obediant ut Deo, et qui ita operatur fit securus a reddenda ratione cunctarum suarum actionum.*

(1) 1. *Reg. cap.* 15. *v.* 22. 23.

(2) *Isaiae cap.* 5. *v.* 21.

(3) *S. Antoninus apud Gersonium de praeparat. ad Missam.*

(4) *Lib.* 1. *cap.* 20. *vitae suae.*

2.° Scrupuloso permittat, ut totaliter aperiat conscientiam suam; cognitis enim scrupulorum causis apta remedia, de quibus numero praecedenti diximus, poterit praescribere. Dixi totaliter, quia si minus quam par sit, audiat scrupulosum, periculum incurrit, ut quaedam opera, tamquam scrupulum traducat, quae tamen non sunt, et cogatur quandoque suam mutare agendi rationem; unde fit, ut scrupulosus confidentiam abjiciat, dum videt Confessarium erga se nimium indulgentem, vel ejus judicium minus rectum, aut satis non constans.

3.° *Moneat scrupulosum*, ut magna animi firmitate contra scrupulos agat, et fixo operis pede decertat, ut scribit Gersonius (1).

(1) *De praeparat. ad Missam. Consideratione sexta.*

4.° Si videat scrupulosum grave damnum subire ex impletione legis positivae, sive Divinae, sive huma-

nae, ipsi dicat eas non obligare cum tanto incommodo; quare sacerdoti, qui solet pluries Breviarii preces repetere, ei interdicat repetitionem; aut si hoc satis non sit ad amovendos scrupulos, prorsus earundem precum recitationem prohibeat.

5.° Si scrupulosus post consilium, aut post confessionem rite peractam redeat, inauditum dimittat, sed praecipiat, ut ad communionem accedat, quia hujusmodi interrogationes, et frequentes recursus fovere solent scrupulos.

6.° Si scrupulosus angitur de praeteritis confessionibus ob defectum sufficientis examinis, vel veri doloris, earundem repetitionem vetet, nisi haec tria concurrant simul 1.° ut certus sit peccata oblita esse mortalia. 2.° Ea non fuisse confessum. 3.° Ex ea confessione non oriri maximam anxietatem, et molestiam, vel capitis debilitatem; quia praeceptum confessionis non obligat, quando impleri non potest sine nimia difficultate, et anxietate; sed ei repetat id, quod S. Bernardus suis fratribus dicebat (1): *Ad Dominum jam conversos non nimium cruciet praeteritorum conscientia delictorum, sed tantum humiliet vos sicut et ipsum Paulum.*

(1) *Serm.* 3. *de Sanctis Petro, et Paulo.*

7.° Scrupuloso praecipiat, ut peccatum commissum, vel committendum non judicet mortale, nisi ipsi existenti in animi tranquillitate constet esse mortale; cum enim scrupulosi dubitare soleant de rebus clarissimis, et judicare esse peccata mortalia, quae non sunt, prudenter praesumitur ea, aut nulla esse peccata, aut esse solum venialia, atque adeo ipsorum dubium esse imprudens, et absque fundamento; adde quod in perpetua angustia versarentur, si practice pro peccato habere debeant, quid quid ipsis sub dubio peccatum apparet.

8.° Confessarius has regulas adhibere tantum poterit pro iis, qui in omnibus, aut fere omnibus scrupulosi sunt, pro iis vero, qui in certis materiis scrupulosi sunt, pro iis materiis tantum, non vero pro aliis regulas supradictas adhibebit.

8. Conscientiae scrupulosae morbo gravior, atque periculosior est morbus laxae conscientiae. Porro laxae conscientiae sunt 1.°, qui contemnunt, ac pro nihilo habent, quae probi, ac prudentes putant esse peccata. 2.° qui in peccatis moram trahunt, nec de iis delendis ullam sollicitudinem gerunt. 3.° qui temere sperant obtenturos a Deo sub vitae finem tum tempus poenitendi, tum gratiam, qua condigne poenitere possint.

9. Praecipuae hujus morbi causae sunt 1.° Neglectus orationis, et piarum exercitationum. 2.° Vita mollis, et otiosa, quae multam malitiam docet (1), vel nimiis curis, ac negotiis implicata, quae tempus piis

operibus suffuratur. 3.° Peccandi consuetudo, quae peccati horrorem tollit. 4.° Usus, et familiaritas cum male feriatis hominibus, ac vitio deditis. 5.° Luxuria, quae animum defigit in rebus sensibilibus, impeditque, ne ad spiritualia tendat.

(1) *Eccl.* 33. *v.* 29.

10. Funestissimi autem sunt hujus conscientiae effectus, et 1.° Quies, et tranquillitas animi post peccatum. 2.° Insensibilitas ad quaecunque consilia, monita, et exempla proborum. 3.° Irrisio piarum exercitationum. 4.° Tandem durities in malo, atque impoenitens cor thesaurizans sibi iram in die irae (1).

(1) *Apostolus ad Rom.* 2.

11. Inter multa, quae adhiberi possunt laxae conscientiae pellendae remedia, haec potissimum laudantur. 1.° Frequens, et humilis oratio ad Deum conjuncta cum aeternarum rerum meditatione. 2.° Secessus dierum aliquot, quibus procul ab hominum turba animus Deo, ac sibi vacet. 3.° Quotidiana conscientiae discussio, per quam, quae interdiu acta, dicta, et cogitata fuerunt, ad examen revocentur. 4.° Frequens optimorum librorum ad christianam virtutem incitantium lectio. 5.° Promtum ad Sacramentum poenitentiae confugium statim post peccatum. 6.° Fuga otii, et sociorum male feriatorum, et conversatio cum piis, et vera virtute praeditis.

CAPUT V.

De conscientia certa, et dubia.

SUMMARIA

1. *Certitudo definitur.*
2. *Alia est metaphysica, alia physica, alia moralis.*
3. *Alia directa, alia reflexa.*
4. *Dubii definitio.*
5. *Aliud juris, aliud facti.*
6. *Aliud speculativum, aliud practicum.*
7. *Aliud positivum, aliud negativum.*
8. *Dubium negativum vere, et proprie dubium est.*
9. *Ex momentis hinc inde aequalibus dubium oritur.*
10. *Nunquam agere licet cum conscientia practice dubia.*
11. *In dubio negativo, deposito dubio, fas est eligere quamcunque contradictionis partem.*
12. *Dubium non ex arbitrio, sed prudenter deponendum est.*
13. *Quaenam pars tutior dicatur.*
14. *In dubio tutiori parti adhaerendum est.*
15. *Solide se gerunt, qui Probabilistas aggrediuntur, refutando eorum principia reflexa.*
16. *Solvuntur objectiones numeris* 16., 17., 18., 19.

1. Certitudo subjectiva, de qua hic loquimur, definiri solet, judicium prudens, ac firmum de bonitate, vel malitia alicujus actionis. Haec alia

est metaphysica, alia physica, alia moralis, rursus alia directa, alia reflexa.

2. Certitudo metaphysica est adhaesio mentis propositioni, quae ne per divinam quidem omnipotentiam aliter esse potest, sic certitudine metaphysica quis certus est duo simul addita efficere quatuor, vel vera esse, quae in Sacra Scriptura divinisque traditionibus continentur; haec certitudo nititur principiis metaphysicis, vel fidei. Physica est adhaesio mentis propositioni, quae servato naturali rerum cursu aliter esse non potest, licet non repugnet, ut aliter se habeat, attenta Divina omnipotentia; sic certus quis est ignem comburere, quamvis per Divinam omnipotentiam aliter contingere possit. Haec nititur argumentis ex sensuum testimonio petitis. Moralis est adhaesio mentis propositioni, quae absolute aliter esse potest, prudenter tamen non creditur aliter se habere. Haec autem duplex est, alia, quae omnem excludit oppositi formidinem; sic certus sum Ciceronem, vel Demosthenem extitisse, ut ne leve quidquam contra horum virorum existentiam objici possit; altera, quae levem admittit oppositi formidinem. Certitudo haec moralis nititur conjecturis, et rationibus talibus, ut excludant omnem prudentum dubitationem. Hic porro notandum certitudinem moralem non eodem in omnibus negotiis consurgere; quo enim graviora sunt negotia, eo graviores esse debent conjecturae, et solidiores rationes, ut quis tuto agere possit. Sic enim gerere se solent prudentes homines, qui in rebus majoris ponderis, ac momenti majorem diligentiam, et curam impendunt, ne errorem committant. Hinc in jure Canonico (1) dicitur: *Ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum.*

(1) *Cap.* 3. *de elect. in* 6.

3. Certitudo directa ea est, quae oritur ex principiis propriis, et intrinsecis rem ipsam afficientibus; reflexa e contra petitur ex principiis quibusdam communibus, et generalibus rem ipsam extrinsecus tantum inspicientibus; sic judex, qui dubitat, num Titius revera homicidium commiserit, de quo accusatur, atque adeo incertus pendet, an debeat Titium absolvere, an condemnare, ex principiis reflexis, nempe ex regula generali, quae statuit neminem in dubio esse condemnandum, certo intelligit abstinendum esse a Titii condemnatione.

4. Certitudini opponitur dubium, quod communiter definitur fluctuatio mentis in utramque contradictionis partem, unde Homerus dubitantem comparat homini in aere suspenso, qui est *in medio terrae*, *simul*, *et stellantis olympi.*

5. Dividitur primo dubium in dubium juris, et dubium facti. Dubium juris est, cum dubitatur, an lex existat, vel an casus contineatur sub lege, quia ferme semper constat de

lege, ut inferius ostendetur, cum principia reflexa refutabimus. Ab aliquibus dubium juris definitur dubium de lege, vel de obligatione, vel de legitima facultate agendi, vel de valore actus; at qui dubitat de obligatione, vel de legitima facultate agendi, vel de valore actus, dubitat de existentia legis obligationem inducentis, vel actum prohibentis, vel irritantis. Dubium facti est illud, quo ambigitur, an aliquid contra legem factum sit; nec ne, v. g. utrum matrimonium fuerit initum cum consanguinea. Ex tali dubio facti plerumque oritur dubium juris, an ex. gr. illicitus sit usus conjugii.

6. Dubium juris dividitur in speculativum, et practicum. Speculativum versatur circa honestatem actionis in semetipsa consideratae; puta si dubites, an licitum sit secundum se iter agere die festo; practicum versatur circa actionem hic, et nunc ponendam attentis omnibus circumstantiis, an licita sit; puta an fas sit hic, et nunc conferre baptismum in aqua rosacea puero jam jam morituro.

7. Dividitur ulterius dubium in positivum, et negativum. Primum est, quando sunt rationes aequales, aut fere aequales pro honestate, vel turpitudine actionis. Secundum, cum nullae suppetunt, aut admodum leves hinc inde rationes.

An dubium negativum sit vere, et proprie dubium.

8. ℟. affirmative. Id constat primo ex S. Thoma, qui (1) inquit: *Intellectus noster respectu partium contradictionis se habet diversimode; quandoque enim non magis inclinatur in unam partem, quam in aliam, vel propter defectum moventium, sicut in problematibus, de quibus rationes non habemus* (en dubium, quod dicunt negativum) *vel propter apertam aequalitatem eorum, quae movent ad utramque partem* (en dubium, quod appellant positivum) *et ita est dubitantis dispositio, quae fluctuat inter duas partes contradictionis*. Constat secundo ex summo philosopho Aristotele, qui sic scribit (2): *Problemata tum ea, de quibus sunt syllogismi contrarii, quae scilicet dubitationem habent, utrum sic se habeant, an secus, propterea quod in utramque partem sunt rationes probabiles, tum ea, de quibus rationem non habemus, quam magna sint, et ardua, putant difficile esse ut afferatur ratio, quamobrem ita sit.* Id etiam ratio facile persuadet; sic enim lanx in suspenso manet, sive aequalia, sive nulla sint hinc inde momenta; sic pariter dubius extitisset Salomon, ad quamnam duarum mulierum litigantium puer pertinuisset, sive illae aequalia, sive nulla pro sua causa attulissent argumenta. Nec est quod dicas, si cui proponatur, num Turca dormiat nunc, nec ne, quandoquidem nullae sunt rationes ad alterutram partem moventes, hunc non dubitare, sed nescire; nam id verum est, si de eo agatur, qui nullum conatum adhi-

bet ad veritatem inveniendam; at si adhibita diligentia veritatem inquirat, nec tamen inveniat ob rationum ex utraque parte defectum, in dubio versari necesse est, non secus ac lanx, ut diximus, quae in aequilibrio erit, sive nullis, sive aequalibus hinc inde prematur ponderibus.

(1) *Q.* 14. *de veritate art.* 1.

(2) *Lib.* 1. *Topicorum cap.* 11.

An in conflictu rationum utrinque aequalium oriatur dubium.

9. ℟. affirmative contra Probabilistas nonnullos, qui ajunt in hoc casu dubium non oriri, sed effici tantum opiniones utrinque probabiles, quarum quamlibet liceat sequi in praxi. Probatur primo ex D. Thoma, qui (1) inquit: *Dubium est contrariarum rationum aequalitas*: Quid clarius ut demonstraret ex apparenti rationum contrariarum aequalitate dubitationem enasci. Secundo ex S. Antonino, qui (2) ait: *Dubitatio est sumendo proprie, et stricte dubitationem, prout rationes sunt aeque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem, quam ad aliam.* Tertio ex B. Angelo a Clavasio, qui (3) scribit: *Dubium, secundum Isidorum lib.* 1. *Ethimolog., est motus indifferens in utramque partem, vel dico, dubium est aequalitas rationum contrariarum secundum Philosophum.* Et sane cum objectum intellectus sit verum, non poterit intellectus dubium ponere, nisi judicet veram utramque contradictionis partem, vel unam esse altera probabiliorem; Neutrum autem judicare potest; non primum, quia, cum veritas non nisi una esse possit, nequit duo inter se pugnantia, et contradictoria aeque vera judicare; non secundum, quia, cum ex hypothesi judicet ob aequalitatem rationum utramque partem probabilem, non potest uno eodemque tempore unam altera probabiliorem existimare, alioquin sibi ipsi contradiceret.

(1) *In* 3. *sent. dist.* 17.

(2) *Prima parte tit.* 3. *cap.* 10. §. 10.

(3) *In sua summa verbo* dubium.

An liceat agere cum conscientia practice dubia.

10. ℟. non licere; quod enim fit ex conscientia practice dubia non est ex persuasione, quod actio honesta sit; *omne autem, quod non est ex fide*, seu ex persuasione, ut supra demonstravimus cap. 2.° num. 3., *peccatum est* (1). Alias probationes non addo, quia in hac re consentientes habemus Theologos omnes tum Probabilioristas, tum Probabilistas.

(1) *Ad Rom.* 14. *v.* 23.

An dubius negative liber sit ad eligendam quamlibet contradictionis partem.

11. ℟. affirmative, deposito tamen dubio; etenim obligatio quaevis non inducitur absque rationabili fundamento; ergo si quis adhibita sufficienti diligentia nullas inveniat rationes, aut non nisi admodum leves pro ea inducenda, eas tanquam scru-

pulos despicere poterit, *quia non habent causam rationabilem dubitandi*, inquit Philosophus. Hinc Innocentius tertius de eo, qui non probabili, ac prudenti dubitatione, sed levi, ac temeraria dubitat de matrimonii sui validate, ideoque an debitum reddere, et petere possit, ita statuit (1): *Conscientia levis et temerariae credulitatis explosa non solum reddere, sed etiam exigere debitum conjugale posse.*

(1) *Cap. 44. de sent. excom.*

Quomodo dubium deponendum sit.

12. ℟. deponendum esse eo modo, quo diximus cap. 2. num. 24. deponendam esse conscientiam vincibiliter errantem.

An in dubio tutiori parti sit adhaerendum.

13. ℟. praemittendum esse propositionem tutam eam dici, quae favet legi; non tutam, vel minus tutam, quae favet libertati; ut si quaeratur an liceat pingere die festo, opinio negans dicitur tuta, quia eam sequens nulli objicitur discrimini violandi legem; contra opinio affirmans licitum esse pingere, dicitur non tuta, quia eam sequens in praxi periculo violandi legem sese exponit; usus tamen obtinuit, ut opinio favens legi vocetur tutior, contraria minus tuta.

Definiri quoque potest opinio tutior, quae a quovis peccandi periculo, etiam materiali removet; quae vero dictum periculum non excludit, minus tuta. His praemissis.

14. ℟. tutiori adhaerendum esse, idque in primis ostenditur sanctorum auctoritate. S. Augustinus (1) inquit: *Si quis dubium haberet in parte Donati non recte accipi Baptismum, quem in catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta praeponeret.* Ubi notanda sunt ea verba, *vel eo solo*, perinde ac si diceret, licet quaevis alia causa deesset, ea sola satis est, ut quis revera peccet, si in dubio de re ad salutem pertinente certis incerta praeponat, unde nil mirum si sic concludat (2): *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitat certum esse peccatum?*

(1) *Lib. 1. contra Donat. cap. 3.*

(2) *Loco citato cap. 5.*

S. Bonaventura sic scribit (1): *Quaeritur de illo, qui dubitat de aliquo, utrum sit simonia, vel non, eo quod quidam Jurisperiti dicunt esse simoniam, et quidam non. Quid ergo faciendum est, cum ignorat? ad quod respondendum, quod abstinendum est ab hujusmodi contractu, ne se committat discrimini.*

(1) *P. 2. q. 102. summae.*

S. Thomas (1) haec habet: *Qui aliquid committit, vel omittit, de quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter discrimini se committens.* Id ipsum docet aliis in locis (2).

(1) *In supplemento q. 6. art. 4. ad 3.*

(2) *Quodlibeto 8. art. 13., et quodlib. 9. art. 15.*

S. Antoninus: *In his* (1) ait, *quae concernunt forum conscientiae, in dubio via tutior est eligenda.*

(1) *Part.* 3.ª *tit.* 5. *cap.* 2.

His addere possem Alexandrum de Ales, Scotum, Gersonium, Adrianum, aliosque innumeros scribentes in dubiis tutiorem partem esse eligendam, sed sufficiat audire Ioannem Morinum, qui testatur (1) ante initium Theologiae scholasticae SS. Patres *in eo studio se tantum exercuisse, ut sacerdotes docerent in casu dubio semper esse tutiorem partem eligendam*; et Vasquezium, qui scribit (2), postquam Theologia scholastica introducta est, *neminem se ex scriptoribus scholasticis invenisse, qui asserat in dubio sive juris, sive facti tutius eligendum non esse.*

(1) *Lib.* 1. *de poenitentia cap.* 5.
(2) *Disput.* 65. *cap.* 3.

Id ipsum ostendi quoque potest ex decretis summorum Pontificum. Eugenius summus Pontifex sic in rem nostram (1) loquitur: *In his, quae dubia sunt, quod certius existimamus tenere debemus.* Clemens tertius (2): *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem.* Innocentius tertius (3): *In dubiis via est eligenda tutior.* Demum, ut alios omittam, Clemens quintus (4): *In his, quae animae salutem respiciunt ad evitandos graves remorsus conscientiae, pars securior est tenenda.*

(1) *Cap.* 3. *de sponsalibus.*
(2) *Cap.* 12. *de homicidio.*
(3) *Cap.* 5. *de cler. excom.*
(4) *Clem. prima de verb. signif.*

15. Haec breviter in medium protulimus, ut morem gereremus plerisque Theologis; verum Probabilistae saniores hisce argumentis, ne leviter quidem, commoventur; vel enim agitur de dubio practico, et in hoc dubio tutiori parti adhaerendum esse, fatentur ipsi Probabilistae, vel agitur de dubio speculativo; at hoc dubium deponi posse in praxi per principia reflexa ipsi docent. Si igitur demonstraremus principia Probabilistarum reflexa, alia falsa esse, alia Probabilioristis potius favere, quam Probabilistis, solida habebitur eorum confutatio. Ne quid tamen praetermittere videamur, quasdam objectiones, in quibus maxime fidunt, diluemus.

Obj. 1.° Sicut revelatio est regula credendorum, ita lex regula agendorum; sed dubius de revelatione non tenetur credere; ergo dubius de lege non tenetur eam implere.

16. ℟. ex hoc argumento confirmari nostram propositionem. Nam dubius de revelatione non tenetur credere, quia tutius est non credere, quam credere; etenim si credat exponit se periculo erroris in fide, si non credat, nulli se objicit periculo; cum nemo teneatur credere, nisi Ecclesia aliquod proposuerit, ut credendum. At dubius de lege si eam non implet, exponit se periculo eam violandi.

Objices 2.° Conjux dubitans, an matrimonium validum sit, tenetur

reddere, non vero petere debitum (1). Ergo in dubio non obligamur sequi sententiam tutiorem.

(1) *Cap.* Inquisitioni 44. *de sent. excom.*

17. ℟. Pontificem in laudato capitulo secutum esse sententiam tutiorem; quia tutius est reddere, quam non reddere; etenim reddendo exponitur conjux violandae castitatis periculo, non reddendo, exponitur periculo injustitiae; jam vero injustitia est majus peccatum, quam peccatum contra castitatem; tutius autem est eligere eam partem, in qua minus peccatum deprehenditur.

Instabis. Pontifex in alio capitulo (1) obligavit conjugem dubitantem de morte prioris conjugis ad reddendum debitum; porro hoc tutius non est; quia conjux dubitans de morte prioris conjugis non solum exponitur periculo violandae castitatis, verum etiam justitiae adversus priorem conjugem forte adhuc existentem reddendo debitum.

(1) *Capit.* 2. *de secundis nuptiis.*

18. ℟. si uterque dubitat, neutrum posse petere, et reddere debitum propter rationem in objectione allatam; at si unus tantum dubitat, ut est casus praedicti capituli, teneri reddere debitum, quia nemo dubitans potest alterum privare sua possessione, alioquin, si id liceret, innumera existerent mala in Republica.

Instabis. Pontifex permisit etiam utrique dubitanti de sua coeundi potentia, ut possint petere, et reddere debitum (1). Ergo hac in re non est secutus sententiam tutiorem; tutius enim erat, ut uterque conjux abstineret a petitione, et redditione, ne se exponerent periculo fornicationis.

(1) *Cap.* laudabilem 5. *de frig.*, *et malef.*

19. ℟. in hoc singulari casu licere utrique dubitanti, an adesset impotentiae impedimentum, petere, et reddere debitum; quia cum sola veritas homini in suis actionibus proposita sit, hinc licebit homini id, quod unicum medium est inveniendae veritatis; sic licet carcere detentum in dubio de crimine commisso torquere, quamvis hic forte sit innocens, et se se objicere periculo torquendi innocentem; et sic pariter licebit conjugibus dubitantibus de valore matrimonii ob impotentiae impedimentum copulam habere, quia ejusmodi copula est medium unicum de se conducens ad inquirendam veritatem, sicut tortura est quandoque unica via ad cognosendum, num scilicet carcere detentus sit reus, nec ne. Si cui haec responsio non placeat, dici poterit Deum in hac re dispensasse, atque hujus dispensationis argumentum peti ex constanti, et perpetuo Ecclesiae usu, quae solet conjugibus dubitantibus de sua coeundi potentia concedere, ut per triennium petant, et reddant debitum.

CAPUT VI.

De principiis reflexis Probabilistarum.

SUMMARIA

1. *Referuntur principia Probabilistarum reflexa.*
2. *Principia reflexa generatim refutantur.*
3. *Principium hoc*: Qnoties utrinque probabiliter disputatur, an lex existat, lex non est sufficienter promulgata; *ideoque non obligat*; *falso laborat supposito.*
4. *Principium alterum*: In dubio melior est conditio possidentis, *favet Probabilioristis*, *non vero Probabilistis.*
5. *Refellitur Van-espen*, *qui docuit eum*, *qui bona fide rem aliquam possidet*, *si inde oriatur dubium*, *an sua sit*, *an aliena*, *non posse continuare possessionem*, *sed debere eam pro rata dubii dividere.*
6. *Principium tertium*: Prudenter agit, qui secuudum prudentum judicium operatur, *Probabilioristis favet*, *non Probabilistis.*
7. *Principium quartum*: Cum jura partium sunt obscura, reo favendum est potius, quam actori, *Probabilioristis quoque favet*, *non Probabilistis.*
8. *Principium quintum*: Dubia benigniorem in partem sunt interpretanda, *favet pariter Probabilioristis*, *non Probabilistis.*
9. *Principium hoc*: Lex dubia nullam parere potest obligationem, *Probabilistis non prodest.*
10. *Principium alterum*: 'n dubio de lege lex invincibiliter ignoratur *falsum est.*
11. *Probabilistae nullum pro sua causa probabile habent argumentum.*

1. Quatuor sunt principia reflexa, quae primo a Probabilistis procusa sunt. Primum, *quando quis adhibita sufficienti diligentia non potest fieri moraliter certus de honestate suae actionis ob rationes utrinque aequales*, *lex non est sufficienter promulgata*, ergo non obligat. Ex quo hoc alterum deducunt; ergo *cum adhibita sufficienti diligentia non constat de lege*, *lex ignoratur invincibiliter.* En secundum principium reflexum. Ergo *cum non constat de lege*, *tum possidet libertas*: en tertium principium. Ergo *cum lex incerta est*, *et possidet libertas*, *prudenter agit*, *qui sequitur*, *quam voluerit partem*, en quartum principium. Audiamus in hac re Lacroix (1): *Lex prohibens pingere die festo non est certa*, *nec nobis satis promulgata* (en primum): *Hinc eam invincibiliter ignoro* (en secundum): *Et ideo contra eam possidet libertas*: (en tertium). *Ergo hic et nunc prudenter judico licere pingere* (en quartum); demonstrabimus igitur illud primum principium, ex quo cetera deducuntur, esse falsissimum, et sic ex se ipsis corruent reliqua, quae ex iisdem inferuntur.

(1) *N.* 312.

2. Antequam tamen id demonstretur, notandum erit principia omnia, ex quibus regula desumitur de honestate actionis debere esse certa; secus enim conclusiones ex iis deductae nutabunt, et erunt incertae. Id ipsimet Probabilistae fatentur, et prae ceteris Lacroix (1); porro principia reflexa Probabilistarum revera incerta sunt; ut enim certa essent, deberent omnino evertere omnia rationum momenta, quae in contrarium afferuntur, quod sane Probabilistae nunquam praestitere, nec praestabunt unquam. Adde sententiam Probabilistarum esse saltem probabilem, ut concedunt multi Probabilistae cum Castropalao (2); ex quo manifeste sequitur eorum principia reflexa non esse moraliter certa, cum scribat Lacroix (3) opiniones, quas aliqui negant, alii affirmant, non esse certo probabiles. Cum itaque principia reflexa Probabilistarum a tot tantisque numero, et auctoritate gravissimis Doctoribus negentur esse certo probabilia; immo ut aperte falsa a Probabilioristis improbentur, conclusiones inde deductae certae non erunt.

(1) *Lib.* 1. *de conscientia n.* 304.
(2) *Disput.* 2. *part.* 2. *n.* 2.
(3) *Loco citato n.* 125.

Deinde omnes Patres, omnes veteres Theologi scriptores, quorum aliquos supra citavimus per quindecim fere secula hujusmodi principia ignorarunt. Ergo haec principia reflexa non possunt esse regula honestatis actionum. Impossibile enim est, ut per tam longum tempus viri doctissimi et sapientissimi, qui quovis seculo floruerunt, actionum suarum regulam ignoraverint. His praemissis.

3. Venio ad demonstrandum illud primum principium: *Quando post adhibitam diligentiam non constat de lege, lex non est sufficienter promulgata*, et ideo non obligat, falso laborare supposito. Quod ut intelligatur, erit advertendum, aliter esse loquendum de promulgatione legis, et aliter de notitia ipsius legis. Promulgatio legis, utique est omnino necessaria ad hoc, ut lex obliget; sed necesse non est, ut legis notitia ad omnes perveniat; alioquin nullae fere essent leges positivae, praesertim humanae, quae obligarent; quia ipsae etiam post sufficientem promulgationem ab aliquo semper ignorantur, id nec ipsi negant Probabilistae. Vide tom. 1. pag. 223. num. 1. Hoc autem posito dico falli Probabilistas, dum supponunt legem non esse sufficienter promulgatam; etenim tum leges positivae divinae, tum leges positivae humanae, tum etiam lex naturalis, sunt certo sufficienter promulgatae; lex enim Divina vetus promulgata fuit in monte Sinai, lex Divina nova in die Pentecostes, et deinde per Apostolos; et praeterea, tam vetus, quam nova extat in libris Sacrae Scripturae; leges autem positivae humanae semper aliquo signo externo promulgan-

tur; affiguntur enim quibusdam locis publicis; lex vero naturalis est certe quoque promulgata, cum illam Deus impresserit in cordibus hominum; ergo de promulgatione legis dubitari nunquam potest; licet dubitari possit, an casus aliquis particularis sub lege contineatur, sic, ut aliquod exemplum afferam, dum inter Theologos dubitatur, num contractus trinus sit usurarius, dubium non est, an usura vetita sit, sed solum quaestio est, an contractus trinus contineatur sub lege usuram vetante. Ex his sic concludo.

Cum constat de lege, et solum dubitatur de legis excusatione, ex principiis adversariorum lex obligat; atqui quando rationes sunt utrinque probabiles, constat de lege, et solum dubitatur de legis excusatione, ut probatum est; ergo in hoc casu lex obligat. Ruit igitur illud primum principium Probabilistarum; hoc autem labente cetera quoque super ipsum fundata a se ipsis necessario corruunt. Inde enim fit, ut sit falsissimum legem ignorari invincibiliter, quia constat de lege; falsum pariter, quod possideat libertas, quia constat de lege; falsum denique, quod prudenter operetur, qui partem sequitur, quamcunque ipsi libuerit, quia constat de lege, contra quam nemo prudens agit. Sed juvat principia haec reflexa magis magisque prosternere una cum aliis principiis, quae subinde Probabilistae addiderunt. Omnia haec principia sex sunt, quorum quatuor sunt vera, sed Probabilioristis, non vero Probabilistis favent, quintum Probabilistis non prodest; sextum est falsum. Vera haec sunt.

Primum: in dubio *Melior est conditio possidentis.*

Secundum: *Prudenter agit, qui secundum prudentum judicium operatur.*

Tertium: *Cum partium jura sunt obscura, reo favendum est potius, quam actori.*

Quartum: *Dubia benigniorem in partem sunt interpretanda.*

Quintum: *Lex dubia nullam parere potest obligationem*, Probabilistas non juvat.

Sextum: *Cum lex est dubia, ignorantia invincibilis excusat a peccato*, falsum est.

4. Dico igitur primo illud primum principium; *in dubio melior est conditio possidentis* favere probabiliorismo, non vero probabilismo. Priusquam autem id demonstremus, erit animadvertendum dissidere inter se Probabilistas circa hoc principium; alii enim volunt locum habere tantum in materia justitiae, uti Vasquez, alii in quacunque materia, uti Lacroix, alii demum, quorum plures refert idem Lacroix, ne in materia quidem justitiae admittunt, sed docent possessorem in dubio teneri dividere pro rata dubii rem, de qua est dubium cum alio contendente. Itaque penes Probabilistas principium hoc non est certum; ergo

esse non potest regula de honestate actionis; nam ex confesso adversariorum principium incertum non potest esse regula humanarum actionum. Hoc praemisso demonstrandum superest illud vulgare adagium: *In dubio melior est conditio possidentis*, Probabilioristis, non autem Probabilistis favere. Ideo enim Probabilistae illud sibi favere contendunt, quia, ut ipsi dicunt, in dubio de lege possidet libertas; si igitur nos probaverimus possessionem stare pro lege, non vero pro libertate, jam ostensum erit nobis potius, quam illis favere hoc principium. Hoc autem sic probatur. Quoties constat de lege, et solum dubitatur, an casus sub lege comprehendatur, tunc ex confesso adversariorum lex possidet, non libertas; docent enim, quod si dubitetur, an media nox Sabbati in Dominicam pulsaverit, nec ne, non posse carnes comedi, quia constat de lege carnem vetante die Sabbati; et ideo cum lex sit certa, lex tantum possidet, non libertas; atqui, ut superius probatum est, de lege semper constat, et solum dubitatur, an casus in lege contineatur; ergo in dubio de obligatione legis lex ipsa possidet, non libertas. Sed demus etiam adversariis legem particularem dubiam esse, certa tamen, et constans semper est lex universalis Divina, et naturalis vetans, ne quis exponat se peccandi periculo. Ergo, etiam dubio supposito de lege speciali, nunquam tamen possidere potest libertas, sed sola lex saltem universalis. Et re quidem vera quod non possideat libertas, hoc alio argumento demonstrari potest. Haec libertatis possessio sumi potest, vel pro physica, vel pro morali potestate agendi aliquid; porro hic non agitur de prima potestate, quandoquidem etiamsi lex certa sit, ea non amittitur; potest enim homo, si vult, agere contra legem certam; ergo solum quaestio est de potestate morali, seu libertate morali ad agendum; jam vero libertas moralis nihil aliud est, quam immunitas a lege; ergo eo ipso quo dubitatur de lege, dubitatur etiam de libertate morali, proindeque cum haec libertas certa non sit, in possessione non erit. Quod si illud axioma intelligatur, prout a jurisconsultis intelligitur, nobis etiam tantum favet. Etenim jus civile praefert in dubio possessorem, non quia intendat favere libertati, sed quia, *cum caritas non cogitet malum* (1), et aliunde nemo praesumatur malus, nisi probetur, prudenter judicat possessorem justo titulo iniisse possessionem, licet hic et nunc de hoc titulo non constet; et sic sententia judicis, ut patet, est probabilior, et tutior; quia magis prodest bono publico; quot enim incommoda in Republica, si possessores bonae fidei ob dubium superveniens essent a possessione deturbandi?

(1) 1. *Corinth.* 13. *v.* 15.

5. Van-Espen in expositione regu-

lae juris: *In pari delicto, vel causa melior est conditio possidentis*, censet eum, qui bona fide possidet rem aliquam, non posse in dubio, an sua sit, vel aliena, continuare possessionem, sed eam esse pro rata dubii dividendam. Verum haec sententia nobis non arridet; enim vero forum externum, et internum pari gradu currunt, nisi forum externum innitatur praesumtioni; porro judex, dum permittit possessori continuationem possessionis, non innititur praesumtioni; non enim praesumit possessorem bonae fidei habere jus undequaque certum, sed innititur ipsi juri concedenti continuationem possessionis possessori, ut patet tum ex regula jam citata juris, tum ex alio loco (1). Et sane si valeret ratio Van-Espen, nempe regulam jam citatam juris solum habere locum pro foro externo, omnes leges possemus hoc modo interpretari, et sic non amplius obligarent in conscientia, quod nemo unus inter saniores Theologos admittit.

(1) §. 4. *instit. de interdict.*

6. Dico secundo, hoc alterum principium: *Prudenter agit, qui secundum prudentum judicium operatur*, favere quoque Probabilioristis. Etenim sic scribit Plato (1): *Si haberi non possit in his rebus certitudo, illud oportet sequi, quod omnibus perpensis probabilius videtur, et secundum hoc nostrae vitae cursum dirigere, ita homo sapiens facere debet.* Et Cicero (2): *Bene praecipiunt*, inquit, *qui vetant quidquam agere quod dubites, aequum sit, an iniquum.* Ergo si sapiens est, ideoque prudens, qui probabiliorismum sequitur, insipiens, et imprudens, qui Probabilismum. Et sane qui dubitat, an actio aliqua honesta sit, eo ipso dubitat, an ii, qui eam docent, et sequuntur, prudentes sint; imo cum probabilius sit opinionem minus probabilem esse falsam, probabilius quoque erit Probabilistas imprudentes esse. Deinde cum prudentia sit agendorum, fugiendorumque regula; sicut imprudens dicitur nauta, qui mare ingreditur eo tempore, quo aeque probabile est, imo probabilius navem perituram esse; multo magis imprudens erit, qui in rebus ad aeternam salutem pertinentibus certis incerta praeponit. Ex his sequitur Probabilioristas prudentiam sectari, ideoque allatum principium ipsis favere, non Probabilistis.

(1) *In Phaedone.*

(2) *Lib. 1. de officiis.*

7. Dico tertio hoc principium: *Cum jura partium sunt obscura, reo favendum est potius, quam actori*, Probabilioristis favere, non vero Probabilistis. Vel enim agitur de causa civili, vel de criminali; in causa civili confunditur reus cum illo, qui rem possidet; nam reus a re, quae petitur, nuncupatur (1); quamobrem dum jus civile praescribit favendum esse potius reo, quam actori, idem prorsus est, ac si praescriberet favendum esse ei, qui est

in possessione rei suae; sed hoc, ut jam probavimus, est probabilius et tutius; ergo illud principium in causa civili Probabilioristis, non Probabilistis favet. In causa autem criminali idem quoque est manifestum. Nam quando sunt rationes hinc inde aequales sive pro innocentia, sive pro improbitate alicujus, ex una parte adest periculum absolvendi sontem, ex altera vero damnandi innocentem; jam vero majus invenitur periculum in damnatione innocentis, quam in absolutione facinorosi; damnatio quippe innocentis per se mala et injusta est; non autem per se malum est, immo quibusdam in casibus quandoque honestum, reum absolvere; quare in jure civili (2) dicitur: *Satius est impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem damnare.* Ergo dum judex absolvit eum, de quo aequales sunt rationes, an sons sit, an innocens, tutiorem partem sequitur, quia eligit eam partem, in qua minus est periculi. Hinc illa regula 62.: *In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius*; ideoque illud principium nostram potius, quam aliorum sententiam confirmat.

(1) *Cap.* Forus 10. *de verb. sign.*

(2) *L.* Absentem 5. *de poenis.*

8. Dico quarto principium: *Dubia in benigniorem partem sunt interpretanda*, favere Probabilioristis, non vero Probabilistis. Enim vero in dubio de probitate, vel improbitate proximi erit abstinendum a judicio de ejus improbitate juxta illud Christi Domini (1): *Nolite judicare, et non judicabimini, nolite condemnare, et non condemnabimini*; in quo nullum est periculum erroris, vel injustitiae, quod est, dubia negative in mitiorem partem interpretari. Quod si velimus juxta plures in eo dubio judicare, tunc proximum potius probum, quam improbum judicare debemus, cum hoc sit tutius; quia si innocentem damnamus, injustitiam committimus, si reum absolvimus, in errorem incidimus; jam vero tutius est sese exponere erroris potius, quam injustitiae periculo; quia dum in errorem incidimus, nemini, dum innocentem damnamus, proximo injuriam facimus (2).

(1) *Matth. cap.* 7. *v.* 1.

(2) *S.Thomas* 2. 2. *q.* 60. *art.* 4.

9. Dico quinto principium: *Lex dubia nullam parit obligationem*, Probabilistis non prodesse. Nam primo de lege semper constat, et solum dubitatur, an casus particularis sub lege contineatur, ut supra probatum est; porro ex principiis adversariorum lex constans, et certa, certam parit obligationem; deinde dato etiam, et non concesso, quod dubitetur de lege particulari, extat tamen semper lex generalis vetans, ne quis se periculo peccandi exponat; unde vi legis hujus lex dubia certam parit obligationem. Si dicas consequens esse nullum inveniri inter legem certam, et dubiam di-

scrimen; ambae enim aequaliter obligabunt, responderi posset retorquendo argumentum: si lex dubia non obliget, nullum futurum discrimen inter legem dubiam, et falsam; deinde addimus, ut jam dictum est, legem dubiam non parere obligationem certam vi sua, sed vi legis generalis vetantis, ne quis se exponat discrimini peccandi.

10. Dico sexto principium: *In dubio de lege adesse ignorantiam invincibilem* eximentem a peccato, esse falsissimum. Etenim ex principiis adversariorum quoties lex constat, et solum dubitatur de legis obligatione, tunc ex adversariorum sententia nulla est legis ignorantia invincibilis, quae eximat a peccato; atqui, ut probavimus, semper constat de lege, et solum dubitari potest, an lex in aliquo particulari casu obliget; ergo nulla unquam esse potest legis ignorantia invincibilis, quae a peccato excuset; immo etiamsi concederemus dubiam esse posse legem particularem, neque tamen in hoc dubio ulla fingi potest ignorantia invincibilis, quae eximat a peccato; etenim qui dubitat, an lex existat, habet eo ipso notitiam aliquam de lege, si non certam, saltem probabilem; sic omnes damnant eum venatorem, qui dubitans, an fera sit, an homo existens in dumeto, sagittam emittit, si inde occidat hominem: quorsum ita? nisi quia, si non certam, saltem probabilem homicidii notionem habebat. Deinde si in dubio de lege post adhibitam sufficientem diligentiam ad pellendum dubium, quod tamen averti non potuit, adesset ignorantia invincibilis, poterit conjux dubitans de valore matrimonii, non solum reddere, sed petere debitum, quod tamen repugnat juri canonico (1).

(1) *Cap.* Inquisitioni 44. *de sent. excom. cap.* 2. *de secundis nuptiis.*

11. Dirutis hac ratione omnibus principiis reflexis Probabilistarum sic concludimus. Nullam habent Probabilistae, ut ipsi fatentur, probabilitatem directam, sed solum tenent probabilitatem reflexam, quae tota ex eorum confessione principiis reflexis innititur supra memoratis; atqui haec probabilitas reflexa mera chimera est, quia principia reflexa, quibus tota superstruitur, alia sunt evidenter falsa, alia nobis solummodo favent, ut hactenus ostensum est; ergo Probabilistae nullo ne probabili quidem argumento pro sua causa nituntur.

CAPUT VII.

De opinione probabili.

SUMMARIA.

1. *Opinio definitur.*
2. *Alia est probabilis intrinsece, alia extrinsece.*
3. *Alia objective, alia subjective probabilis.*
4. *Nulla propositio in se probabilis est.*

5. *Opinio alia probabilior, alia tutior.*
6. *Probabilior esse potest minus tuta, sicut et probabilis tutior.*
7. *Non licet sequi opinionem minus probabilem faventem libertati in concursu probabilioris faventis legi; idque imprimis probatur auctoritate.*
8. *Probatur quoque ratione.*
9. *In conflictu duarum aeque probabilium tutior tenenda est.*
10. *Solvuntur objectiones num. 10., 11., 12., 13., 14.*
15. *Licet sequi opinionem minus tutam, sed probabiliorem in conspectu tutioris, sed minus probabilis; idque ostenditur primo auctoritate.*
16. *Ostenditur secundo ratione. Solvuntur objectiones numeris 17. 18. 19. 20.*
21. *Probatur demum ex damnatione propositionis.*
22. *Solvuntur objectiones numeris 22. 23.*
24. *Discrimen inter Probabilistam, Tutioristam, et Probabilioristam.*
25. *Probabiliorista legem implet.*
26. *Admissa sententia Tutioristarum prohibendi omnes libri Theologiae moralis.*
27. *Ut quis tuto sequi possit sententiam probabiliorem relicta minus probabili legi faventi, levis excessus primae supra secundam non sufficit.*
28. *Confessarius interrogatus respondere non potest secundum opinionem minus probabilem, minusque tutam, neque secundum tutiorem, sed solum secundum sententiam sibi subjective probabiliorem.*
29. *Nemo sequi potest opinionem sibi minus probabilem, quamvis aliis probabiliorem.*
30. *Unius Doctoris auctoritas non sufficit ad reddendam opinionem in praxi tutam.*
31. *Indicantur Auctores, qui sunt in opinionum delectu praeferendi.*
32. *Regulae praescribuntur iis, qui sunt dubii circa aliquam quaestionem.*
33. *Confessarius absolvere non potest eum, qui sequitur opinionem minus probabilem.*
34. *Absolvere tamen potest, et debet eum, qui sectatur opinionem probabiliorem, sive sit vir doctus, sive ignarus.*

1. Opinio definitur assensus mentis uni contradictionis parti cum formidine alterius. Haec definitio eruitur ex S. Thoma qui (1) inquit: *Opinio significat actum intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius*; cum enim objectum intellectus sit verum, eo ipso, quo assentitur uni parti, censet eam partem veram esse, quamvis aliquam formidinem habeat, ne fortasse falsa sit.

(1) 1. *part. q.* 79. *art.* 9. *ad quartum.*

2. Dividitur opinio 1.° in probabilem intrinsece, et probabilem extrinsece. Prima ea dicitur, quae nititur ratione petita, vel a natura, proprietatibus, causis rei, vel testimonio sacrae Scripturae. Secunda

nititur Sapientum auctoritate. Haec tamen extrinseca probabilitas ad intrinsecam reducitur; non enim nobis aliquid extrinsece probabile videtur, nisi quia existimamus Doctores gravibus rationibus motos fuisse ad idem sentiendum.

3. Dividitur 2.° in probabilem objective, et probabilem subjective. Objective probabilis illa est, quae pluribus, non vero eam examinanti, ut talis videtur. Subjective probabilis est ea, quam quisque suo judicio probat, eidemque ut verae assentitur; tales sunt propositiones, quae in scholis circumferuntur, quae iis, a quibus approbantur, sunt subjective probabiles, aliis vero objective.

4. Porro si accurate loqui velimus, nulla propositio in se ipsa probabilis est; vel enim legi est consentanea, et tunc est vera, vel dissentanea, et est falsa. Dicitur ergo aliqua propositio probabilis relate ad nostram conscientiam, quando scilicet ejus veritas probabilibus tantum argumentis nobis innotescit. Id autem ex rei ignoratione oritur, unde Tertullianus (1): *Varietas opinionum*, inquit, *venit de ignorantia veritatis*.

(1) *Lib.* 2. *ad nationes cap.* 11.

5. Opinio rursus alia est probabilior, alia tutior. Probabilior ea est, quae spectatis rationum pondere, et auctoritatis gravitate verosimilior apparet. Opinio tutior ea dicitur, quae removet a periculo peccandi; unde prima libertati favet, secunda vero legi.

6. Hinc saepe contingit, ut opinio probabilior sit minus tuta, et minus probabilis sit tutior; sic sententia quae docet beneficiarium habentem bona patrimonialia posse ex redditibus Ecclesiasticis vivere, secundum nos est probabilior, non tamen tutior, quia minus removet a peccato; opinio vero contraria est quidem tutior, quia nulli peccandi periculo eam sequens sese objicit, non tamen probabilior. At opinio, quae docet benificiarium teneri ex justitia redditus suae congruae sustentationi superfluos in usus pios errogare tutior est, et nobis probabilior; ideoque ejus contraria erit minus tuta, et minus probabilis.

Hisce expositis triplex sese offert quaestio. Primo an liceat sequi opinionem minus probabilem libertati faventem in concursu alterius opinionis probabilioris stantis pro lege. Secundo an liceat saltem sequi opinionem libertati faventem, cum opposita, quae stat pro lege, est aeque probabilis. Tertio demum, an liceat sequi opinionem libertati faventem, cum ejus contraria legi favens, est minus probabilis.

7. Dico primo: non licet sequi opinionem minus probabilem faventem libertati in concursu opinionis probabilioris stantis pro lege. Id paucis demonstratur ex Patribus, et ex ratione. S. Augustinus (1) hanc regulam assignat illi, qui vult rectum judicium ferre de scripturis canonicis; *ut eas*, inquit, *quae ab omnibus*

accipiuntur Ecclesiis Catholicis praeponat eis, quas quaedam non accipiunt. In eis vero, quae non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas, quas plures gravioresque accipiunt eis, quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiae tenent. Vides Augustinum fuisse amplexum eam sententiam, quae habet plures, et graviores auctoritates.

(1) *Lib.* 2. *de Doctrina Christ. cap.* 8.

S. Chrysostomus (1): *Si vestimentum* inquit *emturus unum gyras negotiatorem, et alterum, et ubi meliores vestes inveneris, et pretio viliori ab illo comparas; an non oportet populum circuire omnes doctores, et inquirere, ubi sincera Christi veritas venundatur, et ubi corrupta, et veriorem eligere plusquam vestimentum?* Chrysostomo ergo teste populus tenetur veriorem sententiam eligere.

(1) *Hom.* 44. *in Matthaeum, vel quivis alius.*

Mitto alios Patres, satis erit animadvertere concilium generale Viennense sub Clemente V. celebratum recitatis duabus oppositis de gratiae, virtutumque infusione in Baptismate sententiis, elegisse *opinionem secundam, quae dixit tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, et virtutes, tamquam probabiliorem, et dictis Sanctorum, et modernorum Theologorum magis consonam, et concordem.* Sensit ergo Concilium non posse quemlibet sequi opinionem minus probabilem, minusque tutam in conspectu tutioris. et probabilioris; alioquin non potuisset obligare ad id tenendum, quod ipsum tamquam probabilius duxit eligendum.

8. Ratio quoque suffragatur: ut quis licite operetur, debet esse moraliter certus de honestate actionis; id docent, et ipsi Probabilistae; atqui ille, qui sequitur opinionem minus probabilem faventem libertati relicta probabiliori stante pro lege, non potest fieri moraliter certus de actionis honestate, neque ex principiis directis, neque ex reflexis; non ex directis; nam ex confesso adversariorum ex sententia minus probabili non potest erui conclusio moraliter certa; non ex reflexis, omni siquidem argumentorum genere superius demonstravimus ipsis Probabilistis nocere potius, quam prodesse. Ergo etc.

Deinde pugnantia loquuntur Probabilistae. Ut enim quis licite agat quidquam, existimare debet id sibi licere; porro is, cui probabilius est quidpiam licitum non esse, jam existimat illud revera sibi licitum non esse; ergo non potest judicio probabili statuere illud ipsum licere.

9. Dico secundo in conflictu duarum opinionum aeque probabilium teneri quemquam sequi sententiam tutiorem. Nam ex opinionibus aeque probabilibus oritur dubium, ut superius ostensum est, dubium hoc deponi non potest per principia reflexa, ut quoque demonstravimus; in dubio autem, quod deponi non potest per

13. R. doctrinam Arianorum fere universum orbem occupasse, ut testatur Hieronymus, et tamen falsam esse, utpote ab Ecclesia damnatam; non ergo sententia late diffusa est nota veritatis. Deinde falsum est Probabilismum totum ferme orbem invasisse, ut ostendit Patuzzi in sua Theologia.

Si ita est, inquies, debuit ergo Probabilistarum sententia ita late diffusa ab Ecclesia damnari, sicuti damnavit Arianismum.

14. R. nostrum non esse inquirere in causas, ob quas hactenus Ecclesia Probabilismum non condemnaverit; dicimus solum inde peti non posse argumentum veritatis; alioquin verae essent illae opiniones Probabilistarum ita diffusae, ac Probabilismus, quas postea Ecclesia damnavit.

Ergo, addes, peccaverunt omnes Auctores pietate et doctrina insignes, qui Probabilismum secuti sunt.

Respondet Gonzakez his verbis: *Quamvis sententiam Probabilistarum speculative secuti sint multi bona fide, quando res erat in alio statu; at in statu praesenti jam non erit facile, quod alii inculpate, et bona fide illam teneant, ac doceant. Antea non affulgebat illa lux, quae postea orta est ex pontificiis decretis, neque patefactae ingentes aequivocationes, fallaciae, et falsae suppositiones, quibus unice nititur Probabilismus. Quae omnia sunt examinanda, nisi quis velit ignorantia voluntaria laborare, quod non contingeret sine gravissimo peccato, quod esset causa plurium aliorum peccatorum, et suorum, et alienorum.*

15. Dico tertio. Licet sequi opinionem probabiliorem stantem pro libertate in conflictu tutioris, sed minus probabilis stantis pro lege. Ad licite operandum non requiritur Metaphysica, vel physica certitudo de honestate actionis, sed sufficit moralis; atqui quando opinio minus tuta est vere probabilior, tunc invenitur certitudo moralis de honestate actionis; ergo etc.

Major est certa; alioquin ex hoc mundo esset exeundum, cum raro admodum haberi possit certitudo metaphysica, vel physica. Minor autem sic ostenditur, et 1.° ex S. Augustino, qui (1) excusat judicem, qui damnaverat innocentem, juridice ut nocentem convictum; *Quia non haec facit sapiens judex nocendi voluntate, sed necessitate nesciendi; et tamen quia cogit humana societas, necessitate etiam judicandi, haec est ergo, quam diximus, miseria certe hominis, etsi non malitia sapientis.*

(1) *Lib. 10. de civit. Dei cap. 6.*

2. Ex S. Thoma, qui inquit (1): *Certitudo non est similiter quaerenda in omni materia; in actibus enim humanis super quibus constituuntur judicia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia, et variabilia, et ideo sufficit probabilis certitudo, quae in pluribus veritatem attingat; etsi in paucioribus a veritate deficiat.*

(1) 2. 2. *q.* 70. *art.* 2.

3.° Ex S. Antonino, qui (1) postquam cum Gerzone triplicem distinxit certitudinem, supernaturalem nempe, naturalem, et moralem, docet non solum hanc ultimam sufficere, sed etiam explicat, unde proveniat inquiens: *Non consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis grossis, et figuralibus magis ad unam partem, quam ad aliam se habentibus. Dicitur autem probabile, quod pluribus, et maxime sapientibus apparet verum. Ex iis igitur sequitur quod in humanis agibilibus sufficit talis certitudo, quae non semper omnes scrupulos abjiciat.*

(1) 1. *p. tit.* 5. *cap.* 10. §. 10.

4.° Ex Seneca, qui sic (1) scribit: *Nunquam expectamus nos certissimam rerum comprehensionem, quoniam in arduo est veri exploratio, sed eo ire, quo ducitur similitudo. Omne hac via procedit officium: sic serimus, sic navigamus, sic militamus, sic uxores ducimus, sic liberos colimus; cum horum omnium incertus sit eventus, ad ea accedimus, de quibus bene sperandum esse credimus.*

(1) *Lib.* 4. *de beneficiis cap.* 35.

16. Id ipsum ratio evincit. Deus sane non exigit ab hominibus plusquam eorum conditio patitur; atqui homo non potest in rebus contingentibus habere omnimodam certitudinem; judicium enim infallibile, in quacunque actione perfectio angelica est, non humana, ut docet Augustinus (1) his verbis: *Aliter aliquid sapere, quam res se habet, humana tentatio est; in nullo autem sapere, quam res se habet, angelica perfectio*; ergo etc. Profecto nemo damnat eum, qui negotia sua amicis vel parentibus fidit, si nullum sit probabile periculum infidelitatis; nemo pariter damnat Christianos, quod non ingrediantur religionem austeram ad declinanda seculi pericula.

(1) *Lib.* 2. *contra Donatistas c.* 5.

Objiciunt 1.° Tutioristae. Ille qui sequitur opinionem probabiliorem, profecto opinatur; scribit autem Augustinus (1) *opinari nunquam esse sine vitio*. Hinc nihil mirum, si S. Thomas scripserit (2): *Illud, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam.*

(1) *Cap.* 11. *de utilitate credendi.*

(2) *Quodlib.* 8. *art.* 13.

17. ℟. Augustinum loqui de eo, qui temere, et absque fundamento opinatur, quod patet ex his ejus verbis: *Tria sunt hominum genera profecto improbanda, ac detestanda, unum est opinantium, idest eorum, qui se arbitrantur scire, quod revera nesciunt . . . . id quod turpissimum est primo, quia discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit. Secundo quia ipsa temeritas per se non bene affecti animi signum est.* Quod pertinet ad testimonium S. Thomae responsionem habes tom. 1. pag. 72. num. 19. Vide etiam num. 18.

Objices secundo. Ille, qui sequitur opinionem probabiliorem in con-

spectu tutioris minus probabilis, si forte agat contra legem, probabilem saltem habet notitiam malitiae actionis; ergo ejus ignorantia non est invincibilis, ipsumque propterea non excusat a peccato.

18. ℟. Probabilioristam non habere probabilem notitiam malitiae actionis; nam probabilitas, si quae est in opinione minus probabili, ea tollitur a sententia probabiliori. Deinde ad tollendam ignorantiam vincibilem satis est, ut quis eam adhibeat communem diligentiam quam viri prudentes adhibere solent; porro Probabilioristae ea utuntur diligentia, qua homines communiter uti solent, *Nunquam*, ait Seneca jam relatus; *expectamus nos certissimam rerum comprehensionem . . . . sed eo ire, quo ducitur similitudo . . . sic serimus, sic navigamus, sic militamus, sic uxores ducimus*. Et Cicero (1): *Nos sequimur*, inquit, *probabilia, nec ultra quam id, quod verisimile occurrerit.*

(1) *Lib. 2. Tuscul. quaest.*

Objices 3.° si sententia probabilior est moraliter certa, licebit eam sequi in materia Sacramentorum, quando agitur de eorum valore, quod est damnatum ab Innocentio XI.

19. ℟. in Sacramentis non esse semper tutius sequendum, sic licet eum absolvere, quem probabilius judicas esse dispositum, licet tutius sit abstinere ab absolutione. Nec dicas confessarium in hoc casu sequi tutiorem, quia sequitur sententiam poenitenti favorabiliorem; nam propositio damnata ab Innocentio XI: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore*, respicit Sacramentum, non vero poenitentem; non enim sic concepta est propositio: non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi sententiam probabilem relicta tutiori *quoad suscipientem sacramenta*, sed relicta tutiori *de valore Sacramenti.* Sic licet quoque consecrare ex hostia, et vino ab alio praeparatis; quamvis tutius sit, quod sacerdos ex se ipso hostias conficiat, ampullas praeparet, vinumque ex uvis ipse exprimat etc. Sed sufficere probabiliorem sententiam, non secus ac in aliis vitae negotiis; porro in aliis vitae negotiis, quo praestantior est res, vel gravius inde existit periculum, eo major requiritur diligentia, ideoque major haberi debet certitudo; nam *ubi* (1) *majus periculum intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum*; sic venator majorem debet adhibere diligentiam, adeoque majorem habere debet certitudinem in explodendo sclopeto, ne occidat hominem forte in dumeto latitantem, quam feram; unde si hanc diligentiam adhibere nequeat, ab explodendo sclopeto abstinere debet. Iam vero Sacramenta sunt res praestantissimae, et gravius instat damni periculum, unde major erit adhibenda diligentia in inquirenda veritate, adeoque major habenda certitudo,

quam in rebus levioris momenti, quae si haberi non possit, tutiori parti insistendum erit. Quod pertinet ad propositionem damnatam ab Innocentio undecimo, animadverto Auctores damnatae thesis nomine opinionis tutioris probabiliorem intellexisse, ut videre est apud Dianam (2); solebant enim eo tempore istiusmodi Auctores traducere Probabilioristas, ut Tutioristas.

(1) *Capit.* 3. *de elect. in* 6.

(2) *Tom.* 8. *tract.* 1. *resol.* 2.

Objicies 4.° sola opinio probabilior non potest esse regula nostrarum actionum; quum scribat Apostolus (1): *Unusquisque in suo sensu plane certus esto*; ergo stante probabiliori opinione, quae certitudinem excludit non ei, sed tutiori parti erit adhaerendum.

(1) *Ad Rom.* 14. *v.* 5.

20. R/. solam veritatem, non vero tutiorismum, aut probabilitatem per se esse regulam nostrarum actionum. Dixi per se, quia si sententia probabilior instructa sit momentis tam gravibus, ut ex iis exsurgat certitudo moralis, tunc licitum erit eam sequi, quia prudenter quis credere potest se veritatem attigisse. Paulus autem in objecto loco non loquitur de certitudine metaphysica, vel physica, quae ferme semper haberi non potest, sed de ea, quam res morales patiuntur, seu de certitudine morali. Nec dicas opinioni probabiliori posse subesse falsum; quamvis enim absolute id sit possibile, non tamen est probabile; porro in rebus moralibus, et humanis determinationibus non attenditur id, quod est possibile, sed solum, quod est probabile. Sic enim mercatores sua negotia administrant, Magistratus sententias ferunt, Principes populos regunt; sic etiam spiritualia, sacramenta praesertim dispensantur. Hinc si error contingat, non imputabitur, quia praeter ordinem, et prudentem aestimationem evenit.

21. Probari demum potest propositio ex damnatione hujus propositionis ab Alexandro VIII.: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. Si enim requiratur certitudo, vel evidentia veritatis absque omni formidine, neque possemus sequi opinionem probabilissimam, quia haec evidentiam veritatis non includit.

22. Neque est cur dicas ex ea censura colligi licitum esse sequi opinionem probabilissimam legi faventem, non vero libertati. Nam primo memorata propositio ex Sinnichii libro excepta damnata fuit in sensu Auctoris, qui sane contendebat nefas esse sequi opinionem probabilissimam libertati faventem. Deinde quis unquam negavit licitum esse sequi opinionem probabilissimam, quae stat pro lege? Inanis igitur, et supervacanea fuisset Romani Pontificis censura.

23. Si addas in opinione probabiliori semper inveniri periculum violandae legis, responderi potest primo

hoc argumentum, sicut et cetera, quae nobis objecta sunt, retorqueri posse in adversarios, licitum nempe non esse adhaerere opinioni inter probabiles probabilissimae. 2.° falsum omnino esse in opinione probabiliori verum adesse periculum peccandi; etenim juxta communem intelligentiam ad periculum requiritur gravis, et probabilis ratio metuendi mali; porro in opinione probabiliori haec ratio non invenitur; quandoquidem gravia momenta, si quae erant in opinione tutiori, sed minus probabili, ea omnino diluta sunt ab opinione probabiliori; ergo in ea non invenitur verum, et proprie dictum peccandi periculum; sed si quod est, illud possibile est, et remotum, cujus nulla ratio haberi debet; sic quis mare tranquillo navigationem suscipit, vel in itinere equo, vel curru utitur, licet aliquod leve sit vitae ammittendae in navigatione, vel in itinere equo, vel curru periculum, cum tutius sit domi consistere, vel pedibus iter conficere.

24. Ex his consequitur primo latum intercedere discrimen inter Probabilistam, Tutioristam, et Probabilioristam. Primus se habet, ac ille, qui ambulat per civitatem eo tempore, quo vehementissimus ventus disjiciendo tegulas solet transeuntes occidere. Secundus autem comparatur illi, qui domo exire non vult, eo quod levis adsit ventus, qui tamen non solet per civitatem ambulantibus damnum inferre. Tertius vero similis est illi, qui flante vehementissimo turbine per urbem incedere non vult, at si ventus sit levis, non metuit per civitatem ambulare; quia quamvis quandoque occurrerit, ut ventus levis alicui damnum attulerit, cum tamen periculum mali subeundi non sit probabile, sed solum remotum, et possibile, illud prudenter despicit.

25. Consequitur secundo eum, qui adhibita debita diligentia ad inveniendam veritatem, eam eligit partem, quae sibi probabilior videtur, veritatem consectari, adeoque legem non transgredi, quum sola legis veritas, non id, quod tutius est, sit regula agendi. Hinc Augustinus (1): *Quisquis*, inquit, *tantum quantum homo potest, ac debet, dat operam inveniendae veritatis, is etiamsi non inveniat, beatus est, totum enim facit, quod ut faciat, ita natus est.*

(1) *Lib.* 1.° *contra Academicos cap.* 3.

26. Consequitur tertio admissa sententia adversariorum prohibendos esse omnes libros Theologiae moralis, licet a Sanctis fuerint conscripti; quia isti saepe saepius tuentur opiniones probabiliores libertati faventes, et sic inducerent ad peccatum; et propterea istiusmodi Doctores, et etiam Sanctos Patres peccasse graviter hujusmodi probabiliores opiniones minus tutas docendo.

Qualis excessus probabilitatis requiratur, ut opinio vere probabilior sit, et tuta in praxi.

27. ℟. requiri excessum gravem, et notabilem, non vero sufficere tenuem, et levem; tenuis enim ac levis excessus movere non potest prudentem virum ad assentiendum illi potius propositioni, quam alteri; *Quod parum est*, inquit S. Thomas (1) *quasi nihil accipit ratio*. Tunc autem hic notabilis, et gravis excessus habebitur, quando probabilior sententia elidet momenta gravia opinionis oppositae.

(1) 1. 2. *q.* 14. *art.* 4.

Secundum quam sententiam respondere debeat Confessarius interrogatus, an aliqua actio sit licita, vel illicita.

28. ℟. non posse respondere secundum opinionem minus probabilem, et minus tutam, neque secundum opinionem tutiorem, sed solum secundum opinionem sibi subjective probabiliorem. Ratio primae partis est, quia sibimet ipsi mentiretur; affirmaret enim licitum esse id, quod probabilius existimat illicitum; deinde non potest judicare sententiam minus probabilem veram; ergo si alteri eam consuleret, eum scienter ad malum induceret.

Ratio secundae partis est, quia adstringeret poenitentem ad faciendum id, ad quod ipse non obligatur; quum nemo teneatur sequi sententiam tutiorem in conspectu probabilioris.

Ratio tertiae partis est, quia cum sententia subjective probabilior vera a Confessario judicetur, secundum hanc solum respondere debet, ne mentiatur sibi, vel ne onus indebitum, et nimis grave consulenti imponat.

An quis possit licite sequi opinionem, quam ipse judicat minus probabilem, quae tamen a pluribus tamquam probabilior habetur.

29. ℟. non posse; nam eo ipso, quo judicat minus probabilem, judicat propterea ut falsam; unde eam sequens ageret contra propriam conscientiam, quod nunquam licet, ut supra ostensum est.

An unius Doctoris auctoritas sufficiat ad reddendam opinionem in praxi tutam.

30. ℟. ordinarie loquendo non sufficere; alioquin cum nulla fere sit laxa propositio, quam aliquis Doctor non defenderit, licebit quamcunque laxam propositionem amplecti. Recte ergo damnata fuit haec propositio ab Alexandro VII. n. 27.: *Si liber sit alicuius junioris, et moderni, opinio debet censeri probabilis, dum non constat esse rejectam a sancta Sede tamquam improbabilem*. Dixi ordinarie loquendo, quia si ageretur de aliquo Auctore, cujus opera essent ab Ecclesia probata, nisi aliquid grave, et notabile contra ejus sententiam opponeretur, ejusque rationes solide confutarentur, non video, quare ejus sententia teneri non possit.

Quibus regulis uti debeant ii, qui dubii sunt circa aliquam quaestionem.

31. ℟. triplex distinguendum esse

hominum genus; alii sunt illiterati, et rudes; alii docti, atque eruditi, qui sat magnam moralis doctrinae supellectilem studio, ac labore sibi compararunt; alii semidocti, qui recte quidem dirimere valent communes obviasque quaestiones, quarum resolutio ex generalibus rationis principiis, ac notissimis scripturarum oraculis, vel Ecclesiae decretis proxime pendet, in difficilioribus tamen, variisque circumstantiis haerent, aut saltem haerere debent.

Porro illiterati et rudes, quoniam melius conscientiae suae consulere nequeunt, Parochi, vel Confessarii sui, quem satis doctum probumque existimant, judicium sequi debent. Quod si ex duobus, quos consuluere, aeque doctis, ac piis aliud alius respondeat, quod tutius est amplecti debent; peccarent tamen rudes, atque imperiti sententiae minus tutae cujuspiam Theologi adhaerendo, si hunc prae aliis consuluissent, quod noverint esse laxioris, et mollioris doctrinae, vel si justam haberent causam suspicandi, eum non docere viam Dei in veritate, sive ob ignorantiam, sive ob temeritatem, ac praesumtionem. Semidocti, qui mediocri sunt eruditione, atque ingenio (quod quidem perspectum habere possunt, serium circa propriam doctrinam examen ineundo, vel sua studia, suamque eruditionem cum aliorum studiis profectuque conferendo, sive demum peritiorum de se judicium explorando) in his, quae passim occurrunt, difficilioribus casibus doctiores peritioresque viros, qui neque rigidioris, neque laxioris doctrinae suspecti sunt, consulere debent. Quod si Theologorum scripta evolvant, ei sententiae adhaerebunt, quam antiquioribus Doctoribus, tum etiam recentioribus scientia, et pietate celebrioribus probari viderint; ii enim vix aliam sequi possunt regulam, quam auctoritatis in quaestionibus difficilioribus. Ubi autem Doctores ejusdem fere auctoritatis varias in partes scindi animadverterint, eam inire debebunt viam, quae tutior ipsis videbitur.

Viri docti, et qui librorum, atque ingenii satis habent, ut de morali actionum natura recte dispicere possint, eam sectari debent opinionem, quam circumstantiis omnibus perspectis, omnibusque rationum momentis aequa lance libratis probabiliorem existimaverint, nisi velint tutiorem sequi.

Quinam sint in opinionum delectu inter Doctores ceteris praeferendi.

32. ℟. Ceteris paribus Doctores veteres esse modernis praeferendos. Id docet Scriptura (1): *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* Et alibi (2): *Non te praetereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt a patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum.* Hinc in jure canonico (3) legitur: *Quotiescumque in gestis conciliorum discors*

sententia invenitur, illius Concilii magis teneatur sententia, cujus aut antiquior, aut potior extat auctoritas.

(1) *Iob. cap.* 12. *v.* 12.

(2) *Eccles. cap.* 8. *v.* 11.

(3) *Can.* Domino Sancto 28. *distin.* 50.

℟. 2.° Inter Doctores ii quoque praeferendi sunt, qui suas firmant propositiones rationibus, quam qui sola auctoritate aliorum Doctorum. Hanc regulam probat Lanctantius (1) his verbis: *Non trahantur auctoritate cuiusquam, sed veritati potius faveant, et accedant*, id ipsum docet S. Augustinus (2), inquiens: *Ego solis eis scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam; alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque praepoleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per Auctores canonicos, vel probabili ratione quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Hinc Clemens tertius (3) declarat tenendam esse sententiam, *quae meliori, et subtiliori nititur ratione.* Ex hac regula colligitur plures Doctores, qui absque gravi ratione suas firmant propositiones, opinionem non reddere probabilem. Id constat vel ex ipso jure civili (4) in quo sic legitur: *Sed neque ex Auctorum numero, quod melius, et aequius est, judicatote, cum possit unius (forsitan), et deterioris sententia, et multas, et majores aliqua in parte superare.*

(1) *Lib.* 3. *de falsa sapientia c.* 13.

(2) *Epist.* 19. *quae est ad Hieron.*

(3) *Cap.* capellanus 4. *de feriis.*

(4) *L.* 1. §. sed neque 6. *cod. de vet. jur.*

℟. 3.° Doctores, qui ex professo res tractarunt, sunt praeferendi iis qui obiter, et incidenter locuti sunt; illi enim censentur attentius, diligentiusque motiva, et rationes, quibus suas confirmarunt propositiones, magis perpendisse, quam istos, librasse quoque quidquid suis propositionibus contrarium esse poterat.

℟. 4.° practicos, et morales Doctores in rebus moralibus esse aliis praeferendos. Sicut enim ceteris paribus in iis, quae pertinent ad Fidem, praeferendi sunt Theologi Juristis, et Canonistis, et in his, quae ad leges pertinent, plus est adhaerendum Juristis, et Canonistis, quam Theologis; ita in casibus conscientiae, et rebus moralibus plus erit standum practicis, et moralibus Doctoribus, quam aliis; quia supponendum est, et credendum plus diligentiae, et studii in rebus moralibus, Doctores morales, quam alios insumsisse; quare Glossa inquit: *Magis Augustino credendum est in disputationibus, Hieronymo in historiis, et translationibus: Gregorius vero in moralibus praeponitur, quia non omnes in omnibus, sed certi per certa.*

An Confessarius possit absolvere poenitentem, qui adhaereret opinio-

ni, quam ipse credit minus probabilem, minusque tutam.

33. ℟. 1.° non posse, si poenitens judicet eam, cui adhaeret, opinionem, esse minus probabilem, minusque tutam; quia ex dictis peccat iste poenitens sequendo eam sententiam; ergo Confessarius ipsum non poterit absolvere, nisi probabiliorem sequi velit.

34. ℟. 2.° ordinarie loquendo posse absolvere, si poenitens sit vir doctus, et opinio, quam sequitur, sit ipsi probabilior, licet videatur Confessario minus probabilis, et minus tuta; nam iste poenitens, ut ex dictis constat, non peccat sequendo sententiam sibi subjective probabiliorem; porro si non peccat, jam est dispositus, jusque habet ad absolutionem; ergo Confessarius debet eum absolvere; fateor quidem Confessarium in poenitentiae sacramento gerere personam judicis, medici, et doctoris, sed solum relate ad ea, in quibus poenitens peccat, aut peccaturus praevidetur, non vero relate ad alia. Neque dicas poenitentem, utpote reum non proprio, sed judicio Confessarii tanquam judicis esse judicandum. Etenim concedimus quidem Confessarium esse judicem, sed dispositionum poenitentium, non vero quaestionum. *Dominus* enim *Jesus Christus*, inquit Tridentinum (1) *Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam praesides, et judices, ad quos omnia mortalia crimina* (non quaestiones) *deferantur: qui pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient.* Ergo quum ex dictis non peccet poenitens, Confessarius remissionis sententiam pronuntiare debebit. Quod diximus de viro docto, idem dicendum de viro ignaro, qui bona fide consuluerit virum doctum, puta Parochum, a quo intellexerit licitum sibi esse sequi sententiam opinioni Confessoris contrariam; nam in ordine ad poenitentes indoctos non momenta ex ratione, sed ex auctoritate, et consilio sunt regula suarum actionum; ergo sicut tenetur Confessarius absolvere eum, qui ex momentis rationum judicat opinionem suam esse probabiliorem, ita et poenitentem rusticum, qui ex auctoritate id ipsum judicat.

(1) *Sess. 14. de poenitentia c. 5.*

Dixi ordinarie loquendo, quia si opinio sit communiter a Theologis reprobata, Confessarius non debet absolvere poenitentem eam sequentem, sive poenitens sit vir doctus, quia prudenter praesumere debet hunc peccare, suum anteponendo judicium universis fere Theologis; hinc non absolverem virum doctum, qui nollet confiteri circumstantias notabiliter aggravantes, vel Probabilismum adhuc ad praxim redigeret; sive sit vir ignarus, quia, licet non peccet formaliter sequendo sententiam, quam a proprio Parocho bona fide didicerit, quum tamen ejus opinio communiter reprobetur, jure meritoque censetur peccare materialiter; unde

edocendus erit juxta dicta cap. 2. art. 1.; quare non absolverem quoque rusticum 60 annos natum jejunare nolentem, eo quod audierit a suo Parocho sexagenarios non teneri ad jejunium.

Confirmari ulterius potest responsio ex ab urdis. Finge Parochum probabilius sentire, posse se, licet aliunde habentem, vivere ex redditibus beneficii, atque peccata sua confiteri Parocho alterius sententiae; hic ex sententia adversariorum non poterit eum absolvere, nisi saltem propriam sententiam ad praxim non redigat. Finge rursus hunc Parochum sua postea peccata detegere primo Parocho, Parochus quoque hic alterum non poterit absolvere, nisi imposterum amplius non obliget beneficiarios ad vivendum ex propriis redditibus; quumque Confessarii saepe saepius in contrarias abeant sententias, easque ad praxim deducant, raro unus Confessarius alterum poterit absolvere. Haec autem omnia, ut quisque videt, absurda sunt.

CAPUT VIII.

De actionum humanarum merito.

SUMMARIA

1. *Meritum definitur.*
2. *Meritum aliud de condigno, aliud de congruo.*
3. *Meritum de condigno vere, et proprie meritum est.*
4. *Meritum de condigno duplex est.*
5. *Ad meritum variae requiruntur conditiones.*
6. *Ad meritum quodcunque ex parte agentis necessarius est status viae.*
7. *Ad meritum de condigno ulterius est necessarius status gratiae.*
8. *Ad meritum quodcunque ex parte operis tres requiruntur conditiones.*
9. *Ad meritum de condigno ex parte Dei promissio de mercede rependenda necessaria est.*

1. Quoniam meritum est proprietas actus humani dicens ordinem ad praemium; hinc de eo etiam sermonem instituere debemus; meritum autem definiri solet opus mercede, vel praemio dignum.

2. Duplex distinguitur meritum, unum de condigno, alterum de congruo. Primum est opus, cujus valor aequalis est mercedi; unde huic operi merces debetur ex justitia. Alterum est opus, cujus valor non aequat mercedem, sed liberalitatem praemiantis excitare tantum potest ad praemium conferendum; et huic merito non debetur merces ex justitia, sed ex congruitate, et convenientia tantum. Sic militi fortiter in bello pugnanti debetur ex justitia stipendium; ex congruitate autem, et convenientia aliquod donum.

3. Ex dictis consequitur meritum de condigno esse vere, et proprie meritum, non autem meritum de congruo. Sic contritio mereri quidem potest de congruo veniam, qua-

tenus excitare valet divinam misericordiam ad veniam concedendam, non tamen de condigno; cum non teneatur Deus homini sui inimico, licet contrito veniam impertiri.

4. Meritum de condigno adhuc duplex distinguitur, unum de rigore justitiae, alterum de condignitate tantum. Primum nulli innititur gratiae praemiantis; tale fuit Christi meritum. Secundum involvit gratiam a praemiante datam personae, quae meretur, et de hoc merito communiter agunt Theologi.

5. Meritum conditiones quasdam requirit, quarum aliquae se tenent ex parte agentis, aliae ex parte ipsius operis, aliae demum ex parte Dei.

Conditio requisita ex parte agentis, sive sit meritum de condigno, sive meritum de congruo, est, ut homo sit viator, idest ut degat in hoc mortali corpore; at ad meritum de condigno requiritur ulterius, ut sit in statu gratiae.

7. Prima pars evidens est, tum in Sacris litteris, tum in Patribus. Et primo quidem in Sacris litteris: *Quodcumque*, inquiunt Sacrae litterae (1), *facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas*; Nam (2) *in quocunque loco ceciderit lignum, ibi manebit.* Nec (3) *Mortui habent ultra mercedem.* Patrum testimonia clara quoque sunt. S. Cyprianus (4): *Quando istinc excessum fuerit*, inquit, *nullus jam poenitentiae locus est. Hic vita aut amittitur, aut tenetur* S. Augustinus (5): *Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari; Nemo speret, quod hic neglexerit, cum obierit apud Deum promereri* S. Hieronymus (6): *Tempus sementis, tempus est praesens, et vita quam currimus . . . . . cum ista vita transierit, operandi tempus aufertur.*

(1) *Eccl.* 9. *v.* 10.
(2) *Eccl.* 11. *v.* 3.
(3) *Eccl.* 9. *v.* 5.
(4) *Lib. ad Demetrium versus finem.*
(5) *Enchir. cap.* 110. *n.º* 29.
(6) *In cap.* 6. *ep. ad Galat.*

7. Secunda pars ostenditur quoque ex Sacris litteris. Etenim opera facta sine caritate, quae esse non potest sine gratia santificante juxta illud Apostoli (1): *Caritas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, mortua sunt scribente Paulo (2): *Si charitatem non habuero, nihil sum . . . . nihil mihi prodest.* Ergo mereri non possunt de condigno vitam aeternam; et alia bona ad illam conducentia; et sane si homo in statu peccati mortalis mereri posset vitam aeternam, esset eodem tempore dignus aeterna vita ex hypothesi, et simul damnatione aeterna, utpote Dei inimicus, quod manifestam contradictionem continet.

(1) *Cap.* 5. *v.* 5.
(2) 1. *Corinth.* 13. *v.* 2.

8. Conditiones requisitae ex parte

operis, sive ad meritum de condigno, sive de congruo sunt 1.° ut opus sit liberum, 2.° ut sit bonum, 3.° ut sit supernaturale.

Prima pars manifesta est ex dictis superius, ubi demonstravimus ad merendum necessariam esse libertatem non solum a coactione, sed etiam a necessitate.

Secunda pars manifesta quoque est; nam opus malum non praemio, sed poena dignum est; opus autem indifferens in individuo non datur.

Tertia pars facile ostenditur. Nam hic sermo habetur de merito boni supernaturalis; non potest autem opus mereri bonum supernaturale absque gratia; quia media debent esse fini proportionata; si ergo finis, seu praemium est supernaturale, medium seu opus debet esse supernaturale, seu ex gratia.

9. Conditio demum requisita ex parte Dei ad meritum de condigno est promissio de mercede reddenda. Etenim Deus nemini debitor est; ergo, ut homo jus strictum habeat ad mercedem, seu de condigno eam mereatur, necesse est, ut Deus se promissione obligaverit ad eam conferendam. Hinc Augustinus (1): *Debitorem*, inquit, *Dominus ipse se fecit non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur: redde quod accepisti, sed redde quod promisisti.* Nec dicas opus bonum natura sua aliquam mercedem mereri; nam illud opus bonum innumeris titulis Deo debitum est, nempe creationis, conservationis supremi in res omnes creatas dominii etc. Sic servus quemcunque laborem suscipiat, nullum tamen jus habet ad mercedem, quia omnia ejus opera domini sunt; porro nos servi Dei sumus.

(1) *In psalm.* 83. *n.* 16.

Dixi ad meritum de condigno; quia ad meritum de congruo nulla requiritur ex parte Dei promissio, sed satis est, ut opus sit bonum, quo excitetur Dei misericordia ad aliquid homini conferendum. Quandoque tamen contingit, ut promissio Dei interveniat. Sic peccatori poenitentiam agenti Deus veniam promisit his verbis (1): *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis . . . vita vivet, et non morietur.*

(1) *Ezech.* 18. *v.* 21.

COMMENTARIUS DE PECCATIS

COMMENTARII HUJUS ERUNT DISSERTATIONES DUAE, IN QUARUM PRIMA SERMO HABEBITUR DE PECCATIS IN GENERE, IN SECUNDA DE PECCATIS IN SPECIE.

DISSERTATIO I.

DE PECCATIS IN GENERE

CAPUT I.

De peccati nomine, natura, et divisione.

SUMMARIA

1. *Peccati multiplex significatio, et definitio.*
2. *Peccati definitio legitima est.*
3. *Objectiones contra peccati definitionem solvuntur numeris* 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.
10. *Peccatum est contra rectam rationem, et hominis naturam.*
11. *Objectiones solvuntur numeris* 11, 12, 13.
14. *Peccatum hominis malum est.*
15. *Peccatum turpitudinem continet.*
16. *Peccatum est Dei offensa.*
17. *Dei offensa ex variis capitibus crescit.*
18. *Peccati natura consistit in privatione debitae rectitudinis.*
19. *Probatur ex Scriptura.*
20. *Probatur ex Patribus.*
21. *Solvuntur objectiones a numero* 21. *usque ad* 26.
26. *Duo rerum principia admittenda non sunt.*

1. Peccatum in sacris litteris multiplicem habet significationem. Interdum accipitur pro hostia, quae pro peccati expiatione offertur: *Peccata populi mei comedent* (1): *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (2). Quandoque sumitur pro caussa, vel occasione, vel poena peccati. Sic Moses vitulum aureum, quem populus adoraverat, peccatum appellat (3); sic Apostolus concupiscentiam vocat peccatum (4), quia peccatum est, et ad peccatum inducit: sic Daniel peccati nomine poenam intelligit: *Peccata tua eleemosynis redime* (5). Aliquando usurpatur pro declinatione, et aberratione a regula, vel lege, unde a Joanne peccatum vocatur *iniquitas*

(6), id nempe, quod non est cum sua regula aequatum, seu declinatio, et aberratio a regula. Sic in naturalibus monstra peccata naturae dicuntur, in artificialibus, quae declinant a sua regula, peccata artis appellantur. Peccatum hoc sensu acceptum admittendum esse contra Incredulos demonstravimus (7); et a S. Augustino definitur (8): *Factum, vel dictum, vel concupitum contra legem aeternam Dei*.

(1) *Oseae* 4. *v.* 8.

(2) 2. *Corinth.* 5. *v.* 21.

(3) *Deut. cap.* 9. *v.* 21.

(4) *Ad Rom. cap.* 7.

(5) *Cap.* 4. *v.* 24.

(6) *Ep.* 1. *cap.* 3. *v.* 4.

(7) *Tom. I. pag.* 25. *n.* 16.

(8) *Lib.* 22.*contra Faustum cap.*27.

2. Haec definitio, quam probat S. Thomas (1) legitima est, utpote quae explicat materiale, et formale peccati, seu constat genere, et differentia; per illa enim verba *factum* etc. peccatum convenit cum quovis actu humano: et per posteriora *contra legem aeternam Dei*, quae actuum moralium est regula, peccatum secernitur a quovis actu bono.

(1) 1. 2. *q.* 71. *art.* 6.

Nonnulla objiciuntur, quae paucis dissolvenda sunt. 1° Ea definitio redundans est: simplicius dici poterat: peccatum est actus humanus contra legem aeternam Dei: 2° non complectitur peccatum omissionis: 3° nec peccatum veniale, quod non est contra, sed praeter legem: 4° nec peccata, quae sunt contra leges humanas: 5° nec peccata, quae sunt contra rectam rationem: 6° nec ea peccata, quae sunt mala independenter a lege aeterna, uti mendacium; unde si per impossibile nec Deus esset, nec lex aeterna, mendacium adhuc malum esset, et peccatum: 7° nec mentionem injicit voluntarii, quod ad essentiam peccati pertinet.

3. ℟ ad primum, peccatum potius per factum, dictum, vel concupitum, quam per actum humanum definiri, sive quia inde fit clarior definitio, cum varii peccatorum gradus exprimantur, cordis nempe, oris, et operis; sive quia varii confutantur errores, tum eorum, qui una cum Petro Abaylardo asserebant actus exteriores, facta nempe, vel dicta non esse peccata, tum etiam eorum, qui una cum Judaeis actus exteriores fatebantur quidem esse peccata, neutiquam vero interiores, quos redarguit Christus (1), dum inquit: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est in corde suo*.

(1) *Math.* 5. *v* 28.

4. ℟ ad 2., affirmationem et negationem reduci ad idem genus; unde nomine facti, dicti, vel concupiti venit etiam non factum, non dictum, non concupitum; dicitur enim aliquis male agere, dum omittit id, quod praestare debebat.

5. ℟ ad 3., peccatum veniale vere, et proprie esse contra legem, ut docet S. Thomas (1), et nos inferius ostendimus; non tamen hoc pacto, ut tollat Caritatem, quae est plenitudo legis. *Etsi*, idem S. Thomas (2), *in aliquo recedat ab ordine legis, non tamen ipsum corrumpit, quia non corrumpit dilectionem, quae est plenitudo legis.*

(1) 1. 2. *q.* 74. *art.* 10 *ad* 1.

(2) *q.* 7. *de malo art.* 1 *ad* 1.

6. ℟ ad 4, omnes leges positivas derivari a lege aeterna, ut ostensum est (1); unde quidquid est contra ipsas, est etiam contra legem aeternam.

(1) *Tom. I. pag.* 26 *n.* 20

7. ℟ ad 5., rectam rationem, seu legem naturalem esse participationem legis aeternae. Quare nihil esse potest rectae rationi contrarium, quod non sit pariter legi aeternae oppositum. Vide definitionem legis naturalis, ejusque explicationem (1).

(1) *Tom. I. pag.* 31 *n.* 1 *et seqq.*

8. ℟ ad 6, peccatum esse recessum, et aberrationem a regula, vel lege; unde intelligi non potest absque regula, vel lege, quae ipso sit prior. Jam vero regula ista nil aliud esse potest, quam lex aeterna, quae est prima regula agendorum, et fons totius honestatis; ideoque independenter ab ea nulla est turpitudo, peccatum nullum. Quare ostendimus tomo I. (1), independenter a lege aeterna nullam esse posse moralitatem, ne fundamentalem quidem in actionibus humanis.

(1) *pag.* 24 *n.* 15.

(9) ℟. ad 7, consulto S. Augustinum abstinuisse in definitione a mentione voluntarii, ut comprehenderet quoque peccatum materiale, quod nullum exigit voluntarium.

10. Ex his colligitur primo, peccatum eo ipso, quod est contra legem aeternam, esse pariter contra rectam rationem, quae est ejusdem legis participatio, adeoque contra naturam hominis, qua homo est; cum homo per rectam rationem in sua specie constituatur, et a ceteris animantibus distinguatur. Huc pertinent ea Scripturae verba (1): *Homo quum in honore esset, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Unde Augustinus (2) inquit: *Omne vitium eo ipso, quo vitium est, contra naturam est.*

(1) *Psal.* 48. *v.* 13, *et* 21.

(2) *Lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 13.

Objicies 1°. Malitia est naturalis in homine (1), quum homo de se non habeat, nisi mendacium, et peccatum (2); ergo vitium non est contra naturam: 2°. Peccatis assuescimus; at ea, quae sunt contra naturam, assuefieri non possunt. Exemplum est in lapide, qui numquam ferri sursum assuescere potest. 3°. Sunt quaedam peccata, quae specialiter sunt contra naturam hominis, ut bestialitas, et sodomia; ergo cetera non erunt contra naturam.

(1) *Sapient.* 12 *v.* 10.

(2) *Ex Conc. Arauxicano.*

11. ℟ ad 1, malitiam dici naturalem in homine, quatenus, quum homo conditus sit ex nihilo, naturam habet, quae deficere potest; at si consideretur homo, pro ut a Deo habuit rectam rationem, quae naturaliter aversatur malum, & vi cujus potest dominari appetitui inferiori, secundum illud Scripturae (1): *Sub te erit appetitus, et tu dominaberis illius*, malitia non erit illi naturalis, ideoque, si peccabit, aget contra naturam suam, quae exigit, ut ratio inferioribus dominetur.

Gen. 4. *v.* 7.

12. ℟ ad 2, peccatum esse contra naturam hominis, non hoc sensu, quatenus repugnet principiis ejus essentialibus, ut irrationalitas homini; alioquin vitium destrueret naturam hominis; sed hoc sensu, ut repugnet ordini a natura constituto, qui requirit, ut homo in omnibus ductum rationis sequatur, et inferiora rationi subjiciat; porro hoc modo peccatis assuescere possumus.

13. ℟. ad 3, bestialitatem, et sodomiam esse peccata specialia contra naturam, quia non solum sunt contra naturam hominis, qua homo est, sed etiam contra naturam hominis, qua animal; quum pervertant ordinem generationis a natura praescriptum.

14. Colligitur 2°, peccatum esse malum hominis, qua homo est, quatenus eum dejicit, et privat conveniente sibi perfectione, et bonitate, et avertit ab ultimo fine, quod potissimum de peccato mortali intelligendum est.

15. Colligitur 3°, in peccato inesse turpitudinem quamdam, eo quod recessum sit ab ordine rationis, in quo elucet eximia pulchritudinis species, honestatis vis, et splendor; quam turpitudinem sibi dissimulare non potest homo, dum advertit se, non eum servasse ordinem, quem sua exigebat natura; hinc turbationes, et anxietates consequentes, donec ordo violatus restitutus fuerit.

16. Colligitur 4°, omne peccatum esse Dei offensam; siquidem homo per peccatum violat ordinem rationis aeterna lege constitutum; ideoque agit contra Deum ipsum legislatorem, ipsique injuriam irrogat, dum ipsi praecipienti negat debitam subjectionem, et obedientiam.

17. Ex variis autem capitibus augetur offensae ratio, quae in peccato est. Etenim peccator non solum offendit Deum, ut legislatorem; verum etiam ut judicem, cujus poenas, et supplicia non pertimescit, ut testem, cujus praesentiam, et majestatem non reveretur, ut supremum dominum, cujus servitutem detrectat, ut benefactorem, cujus beneficia contemnit, ut ultimum finem, quia per peccatum mortale homo rationem ultimi finis in creatura constituit.

18 Colligitur 5°, peccatum, eo quod sit defectus, et aberratio a regula, non consistere in aliquo positivo, sed in mera privatione debiti ordinis, quum defectus, et aberratio.

a regula non possit esse aliquid positivi. Verum quia haec quaestio magno animorum aestu in scholis agitatur, ideo ne eam praetermittere videamur, dicimus cum communiori Theologorum sententia, formam, et constitutivum peccati etiam commissionis (peccatum enim omissionis concedunt omnes in mera privatione debiti ordinis consistere) in sola privatione, et carentia debitae rectitudinis esse collocandum.

19. Probatur 1° ex his Scripturae verbis (1): *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*; jam vero, si peccatum esset aliquid, esset ab eo, per quem omnia facta sunt; Deus ergo, sicut bonorum, ita et malorum operum auctor haberetur, quod damnatum est a Tridentino (2).

(1) *Joann.* 1. *v.* 3.

(2) *Sess.* 6. *can.* 6.

20. Probatur 2° ex Patribus: Athanasius sic scribit. *Nonnulli Gentilium a vera via aberrantes, nec Christum cognoscentes malitiae substantiam aliquam esse, ac per se ipsam existere affirmavere; qua profecto in opinione duplici ratione peccabant; vel enim negabant Creatorem omnium rerum effectorem esse; nec enim omnium rerum dominus foret, si, uti censent, malitia substantiam, naturam per se ipsam haberet; vel rursus, si eum volunt rerum omnium effectorem esse, mali quoque auctorem concedant necesse est, quandoquidem juxta illos creatum res aliqua est.*

(1) *Oratione contra Gent.*

Idem docent alii Patres: Dionysius, seu auctor librorum de divinis nominibus: *Peccatum* inquit, (1) *non est aliquid existens, aut inexistens, sed privatio boni*. Augustinus (2): *Mali nulla natura est, sed privatio boni*. Fulgentius, *Malum nihil aliud est, nisi boni privatio* (3). Damascenus de peccato Angelorum loquens (4): *Neque enim quidquam aliud malum est, nisi boni privatio.* S. Thomas, (5) *Omne peccatum, ex hoc ipso, quod est malum, consistit in quadam corruptione, seu privatione boni*: et infra: *Corruptio, vel privatio boni formaliter se habet in peccato, conversio autem ad bonum commutabile materialiter*.

(1) *Cap.* 4.

(2) *Lib.* 12 *de civit. cap.* 7.

(3) *Lib. de fide ad Petrum cap.* 21

(4) *Lib.* 2. *de fide cap.* 4.

(5) 2. 2. *q.* 118 *art.* 5 *in corp.*

Nunc eos, qui contra sentiunt, audiamus. Ante privationem debitae rectitudinis intelligitur aliqua tendentia in objectum difforme regulis morum; sed haec tendentia in genere moris mala est, et quid positivum sonat; ergo ante privationem debitae rectitudinis constituta jam intelligitur malitia formalis peccati.

21. ℟ hoc argumentum, in quo maxime exultat continuator Turnely, facillime solvi. Enim vero tendentia hujusmodi in objectum difforme regulis morum, non potest intelligi mala, nisi pro ut deflectit a sua re-

gula; quia lex aeterna est prima honestatis humanarum actionum regula, cui, si congruant, bonae, si ab ea deflectant, malae omnino sunt. Ergo deflectio a regula, seu a lege, erit id, quod constituit rationem, et essentiam peccati. Unde Augustinus ajebat (1): *A Deo habent omnes naturae, quod bonae sunt, et in tantum sunt vitiosae, in quantum ab ejus, qua factae sunt, arte discedunt*. Porro deflexio, aberratio a regula, et privatio debitae rectitudinis idem omnino sunt. Finge statuam non repraesentare hominem, quem repraesentare deberet, vitium hujus statuae situm est in deflexione a regula, seu in privatione debitae conformitatis cum illo homine, qui erat repraesentandus. Et sane per adversarios peccatum omissionis non consistit in aliquo positivo, atqui tamen peccatum omissionis non est sine aliquo influxu; ideoque sine aliqua tendentia voluntatis in objectum dissonum regulis morum; alioquin omissio non esset voluntaria; ergo haec tendentia, pro ut est inordinata, erit aliquid positivi, quod negant adversarii.

(1) *Lib. 3. de lib. arb. cap. 15.*

Objiciunt 2°. Peccatum habet caussam positivam, scilicet voluntatem; ergo debet esse aliquid positivi.

22. ℟ habere quidem peccatum caussam positivam, scilicet voluntatem, non tamen efficientem, sed deficientem, quatenus non curat, ut actiones eam habeant bonitatem, quae ipsis debita est: sic tenebrae nihil sunt positivi, quum a solis deficientia procedant.

Objiciunt 3°. Si peccati pravitas in privatione consisteret, major unius peccati gravitas prae alio explicari non posset; quum una privatio non sit major altera: explicari pariter non posset specifica peccatorum diversitas, quia omnis diversitas per aliquid positivum efficitur, neque intelligeretur, quomodo peccatum, quum sit mera privatio, possit habere effectus positivos.

23. ℟ Ad haec dissolvenda sufficit advertere, peccatum non esse puram privationem debitae rectitudinis, quae nec esse, nec concipi potest, sed privationem ordinis, et rectitudinis in aliquo positivo, nempe actione, vel omissione, quae a lege deflectit; quaeque propterea bonitate caret ipsi debita. Quare ajebat S. Thomas (1). *Peccatum non est pura privatio, sed est actus debito ordine privatus*; cui praeiverat Augustinus inquiens (2): *Malum non est, nisi in bono*. Cum statua hominem non repraesentat, qui esset repraesentandus, defectus conformitatis non est in abstracto, sed in simulacro: sic et in peccato, privatio boni, et rectitudinis debitae est in ipsa actione, quatenus caret hac, vel illa bonitate, quam habere deberet; unde majus, vel minus erit peccatum, pro ut bonitas, quam actio habere deberet, major, vel minor est, habebitur pariter specifica peccatorum diversitas,

pro ut bonitates, quibus actus carent, specifice differunt; siquidem privatio judicari debet ex dignitate, quantitate, et qualitate boni, quod tollit. Intelligitur demum, quomodo peccatum effectus positivos producere possit, quatenus scilicet multiplicantur actus destituti ea bonitate, quam habere deberent, et ex istis actibus sic multiplicatis oriuntur pronitates, et facilitates ad eos iterandos, seu habitus mali.

(1) 1. 2. *q.* 72. *art.* 1. *ad* 2.

(2) *In Enchir. cap.* 14.

Objiciunt 4. Si ratio formalis peccati consisteret in privatione, peccatum commissionis non distingueretur a peccato omissionis; atqui hoc falsum est; ergo etc.

24. ℟ peccatum commissionis materialiter distingui a peccato omissionis, quatenus primum est actus, secundum vero actus omissio; at formaliter sumptum, quatenus nempe peccatum est, importat debitae rectitudinis privationem, non secus ac peccatum omissionis, ut probatum est.

Objiciunt 5° dantur quaedam actiones ita suapte natura malae, ut iis numquam convenire possit rectitudo, quales sunt actiones odii Dei, mendacii, perjurii etc; ergo intelligi non possunt privatae rectitudine, quam numquam habere possunt.

25. ℟ hujusmodi actiones, prout sunt actiones, bonas esse; malas autem esse, prout privatae existunt debita rectitudine. Exemplum sit in actione odii Dei, quae nobis opponitur; odium, pro ut est aversatio mali objecti, bonum est; pro ut vero istiusmodi malum objectum ponitur existere in Deo ipso, seu mens sibi repraesentat hoc malum objectum Deo convenire, malum est. Idem dicatur de mendacio, et perjurio. Adde, quod argumentum urget quoque adversarios, qui, quamvis sentiant, malitiam esse reponendam in aliquo positivo; fatentur tamen privationem rectitudinis esse modum imbibitum in ipso actu, vel effectum ex ipso actu necessario provenientem.

26. Ex his consequitur, falsissimam esse sententiam eorum, qui duo summa rerum principia statuerunt, quorum unum sit summum bonum, alterum vero sit summum malum. Hunc errorem Pytagorae, Empedoclis, aliorumque Philosophorum secundo Ecclesiae saeculo adoptatum a Cerdone, et Marcione, ejusque discipulis, subinde a Manichaeis, quos omni argumentorum genere oppugnavit Augustinus, nostra hac aetate excitavit Petrus Baelius (1): qui omnes facile ex superius dictis confutantur. Etenim malum est nil aliud, nisi boni privatio. Summum ergo malum erit omnis cujusque boni defectus, ideoque et existentiae, et actionis; nam haec bona sunt; aut ergo nullum bonum admittendum est, aut delirant, qui ponunt summum malum existens, et agens. Hinc intelligitur, cur S. Thomas (2) ex Aristotele (3) ita sit ar-

gumentatus: *Malum si sit integrum se ipsum destruet, quia destructo omni bono, (quod requiritur ad integritatem mali) subtrahitur etiam ipsum malum, cujus subjectum est bonum*; intelligitur pariter, cur Augustinus dixerit (4), *non posse malum totaliter consumere bonum*; alioquin malum semetipsum destrueret.

(1) *In dictionario*.
(2) 1. *p. q.* 49. *art.* 3. *in c.*
(3) 4. *Ethic. c.* 5.
(4) *In Enchir. cap.* 12.

ARTICULUS UNICUS

De divisione peccati.

SUMMARIA

1. *Peccatum aliud originale, aliud personale.*
2. *Aliud mortale, aliud veniale.*
3. *Aliud commissionis, aliud omissionis.*
4. *Aliud cordis, aliud oris, aliud operis.*
5. *Aliud carnale, aliud spirituale.*
6. *Aliud ignorantiae, aliud infirmitatis, aliud malitiae.*
7. *Aliud in Deum, aliud in se ipsum, aliud in proximum.*

1. Dividitur 1° peccatum in originale, et personale. Primum ex culpa primi parentis naturali propagatione in nos derivatum est. Secundum propria peccantis voluntate contrahitur. Hoc subdividitur in actuale, et habituale. Actuale est actio, vel omissio dissona regulis morum; habituale est macula ex peccato actuali in anima relicta.

2. Dividitur 2° peccatum in mortale; et veniale. Mortale est illud, quod pervertit ordinem legis aeternae, seu ordinem divinae sapientiae. Mortale autem dicitur ab effectu, eo quod animae mortem inferat per privationem gratiae sanctificantis, quae est vita animae, sicut anima est vita corporis. Veniale illud est, quod eumdem ordinem turbat. Veniale ex eo vocatur, quod veniam meretur, quia non tollit principium vitae, et veniae, nempe ipsam gratiam sanctificantem, et caritatem.

3. Dividitur 3° in peccatum commissionis, et omissionis. Primum est actio contra legem: secundum est praetermissio actionis a lege imperatae; unde illud legi prohibenti, hoc precipienti adversatur: *Duobus modis*, inquit, Augustinus (1), *constat omne peccatum; si aut fiant illa, quae prohibentur, aut illa non fiant, quae jubentur.*

(1) *Lib. de perfect. just. cap.* 3.

4. Dividitur 4° ex Hieronymo (1) in peccatum cordis, oris, et operis. Haec divisio non est semper in diversa peccata, sed saepe in diversos gradus ejusdem peccati. Idem quippe peccatum plerumque imprimis corde concipitur, mox ore se prodit, ac tandem in opus exit. Sic quandoque iracundus appetit vindictam, in convicia, et contumelias subinde erumpit,

ac demum ad facta procedit, puta percutiendo, vel occidendo.

(1) *Cap.* 18 *in Ezech.*

5. Dividitur 5° ex S. Gregorio Magno (1) in peccatum carnale, et in spirituale; quae divisio eruitur ex Apostolo ajente (2): *emundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus*. Carnale est illud, quod perficitur in delectatione carnali, quae oritur ex exteriorum objectorum in organa nostra impressione, ut gula, et luxuria. Spirituale est quod perficitur in delectatione spirituali, quae oritur ex consideratione alicujus boni commutabilis, quod anima sibi repraesentat, et eo delectatur, ut superbia, invidia etc. Quandoque tamen peccatum carnale sumitur pro peccatis circa exteriorem, et corpoream materiam versantibus: quo sensu Apostolus (3) inter peccata carnalia recenset avaritiam: latius etiam pro quibuscumque peccatis ex sensu procedentibus. Unde idem Apostolus (4) inter opera carnis numerat iras, rixas, dissensiones etc.

(1) *Lib.* 18 *moral.*
(2) *Corinth.* 7 *v.* 1.
(3) *Ad Ephes.* 5.
(4) *Ad Gal.* 5.

6. Dividitur 6° in peccatum ignorantiae, infirmitatis, et malitiae. Peccatum ignorantiae illud est, quod ex vincibili, et culpabili ignorantia procedit. Peccatum infirmitatis est illud, quod oritur ex commotione sentientis appetitus. Peccatum demum malitiae illud dicitur, quod absque passione, et ignorantia libertatem minuente committitur. Peccatum malitiae ceteris paribus gravius est peccato infirmitatis; hoc vero gravius peccato ignorantiae; quia primum est totaliter voluntarium, in secundo major voluntarii ratio reperitur, quam in tertio.

7. Dividitur demum in peccatum in Deum, in se ipsum, et in proximum. Equidem omne peccatum est contra Deum, eo quod sit violatio aeternae legis, et contra ipsum peccantem, quatenus ipsi damnum affert; verum, quum officia alia sint hominis erga Deum, alia circa semet ipsum, alia circa proximum; hinc ea peccata, quae adversantur officiis erga Deum, uti infidelitas, odium Dei, etc. dicuntur peccata in Deum: quae opponuntur officiis erga semetipsum, ut gula, luxuria etc., appellantur peccata in semet ipsum; quae demum contraria sunt officiis erga proximum, ut homicidium, furtum, etc. vocantur peccata in proximum.

CAPUT II.

De peccato originali.

ARTICULUS I.

De peccati originalis existentia.

SUMMARIA.

1. *Quaestio de peccati originalis exi-*

stentia maximi momenti est.

2. *Errores circa peccatum originale.*

3. *Existentia peccati originalis ostenditur 1° ex verbis Job.*

4. *Ostenditur 2° ex Davidis verbis.*

5. *Solvuntur objectiones numeris 5, 6. ex verbis Davidis.*

7. *Existentia peccati originalis ostenditur 3.° ex verbis Apostoli.*

8. *Solvuntur objectiones ex verbis Apostoli numeris 8, 9, 10.*

11. *Quare existentia peccati originalis non demonstretur ex traditione.*

12. *Existentia peccati originalis pluribus rationibus ostenditur.*

13. *Solvuntur objectiones ex Scripturis a n.° 13 usque ad numerum 19.*

19. *Solvuntur objectiones ex Patribus Graecis, nempe ex Justino n° 19, ex Clemente Alexandrino n. 20, ex Chrysostomo n. 21, ex Gregorio Nisseno n. 22. ex Basilio n. 23, ex Theodoreto n. 24.*

25. *Solvuntur objectiones ex Patribus latinis, nempe ex Tertulliano n. 25., ex Cypriano n. 26., ex Optato Milevitano n. 27.*

28. *Peccatum originale non est negandum, quamvis ignoretur ejus natura, modus, quo in nos traducatur, et quomodo nobis sit voluntarium. Solvuntur objectiones ex ratione numeris 29, 30, 31, 32, 33.*

1. Quaestio, quam pertractandam suscipimus, maximi momenti est, ut in ea, inquit Augustinus (1), *proprie fides Christiana consistat, et hoc qui negat*, (2) *ipsa Christianae fidei subvertere fundamenta conatur.* Neque enim sine hac peccati originalis cognitione satis homo percipere potest redemtionis nostrae Mysterium, et singulare beneficium, quo per Christum fuit a captivitate solutus; neque satis intelligere valet tot calamitates tum corporis, tum animae, quibus premitur, ideoque necessitatem, quam habet ad Deum recurrendi, divinaeque gratiae auxilium implorandi.

(1) *Lib. 2. de pecc. originali cap. 34*

(2) *Idem Augustinus lib. 1. cont. Julian. cap. 2.*

2. Peccatum originale, quod ex culpa primi parentis naturali propagatione, secluso speciali privilegio, contrahitur, negavit quarto Ecclesiae seculo Ruffinus Presbyter, ut ex actis Chartaginiensis Concilii adversus Caelestium colligitur. Errorem hunc adoptavit Pelagius, subinde ejus discipuli Julianus, et Caelestius. In eodem errore versatum fuisse Theodorum Mopsuestenum in quinque suis libris adversus Augustinum testatur Marius Mercator. Errorem ferme extinctum recoxerunt septimo seculo Armeni, et postmodum propugnarunt seculo octavo Albanenses, decimo tertio Albigenses, decimo sexto ex Novatoribus aliqui, inter quos Hulricus Zvinglius, et Joannes Vesphalus, et nostris temporibus adhuc pertinacissime retinent Sociniani. Contra hos omnes.

Dicimus, fide Catholica tenendum esse, peccatum originale in omnes,

et singulos homines transfundi.

3. Hoc fidei dogma, quod post alia concilia definivit quoque Tridentinum (1) ex veteris testamenti paginis imprimis ostenditur. *Quis potest*, inquit Iob (2), *facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* quem locum ita vertunt 70. Interpretes: *quis enim mundus a sorde? Nec unus, si et una dies vitae ejus in terra.* Fratres Poloni e teterrimo Socinianorum grege contendunt, hic sermonem haberi de sordibus corporeis parvulorum; at ibi de spirituali immunditia sermonem esse manifestum est; nam primo Iob loquitur de sordibus, quas solus Deus eluere potest; corporis ergo non sunt, quas homo abstergere potest, sed animi. Loquitur 2.° de sordibus, ob quas homo in judicium adducitur, ut patet ex verbis immediate praecedentibus: *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere tecum in judicium*; nullus autem in judicium adducitur ob immunditiam corporalem, sed solum spiritualem. Porro si ab hac immunditia spirituali nemo mundus, *nec si una dies vitae ejus in terra*, consequens est eam ab omnibus contrahi, antequam sibi sua voluntate consciverint.

(1) *Sess.* 5. *can.* 2.

(2) *Cap.* 14. *v.* 4.

4. Secundum argumentum ex his Davidis verbis (1) petitur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.*

(1) *Psal.* 50. *v.* 7.

Quid ad haec adversarii. Ajunt primo, Davidem non affirmare, se in peccato originali conceptum, sed matris suae dumtaxat peccatum commemorare. Ajunt 2.°, Davidem loqui in plurali numero *in iniquitatibus*, *in peccatis*; porro originale peccatum unum solummodo est.

5. ℟. ad primum, Davidem natum esse de Jesse viro justo, et conjuge ipsius, non vero ex adulterio; proindeque peccatum illud, de quo mentionem habet, non esse parentum peccatum, sed originale. His adde, quod David eo loci totus est in imploranda Dei misericordia, et venia suorum peccatorum obtinenda: at ad implorandam Dei misericordiam, et veniam suorum peccatorum obtinendam nihil conferre poterant peccata a suis parentibus admissa. Loquitur ergo de concupiscentiae fomite ex originali peccato prodeunte, qui in tam grave scelus eum praecipitem dederat.

6. ℟. ad secundum, in textu Hebraico, cui Chaldaica, Syriaca, et Arabica versiones concinunt, haberi: *Ecce in iniquitate formatus sum, et in peccato calefecit me mater mea.* Verum etiamsi retineatur latina versio, respondet S. Thomas (1), pluraliter dici *in iniquitatibus, et in peccatis secundum Divinae sapientiae morem, in qua frequenter pluralis numerus pro singulari numero ponitur, ut Matth. 2. defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri, licet*

ab Herode solo infantulum Jesum ad necem quaesitum fuisse legamus, quod innumeris aliis confirmari posset exemplis: vel quia in originali peccato actualia, et personalia omnia peccata, tamquam in venenato principio praeexistunt, ideoque licet sit unum numero, est tamen virtute multiplex, ratione videlicet fomitis, sive inordinatae concupiscentiae, e qua velut ex infecta radice omnia peccata oriuntur: vel quia in primi parentis peccato, quod per originem traducitur, plures deformitates fuerunt, superbiae scilicet, inobedientiae, gulae, etc.

(1) 1. 2. *q.* 82. *art.* 2. *ad* 1.

7. Tertium argumentum nobis suppeditant haec Apostoli verba (1): *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Loquitur hoc loco Apostolus de peccato, quod in omnes pertransiit sicut et mors; mors autem locum etiam habet in parvulis; ergo pariter peccatum; jam vero peccatum hoc esse non potest actuale, cujus non sunt capaces infantes; ergo originale.

(1) *Ad Rom.* 5. *v.* 12.

Huic invictissimo Apostoli testimonio plura reponunt haeretici; ac primo quidem peccatum in mundum intrasse non propagatione, sed imitatione. Ita Pelagius, et Sociniani. 2.° nomine peccati, quod per Adam intravit in mundum, intelligendum esse peccati effectum, mortem scilicet, vel pronitatem ad malum. Ita Zvinglius. 3.° verba illa *in quo omnes peccaverunt* vertenda esse cum Desiderio Erasmo, *quia omnes peccaverunt*; alioquin hiulca esset oratio, et dura. Ita Joannes Clericus.

8. Respondet ad primum D. Thomas (1): „ non posse dici, quod „ per unum hominem peccatum in „ mundum intravit per modum imi- „ tationis, quia sic peccatum non „ pervenisset, nisi ad eos, qui pec- „ cando primum hominem imitan- „ tur; et quum mors per peccatum „ in mundum intraverit, non per- „ veniret mors, nisi ad eos, qui „ peccant in similitudinem primi „ hominis peccantis. Sed ad hoc „ excludendum Apostolus subdit, „ *quod regnavit mors ab Adam us- „ que ad Moysem etiam in eos, qui „ non peccaverunt in similitudinem „ praevaricationis Adae.* Non ergo „ intellexit Apostolus, quod pecca- „ tum per unum hominem in mun- „ dum intravit per modum imita- „ tionis, sed per modum originis. „ Praeterea si tantum secundum imi- „ tationem Apostolus loqueretur de „ introitu peccati in mundum, di- „ xisset potius, per diabolum pec- „ catum intrasse in mundum, quam „ per unum hominem, sicut expresse „ dicitur Sap. 2. *Invidia diaboli mors „ intravit in orbem terrarum imitantur „ autem illum, qui sunt ex parte illius.* His adde, quod ex Apostolo eodem modo peccatum intravit in mundum, et in omnes pertransiit, sicuti mors;

haec vero non per imitationem, sed vere, et proprie, naturali scilicet propagatione in omnes promanavit.

(1) *Lib. 4. contra Gentes cap. 50.*

9. ℟. ad 2. peccati nomine intelligi non posse nec mortem, qui est praecipuus ejus effectus, nec pronitatem ad malum: non mortem; alioquin hunc sensum redderet Apostoli oratio: *per unum hominem peccatum*, nempe *mors*, *intravit in mundum*, et per peccatum, *mortem*, videlicet, *mors*; quod absurdum est: non pronitatem ad malum; alioquin per unam hanc ad peccandum pronitatem mors intrasset, ac in omnes homines pertransisset, quod maxime a Dei justitia abhorret, quum Deus non possit hominem ob solam ad malum proclivitatem, quae nullum in actum erupit, morte afficere. Deinde ex Apostolo verum, et proprium peccatum, non vero pronitas ad peccandum mortem inducit: *Stipendia peccati*, *mors* (1): Praeterea licet quandoque Apostolus peccati nomine effectum peccati intelligat, nunquam tamen per to *peccare* designat peccati effectum; porro hoc loco ait: *in quo omnes peccaverunt.*

(1) *Ad Rom. 6. v. 23.*

10. ℟. ad 3. posse nos adversus Clericum urgere Patrum traditionem, qui tam ante, quam post Augustinum textum Apostoli ita intellexerunt, prout a latino vertitur interprete. Sed demus Erasmo, et Clerico textum ita legendum esse: et *in omnes homines mors transiit*, *quia omnes peccaverunt*. Quum multi ex parvulis moriantur, admittendum ergo erit in parvulis aliquod peccatum, quod eos morti addixit; hoc esse non potest in iis personale; erit ergo originale.

11. Ut brevitati consulamus abstinemus ab urgendis adversus haereticos Patrum testimoniis, quae quisque legere poterit in pluribus scriptoribus, praesertim quum haeretici traditionem, et Ecclesiae auctoritatem pro nihilo habeant.

12. Restat nunc, ut quibusdam rationibus peccati originalis existentiam comprobemus. Prima sic proponitur. Sentiunt singuli homines, et quidem vivide in semetipsis ordinis perturbationem, summam nempe ad mala quaevis proclivitatem, et maximam ad bona quaeque imbecillitatem; haec autem ordinis in homine perturbatio a Deo esse non potest, utpote ejus perfectionibus, seu incommutabili Divinae sapientiae ordini opposita; ergo ab aliquo peccato, non quidem personali, quandoquidem hanc ordinis perturbationem parvuli ipsi, dum adolescere incipiunt, in semetipsis experiuntur; ergo ab originali. Praeterea nascitur homo obnoxius non solum pugnae carnis cum mente, verum etiam corporis morbis, aegritudinibus, doloribus, fami, siti, frigori, concupiscentiae, ita ut ex hac parte conditio ipsius sit longe deterior conditione belluarum, quae minoribus urgentur concupiscentiae, et appe-

titionum stimulis. Jam vero vitae hujus mala a Deo duobus tantum de causis immitti possunt, vel ad plectenda peccata, vel ad virtutis exercitium; quum ergo hujus vitae miseriae non possint esse parvulis ad virtutis exercitium, quia nondum libero arbitrio utuntur, sine quo esse non potest virtutis incrementum, hae miseriae ad vindictam peccati originalis parvulis infliguntur. Paucis hoc argumentum ita proponit Augustinus (1): *Quidquid igitur poenarum in hac aetate patitur parvulus, quo merito patitur, si malum ex parentibus traxerit? quum justissimus Deus poenas immeritas non infligat alicui, nec infligi sinat, nec dici possit ad exercendam virtutem parvuli, quae adhuc in eo nulla est, haec eum mala perpeti.*

(1) *Lib.* 3. *op. imperf. contra Julian. cap.* 49.

Secunda ex principiis relevatis deducitur. Constans, et perpetua traditio est, parvulos, maxime si periculum mortis immineat, baptizandos esse, et quidem in remissionem peccati (1), ut patet ex forma baptismi, qua baptizare idem est, ac abluere, atque mundare, tum ex exorcismis, quibus immundus spiritus abigitur, non alia sane ratione, nisi quia infantem per peccatum tenebat captivum. Atqui parvuli non baptizantur ob aliquod peccatum personale; ergo ob originale.

(1) *Act.* 2. *v.* 38. Baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum.

Tertia ex iisdem principiis revelatis quoque petitur: Christus est universalis omnium hominum redemtor, scribente Apostolo (1): *Unus Deus, unus et mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemtionem pro omnibus.* Quare ut unus non adultorum tantum est, sed et infantium Deus, ita et redemtor; sed et redemtio connotat captivitatem, et damnationem, damnatio peccatum; si ergo nullo originali peccato tenentur parvuli, eorum redemtor non erit Christus contra Apostoli sententiam.

(1) 1. *Ad Timoth.* 2. *v.* 5.

Solvuntur objectiones ex sacris litteris.

Objiciunt primo: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris* (1). Si ergo esset aliquod peccatum ab Adam in posteros transfusum, filii iniquitatem patris portarent, quod recitatis Scripturae verbis repugnat.

(1) *Ezech.* 18. *v.* 20.

13. ℟. Augustinum argumentum hoc torquere in adversarios: etenim anima, quae peccaverit, ipsa morietur; parvuli moriuntur; ergo peccarunt, non quidem peccato personali; ergo originali; porro hoc originale peccatum est etiam parvulorum proprium, quatenus peccante Adamo tamquam communi totius naturae capite, peccavit quilibet ejus filius; cujus moraliter voluntas, patris vo-

luntas erat, ut infra dicetur.

Objiciunt 2.° : *Ubi non est lex*, inquit Apostolus (1), *nec praevaricatio*; atqui infantes non sunt capaces legis; ergo nec peccati; nullum proinde in iis peccatum originale.

(1) *Ad Rom. cap. 4. v. 15.*

14. R/. ut jam dictum est, voluntatem patris Adami, fuisse moraliter infantium voluntatem; quum ergo Adam omnium morale caput legem sibi datam, quae ad omnia ejus membra spectabat, violaverit, eam quoque transgressi sunt infantes, utpote qui continebantur in Adamo, tamquam in capite morali generis humani.

Objiciunt 3. si propagatione, non vero imitatione transfunderetur peccatum in posteros, non dixisset Apostolus *per unum hominem peccatum intravit in mundum*, sed potius per hominem simul, et mulierem; quandoquidem propagatio absque maris, et foeminae conjunctione perfici nequit.

15. R/. Augustinus (1) 1.° hoc argumentum intorquet in Julianum. Si enim Apostolus peccati introitum adscriberet imitationi, non origini, dicere potius debuisset *per unam*, nempe Evam, quam per unum hominem, quia prior peccavit (*a muliere initium factum est peccati, et propter illam morimur omnes* (2), eamque imitantur peccantes. Deinde advertit consulto dixisse Apostolum per unum hominem, *quia sicut a muliere peccati initium fuit, sic initium generationis a viro est, quia prior vir seminat, ut femina concipiat: ideo per unum hominem peccatum intravit in mundum, quia per semen generationis intravit, quod a viro excipiens femina concepit, qui solus sine peccato est natus ex femina.* Et sane non est inusitatum in sacris litteris viro adscribere, quod ab utroque originem ducit. Sic Apostolus (3) dicit, Isaac, Jacob, et ceteros Patriarcas ab uno Abraham ortos esse, licet etiam a Sara fuerint geniti.

(1) *Lib. 2. op. impecfecti.*

(2) *Ecclesiast. 25. v. 33.*

(3) *Ad Hebraeos cap. 11. v. 12.*

Objiciunt 4.° Apostolus scribit (1): *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt*; ergo non omnes peccarunt; sola itaque imitatione peccatum intravit in mundum.

(1) *Ad Rom. cap. 5. v. 14.*

16. Respondet S. Thomas (1), Apostolum non solum dixisse in eos, qui non peccaverunt, sed addidisse *in similitudinem praevaricationis Adae*; idest qui non peccaverunt proprio actu, et voluntate, uti sunt infantes.

(1) *Lec. 3. in cap. 5. epist. ad Rom.*

Objiciunt 5.° Apostolus (1) inquit: *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituuntur multi.* Atqui multi solum fiunt justitiae Christi participes, Christo obe-

diendo, eumque imitando, ita multi quoque, et non omnes peccati Adae communione polluuntur, per peccata voluntate propria eum sectando.

(1) *Ad Rom. cap.* 5. *v.* 19.

17 ℟. cum Augustino (1) Apostolum *multos* posuisse, quos antea dixerat omnes. Sic versiculo 12 dixerat per peccatum unius mortem *in omnes homines* pertransisse, et in uno *omnes peccasse*, et v. 18. immediate antecedenti versiculum 19. nobis objectum: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem.* Non solum autem in loco nobis objecto, verum etiam in aliis Scripturae locis, vox *multi* sumitur pro *omnibus*. Sic Christus de Magdalena dixit (2): *Remittuntur ei peccata multa* idest omnia. Promiscue autem usurpavit omnes, et multos, ut ostenderet omnes esse multos, quum saepe contingat omnes non esse multos: Sic dicimus omnia Evangelia, quae tamen multa non sunt, sed quaternario numero continentur. Eo autem tendit instituta comparatio ab Apostolo, ut quemadmodum omnes, qui spiritualiter regenerantur in Christo, justi constituuntur, ita omnes, qui carnaliter ex Adamo procreantur, peccatores constituuntur. Dum autem docet Apostolus (3) gratiam Christi in multo plures abundasse, quam peccatum Adae, hoc sibi voluit, gratiam nempe Christi majorem vim habere, quam peccatum Adae, quia non solum valet ad remittendum peccatum originale, verum etiam ad delenda peccata postmodum a posteris propria voluntate perpetrata. Hanc esse Apostoli mentem colligitur ex verbis subsequentibus: *judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem* (4).

(1) *Lib.* 6 *contra Julianum cap.* 12

(2) *Lucae* 7. *v.* 47.

(3) *Ad Rom. cap.* 5. *v.* 15.

(4) *Ibid. v.* 16.

Objiciunt demum Apostolus (1) ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, pro ut gessit sive bonum, sive malum.* Atqui infantes nihil in corpore gesserunt; perperam igitur originalis noxae participes traducuntur.

(1) 2. *Ad Corinth. c.* 5. *v.* 10.

18. ℟ pariter cum Augustino (1), Apostolum in toto eo capite agere de adultis, ut patet ex his verbis: *propria corporis, pro ut gesserunt, sive bonum, sive malum*, nempe damnandi, vel praemio afficiendi ante tribunal Christi pro criminibus, vel recte factis.

(1) *Lib.* 6. *contra Julianum cap.* 10

Solvuntur objectionem ex Patribus.

Brevitati studentes objectiones ex Patribus unica oratione proponimus. Opponunt 1° Justinum M. (1), qui sententiam illam Jobi: *Nemo mundus a sorde, nec infans etc.*, qua usi su-

mus ad ostendendam originalis noxae existentiam, negat ad parvulos pertinere. 2° Clementem Alexandrinum scribentem (2): *Ubi fornicatus est infans, vel quomodo sub Adae cecidit execrationem, qui nihil est operatus*, ac subinde docentem illud Davidis: *Et in peccatis concepit me mater mea*, non in Davidem, qui non fuit *ipse in peccato*, nec ipse *peccatum*, sed in Evam omnium viventium matrem dumtaxat quadrare. 3° Joannem Chrysostomum, (3) qui scribit, baptizari *infantes*, non quia *sunt inquinati* peccato, sed *ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio*. Et (4) illud Apostoli: *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*, intelligit de morte corporeâ, non vero spiritus, inquiens: *Quod Adam mortuo omnes sunt mortales effecti*. *Per Adae delictum* (5) *nos minime perire*, nec (6) omnes *in Adam morte peccati mortuos esse*, atque (7) *corpus nostrum peccato Adae corruptibile quidem factum esse, animam tamen non labefactari, nisi peccatis post baptismum admissis*.. 4° Gregorium Nissenum, qui tradit pueros in infantia mortuos *omni malitia vacare*. 5° Basilium Magnum, qui ait, naturam nostram, licet ad nos carnali propagatione derivatam, *malam, perversamque non esse*. 6° Demum Theodoretum (8), qui fatetur, baptizari parvulos, *etsi peccatum nondum gustaverint*.

(1) *In l. quaest. ad Orthodoxos q.* 88.

(2) *Lib.* 3. *Strom.*

(3) *Hom.* 10. *ad Neophitos.*

(4) *Hom.* 10. *in cap.* 5. *epist. ad Rom.*

(5) *Hom.* 17. *in Ep.* 1 *ad Corinth.*

(6) *Hom.* 39. *in eamdem ep.*

(7) *Hom.* 24. *in ep. ad Eph.*

(8) *Lib.* 5. *haeretic. fabul. cap.* 18.

19. ℟. ad primum, librum illum quaestionum nobis objectum non esse genuinum Justini faetum, eo quod mentionem faciat Irenaei, Origenis Justino posteriorum, et Manichaeorum, qui integro seculo Justinum subsecuti sunt.

20. ℟. ad 2, Clementem Alexandrinum eo loci refellere Encratitas, qui docebant animas ante corpora fuisse creatas, et ob culpas admissas in alia corpora fuisse intrusas, ut punirentur; unde ajebat: *Ubi fornicatus est infans natus*, prius quam scilicet corpori uniretur, vel *quomodo sub Adae cecidit execrationem, qui nihil est operatus*, in alia nempe vita, quam Encratitae comminiscebantur? Dum autem addit illud Davidis: *Et in peccatis concepit me mater mea*, in Evam tantum, communem omnium matrem, non vero in Davidem cadere, qui *etsi in peccatis conceptus, sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum*, tacite insinuat peccatum originale per illa verba *etsi in peccatis conceptus*, non tamen ipsum esse *in peccato, vel esse peccatum*, quia ejus anima nec ante corporis sui formationem extiterat, nec in alio corpore jam peccaverat. Ceterum Clemens

peccatum originale agnovit, quum scripserit (1), baptismum esse *lavacrum per quod peccata abstergimus*, *et gratiam*, *qua remittuntur poenae*, *quae peccatis debentur.*

(1) *Lib.* 1. *Pedagogi cap.* 6.

21. Respondet ad 3. Augustinus (1), in primo textu Chrysostomum loqui solum de peccatis actualibus, quibus non sunt coinquinati parvuli, idque colligit ex graeco textu, qui ita latine vertitur: *Ideo et infantes baptizamus*, *quamvis peccata non habentes*, ubi sane peccata actualia, et propria designat; deinde addit idem Augustinus: *At*, *inquies*, *cur non ipse addidit propria? cur putamus*, *nisi quia disputans in catholica Ecclesia non aliter se intelligi arbitrabatur*, *tali quaestione non pulsabatur*, *vobis nondum litigantibus securius loquebatur*. Observare tamen juverit hoc loco, in editione operum Chrysostomi Basileensi anno 1531, Antuerpiensi 1553, Parisiensi 1556 haberi: *Hac de caussa infantulos baptizamus*, *ut non sint coinquinati peccato*; qua lectione admissa evanescit omnis difficultas.

(1) *Lib.* 1 *contra Julianum cap.* 6.

Instabis. Chrysostomus (1) scribit, baptizari infantes, ut *iis addatur sanctitas*, *justitia*, etc.; ergo credidit, ante baptismum jam fuisse sanctos, et proinde immunes a quovis peccato.

(1) *Hom. ad Neophitos.*

℟. Chrysostomum eo loci impugnare eos, qui asserebant, *caelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere*; hinc nil mirum, si scripserit baptizari infantes, ut eis addatur sanctitas, remissioni scilicet peccatorum, quam ejus adversarii tantum admittebant.

Secundum Chrysostomi testimonium facile explicabitur, si advertas in eadem epistola, quae nobis objicitur, peccatum originale admisisse docentem, per primi hominis peccatum *omnia fuisse contaminata*; atque primum illud peccatum, sicut et personalia *per gratiam Christi interfici*, *atque tolli*, *et quotquot in Christo baptizantur*, *peccato mori*: *uno non obediente Adam universum orbem condemnatum esse*. Dum igitur scribit vocem *peccatores* in testimonio Apostoli tantumdem significare, *supplicio obnoxios*, *atque mortis reos* effectum admisit, caussam vero, nempe originariam noxam, non exclusit.

In tertio Chrysostomi testimonio: *nos Adae delicto non perire*, *neque omnes Adae peccato mortuos esse*; quum ibi afferat exempla Noe, Abrahae, Job, aliorumque justorum, sensus hic est, licet omnes ex Adamo originale peccatum trahant, non tamen omnes ex eo perire, quum multi a morte aeterna immunes evaserint, uti Noe, Abraham, etc.

Postremum denique Chrysostomi testimonium latine redditum nobis non nocet, sed favet. En verba e graeco textu in latinum versa: *Corruptibile*, ait, *nobis est corpus*, *incorruptibilis anima*: *ne itaque et ipsam corrumpa-*

mus: hoc primum peccatum fecit, quod est autem post lavacrum, potest pariter animam corrumpere, et efficere, ut facile capi possit a verme immortali. Vides, Chrysostomum diserte asserere, peccatum originale corrupisse corpus, et animam; et post lavacrum, idest baptismum idem praestare posse peccatum mortale.

22. ℟. ad 4, Gregorium Nissenum aperte omnino peccatum originale admisisse (1), ideoque dum scribit, *infantes omnis malitiae expertes esse*, loquitur de infantibus jam baptizatis.

(1) *In l. de vita Mosis.*

23. Respondet ad 5 Augustinus (1) advertens, Basilium Magnum eo loci agere adversus Manichaeos, qui perverse sentiebant *de gente tenebrarum, quam malam naturam dicunt Deo coaeternam, originem habere corpora, atque ipsa esse immutabilia mala.* Sentit ergo Basilius, et nos cum ipso, naturam humanam a Deo optimo conditam bonam esse, licet ad nos corrupta pervenerit ob Adae peccatum.

(1) *Lib.* 1 *contra Julianum cap.* 5. *n.* 17.

24. ℟. ad 6, Theodoretum ibi agere adversus Messalianos, qui docebant, originale peccatum sola oratione, actualia vero baptismate deleri; ut ergo eos refellat, advertit, baptizari parvulos, qui peccatum, actuale scilicet *nondum gustaverunt*, ut inde concludat, originale peccatum non sola oratione, sed baptismate dimitti.

Illud autem hic erit advertendum, verba haec Theodoreti, (1) quae nobis quoque objiciuntur: *Ad omnes mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt; non enim propter primi hominis peccatum, sed propter suum quisque mortis decretum suscepit*, hunc habere sensum, peccatum originale non solum Adamo, sed unicuique proprium esse; alioquin infantes mortis decretum suscipere non debuissent, utpote peccato proprio personali destituti.

(1) *In cap.* 5. *Rom.*

Diluimus jam argumenta a graecis Patribus petita, nunc dissolvenda argumenta a Patribus latinis depromta. Objiciunt 1° Tertullianum, qui (1) tradit, solam Ethnicorum nativitatem esse immundam, filios autem fidelium procreari sanctificatos; ideoque contendit (2), baptisma parvulorum, utpote innocentium, esse differendum: *Quid festinat*, inquit, *innocens natus ad remissionem peccatorum.* 2° Cyprianum, qui scribit, non prohibendum a baptismo infantem, qui *nihil peccavit*, nisi quod *contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit*: corpoream ergo mortem non vero spiritualem, Cypriano auctore, ab Adamo traxerunt. 3° Optatum Milevitanum scribentem (4), *ad Seth Adae filium non pertinuisse patris sui Adae delictum.*

(1) *Lib. de an. cap.* 39.
(2) *Lib.* 1 *de baptismo c.* 18.
(3) *In ep. ad Fidum.*
(4) *Lib.* 7.

25. ℟. ad 1. Tertullianum pecca-

tum originale agnoscere pluribus in locis; unde dum docet filios infidelium nasci immundos, fidelium autem sanctificatos, hoc tantum sibi vult, fidelium scilicet filios sanctificatos nasci, quatenus nascuntur in ea Religione, quae lavacrum habet, quo statim ab utero exeuntes sanctificari possunt, non tamen sic de filiis infidelium, qui in *partu jam Lucinae*, *Dianaeque devoventur*; dum autem scribit, differendum esse baptisma parvulis, ideo in hanc sententiam concessit, quia credebat *cunctationem baptismi utiliorem esse*, quia parvuli *Christum* nosse poterant, non quod peccatum originale negaret. Etenim (1) docet *infantes*, *si periclitentur ungendos absque mora baptismo*, *quia sine eo nemini salus competit*, *quia omnes animae immundae*, *et peccatrices sunt*, *ignominiam recipientes ex carnis societate*, *donec in Christo recenseantur*. Appellat ergo infantes innocentes, quia nondum sua se voluntate inquinarunt.

(1) *Lib. de testim. an. cap.* 3 *et aliis locis.*

26. ℟. ad 2 nobis favere Cyprianum, si integer textus exscribatur. *Si etiam*, ita scribit ad fidum dubitantem, an parvuli ante octavum diem essent baptizandi, *gravissimis delictoribus*, *et in Deum multum ante peccantibus*, *quum postea crediderint*, *remissa peccatorum datur*, *et a baptismo*, *atque a gratia nemo removetur*, *quanto magis prohiberi non debet infans*, *qui recens natus nihil peccavit*; *nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit*? *qui ad remissam peccatorum accipiendam tanto facilius accedit*, *quod illi remittuntur non propria*, *sed aliena peccata*. Si ergo ex Cypriano remissa peccatorum per baptismum datur multum peccantibus, quanto magis danda erit infanti, qui *nihil peccavit*, actualiter scilicet, et peccatum originale non sit proprium, idest voluntate propria admissum; alioquin si nullum admisisset peccatum originale in infantibus, cur dixit eos *ad remissam peccatorum accipiendam accedere*, additque eo loco, eos *egere misericordia Dei*, *eorumque animas*, *si sine baptismo decesserint*, *perdi*?

27. ℟. ad 3, Optatum Milevitanum ibi sermonem habere de *traditoribus*, atque ostendit exemplo Seth, viri justi, ad quem delictum personale patris sui Adae non pertinebat, impietatem eorumdem *traditorum* non nocere iis, qui in eorum scelera non conspiraverant. Non aliam esse Optati mentem inde colliges, quia scribit (1) *omnem hominem*, *qui nascitur*, *etiam si de Christianis parentibus nascatur*, *sine immundo spiritu non esse*.

(1) *Lib.* 4.

Solvuntur objectiones ex ratione.

28. Antequam argumenta ex ratione dissolvamus, advertendum erit, argumenta haec non aliunde peti, quam ex eo, quod nos lateat mo-

dus, quo originale peccatum in nos ab Adamo traducatur, quomodo sit nobis voluntarium, et quomodo non ex creatione, sed ex corpore, cum quo jungitur, illud trahatur; verum si ex eo quod ignoratur modus, quo aliquid fiat, ejus existentia esset neganda, commercium pariter animae cum corpore negandum esset, quum non innotescat modus, quo anima in corpus, et corpus in animam agat, neganda quoque adhaesio partium in corpore, quum notum non sit, quomodo, et qua vi partes illae inter se cohaereant. Nemini autem mirum esse debet praedicta de peccato originali ignorari, cujus notio et ratio divinae Sapientiae arcanis recondita est; unde ajebat Augustinus (1): *Ego istam quaestionem profundam sentio, et ad ejus fundum rimandum vires meas idoneas non agnosco. Libet me et hic exclamare quod Paulus; o altitudo divitiarum! parvulus non baptizatus pergit in damnationem (Apostoli enim verba sunt ex uno in condemnationem) non satis invenio dignam caussam, non quia non est, sed quia in profundo est, et profunda. Ubi ergo non invenio in profundo profundum, attendere debeo humanam infirmitatem, non damnare divinam auctoritatem, ego prorsus exclamo, nec me pudet; o altitudo divitiarum!*

(1) *Serm.* 294. *de verbis Apost.*

Objiciunt 1. Si peccatum originale carnali propagatione traduceretur, malae essent nuptiae, utpote illius caussa, quum nequeat bona esse arbor, quae malos fructus facit.

(1) *Math.* 7. *v.* 18.

29. ℟ traductionem peccati originalis Apostolum Paulum adscribere non nuptiis, quae generandi caussa institutae sunt, sed primo homini; per eum enim *peccatum in hunc mundum intravit . . . . in quo omnes peccaverunt. Nuptiae*, inquiebat Augustinus (1), *institutae sunt caussa generandi, non peccandi: peccatum autem, quod a nascentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, sed ad malum, quod accidit hominibus, quorum conjunctione sunt nuptiae*. Quare non nuptiae, sed primum illud Adae peccatum erit arbor illa mala, ex qua tam exitiales fructus existunt.

(1) *Lib.* 2 *de nuptiis cap.* 25.

At reponunt: homo tenetur abstinere ab actione, ex qua peccatum inde provenit; ergo conjuges tenebuntur abstinere ab usu rei uxoriae, ex quo tantum malum traducitur.

30. ℟. conjuges habere justam caussam vacandi rei uxoriae; quia *melius est*, inquit Angelicus, (1) *proli sic esse secundum naturam, quam nullo modo esse*. Adde conjuges cooperari aeterno Dei decreto, quo voluit in tempore, supposito peccato protoparentum, homines futuros peccato originali inquinatos.

(1) 1. 2. *q.* 83. *art.* 1. *ad* 5.

Instabis. Injustus ergo Deus, qui voluit, tot homines innocentes propter unius hominis peccatum nasci eodem peccato infectos, aeternaeque morti obnoxios.

31. ℟ Deum condidisse hominem liberum, in eoque posuisse omnium sortes, ita ut si bene libero arbitrio fuisset usus, originalem justitiam, ceteraque dona in totam posteritatem diffunderet, si autem male, se, et suam posteritatem perderet, injustus ergo non Deus, sed primus homo, qui libero arbitrio male utens suam, et posterorum voluit perditionem; praenovit quidem Deus inficiendam animam, dum eam infundit in corpus; at quum hujusmodi infectio non oriatur ex vi infusionis, sed ex praevaricatione primi parentis. *Praevaricatio hominum*, acute respondebat Prosper (1), *dispositae a seculis creationis ordinem turbare non potest*; et Angelicus (2): *Bonum commune praefertur bono singulari; unde Deus secundum suam sapientiam non praetermittit universalem ordinem rerum, qui est ut tali corpori talis anima infundatur, ut vitetur singularis defectus, seu infectio hujus animae, praesertim quum natura animae hoc habeat, ut esse non incipiat nisi in corpus, ut in primo habitum est. Melius est autem ei sic esse secundum naturam, quam nullo modo esse, praesertim quum possit per gratiam damnationem evadere*.

(1) *Ad quartam objectionem Vincentianam.*

(2) 1. 2. *q.* 83. *art.* 1. *ad* 5.

Instabis: ex dictis *non peccat ille, qui gignit, non peccat ille qui nascitur, non peccat ille, qui condidit*: *per quas ergo rimas inter tot praesidia innocentiae peccatum fingitur ingressum*. Ita Julianus.

32. ℟. Augustinus (1); " quid quaerit latentem rimam, quum habeat " apertissimam januam? *per unum hominem*, ait Apostolus, *per unius delictum*, ait Apostolus, *per unius inobedientiam*, ait Apostolus. Quid " quaerit amplius? quid quaerit apertius? quid quaerit inculcatius.

(1) *Lib.* 2 *de nuptiis cap.* 28.

Instabis: Adam poenitentiam egit de peccato suo, et quidem probabilius, ante quam prolem haberet; non potuit ergo peccatum, quod non habebat, in posteros transfundere.

33. ℟. Adam peccando excidisse a dignitate capitis; unde nil mirum, si per suam poenitentiam non potuit reparare malum, quod in posteros trasfuderat. Quamvis Adam, et parentes baptizati amplius non habeant peccatum originale, illud tamen in posteros transmittunt; quia *quum parentes*, ait Angelicus (1), *generent secundum corpus, non secundum mentem, nec quatenus sunt per baptismum renovati, sed quatenus de vetustate primi peccati aliquid in mortali corpore retinent, ideo licet baptizati, et sancti, peccatum originale in prolem traducunt*. Et Augustinus (2): *Miraris, quare peccator nascatur de semine justi, et non te delectat mirari, quare oleaster nascatur de semine olivae. Accipe aliam similitudinem: Non attendis, quia de grano frumentum cum palea nascitur, sine qua seminatur. Ideo de baptismo*

non justus nascitur, quia non generat unde regeneratus est, sed unde generatus est.

(1) 1. 2. *q.* 81. *art.* 3. *ad* 2.

(2) *Serm.* 14. *de verbis Ap. cap.* 16

ARTICULUS SECUNDUS

De modo, quo peccatum originale in posteros traducitur, ipsisque est voluntarium.

SUMMARIA

1. *Probatur sententia S. Thomae circa modum, quo peccatum originale traducitur in posteros.*
2. *Probatur quoque sententia S. Thomae circa modum, quo peccatum originale nobis est voluntarium.*
3. *Peccatum originale est unicuique homini proprium.*

1. Inter varias Theologorum de hac re sententias nobis maxime arridet sententia S. Thomae, qui (1) scribit, *primo homini in sua institutione collatum fuisse quoddam supernaturale donum, justitiam nempe originalem, qua ratio subjiciebatur Deo, et vires inferiores rationi, et corpus animae, hocque donum non fuisse tributum Adae, ut singularis persona erat, sed ut totius naturae principium, et caput erat, ut ab eo per originem derivaretur in posteros: hoc autem donum primus homo per liberum arbitrium peccans amisit ea ratione, qua sibi datum fuerat, pro se videlicet, et tota sua posteritate. Hujus ergo doni defectus totam ejus posteritatem consequitur, et eo modo in omnes ejus posteros traducitur, quo traducitur humana natura, quae non secundum se totam ab Adamo propagatur, sed solum secundum partem, idest secundum carnem, cui naturali lege anima infunditur, ideoque sicut anima divinitus infusa ad humanam naturam ab Adamo derivatam pertinet propter carnem, cui conjungitur, ita et praedictus originalis justitiae defectus ad animam pertinet propter carnem ab Adamo propagatam non solum secundum corpoream, sed etiam secundum seminalem rationem, idest non solum materialiter, sed etiam tamquam ab universali activo principio.*

(1) *Q.* 4. *de malo art.* 1.

2. Sic explicata peccati originalis in posteros traductione, alibi (1) exponit, quomodo ipsis sit voluntarium, atque ita disserit: *Omnes homines, qui nascuntur ex Adam, possunt considerari, ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt . . . . ita ut multi homines ex Adam derivati, sicut tamquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animae, quae primo movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se, ut divisa a corpore, sed imputatur ei, in quantum*

est aliquid hominis, quod movetur a principio motivo hominis. Haec igitur inordinatio, quae est in isto homine ex Adam generato non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas movet omnia membra ad actum. Unde sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum; ita peccatum originale non est peccatum hujus personae, nisi in quantum haec persona recipit naturam a primo parente: unde et vocatur peccatum naturae secundum illud Ephes. 2. eramus natura filii irae.

(1) 1. 2. *q.* 81. *art.* 1.

3. Ex his consequitur, primo peccatum originale esse unicuique homini proprium, sicut Tridentinum declaravit (1), eo modo, quo homicidium non solum est ipsius hominis, sed etiam proprium manus, a qua procedit. *Dicimus*, inquit S. Thomas (2), *motum, quo manus homicidium committit, culpabilem non esse, si manus per se consideretur, quum manus necessario ab alio moveatur, neque sit libera secundum se; si vero manus consideretur, ut pars totius hominis voluntarie agentis, motum illum manus culpam esse dicimus, quia sic est liber, et voluntarius.* Hinc intelligitur, quare Apostolus scripserit, *in quo omnes peccaverunt* (3), quae verba non nisi de peccato proprio intelligi possunt; proindeque errasse Albertum Pichium, dum scripsit, nos ab Adae peccato peccatores *extrinsece nominari*. Paulus enim ait (4), *quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, non dixit quum adhuc peccatores diceremur.

(1) *Sess.* 5. *can.* 3.
(2) *Q.* 4. *de malo.*
(3) *Ad Rom.* 5. *v.* 12.
(4) *Ad Rom.* 5. *v.* 8.

ARTICULUS TERTIUS

De peccati originalis natura.

SUMMARIA.

1. *Referuntur sententiae circa originalis peccati naturam, et primo sententia Matthiae Flacci.*
2. *Refertur* 2° *sententia Gregorii Ariminensis.*
3. *Refertur* 3° *sententia Novatorum, eaque primo refellitur ex verbis Apostoli.*
4. *Distinctio a Luthero in hac re excogitata nullius momenti est.*
5. *Novatorum sententia refellitur* 2° *ex verbis Augustini.*
6. *Solvitur objectio ex verbis Apostoli.*
7. *Solvitur objectio petita ex praeceptis Decalogi.*
8. *Solvuntur objectiones ex Augustino numeris* 8, 9, 10.
11. *Solvitur objectio ex S. Thoma.*

12. *Solvitur objectio ex ratione.*
13. *Refertur sententia S. Thomae, quae nobis arridet.*
14. *Quid sit justitia originalis, et quid complectatur.*
15. *Peccatum originale non est actuale Adami peccatum.*
16. *Probatur prima pars sententiae S. Thomae, nempe peccatum originale formaliter consistere in privatione justitiae originalis.*
17. *Probatur secunda pars, nempe peccatum originale materialiter esse ipsam concupiscentiam.*
18. *S. Thomas hoc loco non loquitur de materiali proprie dicto.*
19. *Peccatum originale formaliter est aequale in omnibus, non autem materialiter.*
20. *Peccatum originale sub diverso respectu est peccatum, et poena peccati.*

1. Circa naturam peccati originalis, quo *nihil est*, Augustino teste (1), *ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius*, variae fuerunt sententiae. Mathias Flaccus Illiricus, rigidiorum Lutheranorum antesignanus censuit, originalis peccati naturam constituendam in mala quadam, ac perversa substantia. Sententia haec ex antea dictis corruit. Demonstravimus enim peccatum non in substantia quadam, pro ut arbitrabantur Manichaei, sed in boni privatione reponendam esse. His adde, quod substantia haec esse non potest, nisi creetur; Deus ergo hujus substantiae, ideoque peccati auctor erit, et creator.

(1) *Lib. 1. de moribus Eccl. cap. 22*

2. Sententiae Mathiae Flacci affinis est sententia quorumdam catholicorum; Gregorii nempe Ariminensis, Richardi etc., qui peccati originalis naturam collocarunt in morbida quadam qualitate. De hac sententia nihil dicimus, quia jam inolevit.

3. Tertia sententia est Novatorum statuentium naturam peccati originalis collocandam esse in concupiscentia, pro ut est proclivitas in malum, quae quum in baptizatis remaneat, hinc arbitrantur peccatum originale per baptismum non auferri, sed tegi dumtaxat, seu non imputari; unde colligunt, motus concupiscentiae prorsus indeliberatos, *utpote ex natura corrupta, et polluta prodeuntes, esse peccata* (1).

(1) *Calvinus lib. 3 instit. cap. 3.*

Sententia haec Novatorum primo sacris litteris adversa est. Apostolus enim (1) scribit, *nihil esse damnationis iis, qui sunt in Christo Jesu.* Atqui in baptizatis concupiscentia remanet; concupiscentia ergo non erit peccatum.

(1) *Ad Rom. 8. v. 1.*

Quid ad haec Lutherus? reponit Apostolum non dixisse, nihil peccati esse in baptizatis, sed nihil damnationis, quia concupiscentia justorum, etsi peccatum sit, ipsis tamen ex Dei misericordia non imputatur. Sed quaero a Luthero, unde efficiamur damnatione digni? nonne solo peccato?

Si ergo nulla damnatio in baptizatis, ergo nullum amplius remanet peccatum. Unde Augustinus (1): *Nulla est damnatio his, qui sunt in Christo Jesu, quoniam non damnatur, nisi qui concupiscentiae carnis consentit in malum.*

(1) *Lib.* 1. *cap.* 10 *contra duas epist. Pelagian.*

Praeterea Apostolus baptizatos vocat filios dilectionis Dei, et cohaeredes Christi; at Deus, *qui odio habet omnes, qui operantur iniquitatem* (1): *cui odio est impius, et impietas ejus* (2), numquam baptizatos diligere posset, eosque sui regni heredes facere, si adhuc in ipsis peccatum permaneret. *Quae enim*, ait idem Apostolus, *societas luci ad tenebras? quae conventio Christi ad Belial?* (3).

(1) *Psal.* 5. *v.* 7.

(2) *Sap.* 14. *v.* 9.

(3) 2 *Corinth.* 6. *v.* 14.

4. Nullius autem momenti est distinctio a Luthero excogitata scribente, *aliud esse peccata remitti, aliud peccata tolli, remitti in baptismo peccata, non tolli.* Etenim quid aliud sibi vult Ioannes evangelista, dum scripsit (1): *Scitis quia ille apparuit, ut peccata tolleret*, et Baptista (2): *Ecce qui tollit peccata mundi?* baptismo ergo non solum remittuntur, seu in sensu Lutheri, non imputantur peccata, sed abolentur prorsus, et tolluntur. Hinc nihil mirum, si Tridentinum anathemate ferit (3) omnem, qui asserit, per baptismum *non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet.*

(1) *Ep.* 1. *cap.* 3. *v.* 5.

(2) *Ioannis* 1. *v.* 29.

(3) *Sess.* 5. *can.* 5.

5. Sententia Novatorum secundo non solum sacris litteris, sed et Augustino, in quo maxime triumphant, contraria est. Ipse autem explicans illud (1): *De corde exeunt cogitationes malae, homicidia etc.* Sic scribit (2): *Posito igitur ostio continentiae in ore cordis, unde cuncta exeunt, quae coinquinant hominem, si nihil tale inde permittatur exire, sequitur mundita, qua possit jam gaudere conscientia; quamvis nondum sit illa perfectio, ubi non luctabitur cum vitio incontinentiae. Nunc autem quamdiu concupiscit caro adversus spiritum, satis est nobis non consentire malis, quae sentimus in nobis.*

(1) *Matth.* 15. *v.* 19.

(2) *Lib. de continentia cap.* 2.

Objiciunt 1° Apostolum, qui pluribus in locis concupiscentiam appellat peccatum; ergo etc.

6. ℟. cum Tridentino (1), Apostolum concupiscentiam vocare peccatum, *quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.* Hanc responsionem Tridentini patres mutuarunt ab Augustino, qui docet concupiscentiam *vocari peccatum, quia a peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum; sic vocatur lingua locutio, quam facit lingua, et manus vocatur scriptura, quam facit manus.* Similia alibi scribit (3).

(1) *Sess.* 5. *can.* 5.

(2) *Lib.* 1 *de nuptiis, et concupiscentia.*

(3) *Lib.* 1 *contra duas ep. Pelagianorum.*

Objiciunt 2° Omnes concupiscentiae motus prohibentur praecepto: *non concupisces*; Atqui non prohibentur, nisi peccata; ergo etc. Sane sexto: *Non maecaberis, et* 7°. *Non furtum facies* prohibentur actus deliberati, et voluntarii; ergo 9, et 10 prohibentur actus indeliberati, et involuntarii.

7. ℟. hoc praeceptum: *Non concupisces* similibus verbis efferri, ac praecepta: *Non occides*: *Non feres falsum testimonium*. Sicut ergo haec praecepta solos prohibent actus voluntarios, ita et praeceptum: *Non concupisces.* Porro sexto praecepto, et septimo prohibentur adulterium, et furtum opere perfecta, 9., et 10. mente concepta; ideo autem hoc factum est, quia *nimirum*, ait S. Thomas (1), *delectatio adulterii, et utilitas divitiarum sunt per se ipsa appetibilia, in quantum habent rationem boni delectabilis, vel utilis, et propter hoc oportuit in eis prohiberi non solum opus, sed etiam concupiscentiam; sed homicidium, et falsitas sunt secundum se ipsa horribilia, quia proximus, et veritas naturaliter amantur, et non desiderantur, nisi propter aliud; et ideo non oportuit circa peccatum homicidii, et falsi testimonii prohiberi peccatum cordis, sed solum operis.*

(1) 1. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 5.

Objiciunt 3° Augustinum, qui pluribus in locis docet, hoc praecepto: *Non concupisces* prohiberi omnes, et quoscumque motus involuntarios; sic enim scribit (1): *Si autem concupiscis quidem, quod lex vetat, cum dicit: non concupisces; servas tamen aliud, quod item lex jubet: post concupiscentias tuas non eas, mente spiritalis es, carne carnalis.* Et alibi (2): *Non implet legem infirmitas mea, sed laudat legem voluntas mea.*

(1) *Serm.* 154. *de verbis Apost. cap.* 6.

(2) *Ibid. cap.* 7.

8. ℟. Augustinum asserere, motus concupiscentiae indeliberatos prohiberi hoc praecepto: *Non concupisces*, non quia vere, et proprie sint peccata, sed quia repugnant fini, et perfectioni, in quam lex tendit, nimirum in illam summam perfectionem, et absolutam subjectionem inferioris partis erga superiorem. Hanc esse Augustini mentem colligimus ex variis ejus testimoniis, et praesertim ex hoc (1): *Ad eam consummationem quandoque veniemus, ubi peccati concupiscentia non cohibenda, atque frenanda, sed nulla sit. Hoc enim lex posuit dicendo, Non concupisces; non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus.*

(1) *Ep.* 196. *ad Asellicum.*

Objiciunt 3° Melancton, et alii Augustinum scribentem (1), *pecca-*

tum quidem in baptismo remitti, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.

(1) *Lib. 1. de nupt. et. concupiscent.*

9. ℟. Melanctonem, aliosque Novatores fraudem adhibere; non enim Augustinus scripsit peccatum, sed concupiscentiam in baptismo remitti etc.

Objiciunt 4.° Augustini testimonium, in quo maximopere exultant: *Concupiscentiam carnis*, ait ille (1), *adversus quam bonus concupiscit spiritus, et peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, et poena peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, et caussa peccati est defectione consentientis, vel contagione nascentis.*

(1) *Lib. 5. contra Julianum cap. 3.*

10. ℟. Augustinum eo loci agere adversus Julianum, qui ex eo quod Augustinus dixerat, in regeneratis concupiscentiam non esse peccatum, inde colligebat bonam esse, et laudandam; unde Augustinus rectissime statuit, concupiscentiam peccatum esse, seu malam, et inordinatam esse, quia *inest illi inobedientia contra dominatum mentis*, non tamen *in peccatum imputatur*, ut ipse scribit alio loco, (1) quia homini voluntaria non est.

(1) *Lib. de nuptiis, et concup.*

Objiciunt 5.° S. Thomam, qui docet (1), motum sensualitatis rationem praevenientem esse peccatum, tum Christum (2) voluisse *tentari a diabolo, non a carne, quia tentatio, quae est ab hoste potest esse sine peccato; tentatio autem, quae est a carne, non potest esse sine peccato.*

(1) 1. 2. *q.* 74. *art.* 3. *ad* 3.

(2) 3. *p. q.* 41. *art.* 1. *ad* 3.

11. ℟. ad primum S. Thomam loqui de motu sensualitatis praeveniente quidem rationem plene deliberatam, subsequente tamen semiplenam. Nam in loco nobis objecto ait S. Doctor, motum sensualitatis rationem praevenientem esse actum humanum, sed imperfectum; at sexcentis in locis docet, actum non posse dici humanum, nisi aliqua ratione praeluceat cognitio motivorum, et finis. *Primus motus sensualitatis*, inquit (1), *non habet, quod sit peccatum, nisi in quantum judicio rationis reprimi non potest.*

(1) 2. 2. *q.* 154. *art.* 5.

℟. ad secundum S. Thomam ibi docere tentationem, quae est a carne esse non posse in homine sine peccato, materiali scilicet, seu concupiscentia, seu virium animae inferiorum deordinatione; unde haec tentatio supponit, peccatum originale contractum fuisse ab eo, qui tentatur; at quum Christus nullum contraxerit peccatum originale, nulla quoque fuit in eo concupiscentia; ideoque non potuit esse subjectus tentationi, quae est a carne.

Objiciunt 6.° motus concupiscentiae originem habent a peccato originali, quod nobis voluntarium fuit in Adamo; ergo voluntarii sunt in caussa; ideoque peccatum.

12. ℟. ad peccatum personale, de

quo hic loquimur, non sufficere voluntarium naturae, quod fuit satis ad peccatum originale contrahendum, sed requiri voluntarium personae; alioquin omnes hujus vitae miseriae essent peccata, quum originem quoque habeant a peccato originali. Egregie S. Thomas (1): *Oportet, quod secundum hoc, quod aliquid rationem culpae habet, secundum hoc ratio voluntarii in ipso reperiatur; sicut autem est quoddam bonum, quod respicit naturam, et quoddam, quod respicit personam; ita etiam est quaedam culpa naturae, et quaedam personae. Unde ad culpam personae requiritur voluntas personae, sicut patet in culpa actuali, quae per actum personae committitur, ad culpam vero naturae non requiritur, nisi voluntas in natura illa.* Nec dicas hujusmodi motus nobis esse voluntarios; quia si attenti, et vigiles essemus, eos possemus impedire. Etenim experientia continua edocti sumus, hujusmodi motus excitari in nobis sine nobis; imo major attentio, et vigilia saepe eos fovet, quia figit imaginationem circa objectum tentationis.

(1) *in 2. dist. 30. q. 1. art. 2.*

Ergo, inquies, si motus concupiscentiae non sunt peccata, licitum erit iis consentire.

℟. motus hos non esse peccata, quia nobis non sunt voluntarii; at quum versentur circa objectum malum, si voluntas iis consentiret, essent tunc nobis voluntarii, ideoque peccata.

13. Quarta sententia, quae nobis arridet, est S. Thomae, qui sic eam exponit: *Originale peccatum formaliter est privatio justitiae originalis, quatenus superiorem animae partem rectificabat in ordine ad Deum; materialiter vero est ipsa concupiscentia, seu carnis, et virium inferiorum animae deordinatio.*

(1) 1. 2. *q.* 82. *art.* 3.

14. Ut haec sententia clarius intelligatur, animadvertendum est, originalem justitiam nil aliud fuisse, quam plenam, et perfectam totius hominis rectitudinem; unde tria complectebatur: 1. perfectam subjectionem voluntatis ad Deum, atque cum eo per gratiam, et caritatem conjunctionem; quod quidem fundamentum ceterorum erat. 2. Subjectionem inferiorum animae virium rationi; ita ut nullo inordinato affectionum motu turbaretur. 3. Subjectionem corporis animae, et exemtionem a morte, et quovis morbi genere.

15. Animadvertendum est insuper, peccatum originale non esse actuale peccatum Adae, quod, quum non fuerit actio manens, jam pertransiit, et non potest esse in posteris; unde erit peccatum habituale.

16. Probatur prima pars, originale scilicet peccatum formaliter consistere in privatione justitiae originalis, quatenus voluntatem Deo perfecte subjiciebat. Enim vero justitia originalis primario consistit in subjectione voluntatis Deo, atque cum

eo per gratiam, et caritatem conjunctione; ergo, quum peccatum formale in sola voluntate consistat, peccatum originale formaliter erit constituendum in privatione justitiae originalis, quatenus voluntas a Deo aversa redditur, et privata manet gratia, et caritate.

17. Probatur secunda pars, originale nempe peccatum materialiter esse ipsam concupiscentiam, seu carnis, et virium inferiorum animae deordinationem. Etenim deordinatio haec bona non est, sed mala; at esse non potest mala formaliter; quia formale peccatum in sola voluntate consistit; ergo erit mala materialiter.

18. Ex his intelligitur 1. S. Thomam in hac quaestione non loqui de materiali proprie dicto, sicut entitas actus est materiale in peccato. Nam 1. istiusmodi entitas antecedit peccatum formale, concupiscentia vero *se habet ex consequenti in peccato originali*, ut ipse scribit (1), et patet ex dictis: 2. peccatum originale est peccatum habituale; peccatum autem habituale, pro ut habituale, nullum habet materiale, quum nullum habeat actum, cui superstruatur.

(1) 1. 2. *q.* 83. *art.* 2. *ad* 4.

19. Intelligitur 2., peccatum originale formaliter sumptum aequale esse in omnibus; nam hoc peccatum consistit in aversione voluntatis a Deo, et carentia gratiae, et caritatis; voluntas autem nostra sine actu proprio non potest fieri magis, vel minus a Deo aversa, et magis, vel minus orbata gratia, et caritate. At peccatum originale materialiter sumptum inaequale intelligitur in omnibus; quia, ut inquit S. Thomas (1): *Soluto vinculo originalis justitiae, sub quo quodam ordine omnes vires animae continebantur, unaquaeque vis animae tendit in suum proprium motum, et tanto vehementior, quanto fuerit fortior. Contingit autem vires aliquas animae esse fortiores in uno, quam in alio propter diversas corporis complexiones. Quod ergo unus homo sit pronior ad concupiscendum, quam alter, non est ratione peccati originalis, quum in omnibus aequaliter solvatur vinculum originalis justitiae, et aequaliter in omnibus partes inferiores animae sibi relinquantur; sed accedit hoc ex diversa dispositione potentiarum.* Igitur inferiores animae vires sine proprio actu voluntatis ex diversa complexione, et aliis causis possunt esse majores, vel minores; ideoque nil mirum, si peccatum originale materialiter sumptum, seu concupiscentia, quae amplius non continetur in officio ab originali justitia, major sit in uno, et minor in altero; sic soluto aequaliter vinculo duorum equorum unus fortius sessorem suum agit, quam alter, non propter inaequalitatem solutionis, sed propter majorem ferocitatem unius prae altero.

(1) 1. 2. *q.* 82. *art.* 4. *ad* 1.

10. Intelligitur 3. peccatum originale esse peccatum, et poenam peccati; peccatum, quatenus est aversio a Deo, poenam peccati, quatenus est subtractio gratiae supernaturalis a Deo.

ARTICULUS IV.

De peccati originalis effectibus.

SUMMARIA.

1. *Referuntur effectus peccati originalis ad animam pertinentes.*
2. *Effectus hujusmodi ex peccatis quoque actualibus proveniunt.*
3. *Referuntur effectus peccati originalis ad corpus spectantes.*
4. *De effectibus peccati originalis, quoad alteram vitam, nihil hoc loco, sed inferius.*

1. Quatuor communiter a Theologis numerantur peccati originalis effectus, seu vulnera, ignorantia nempe in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in irascibili, et concupiscentia in concupiscibili, quae paucis declarat S. Thomas, inquiens (1): "quatuor sunt potentiae animae, " quae possunt esse subjecta virtu- " tum, ut supra dictum est, scilicet " ratio, in qua est prudentia: volun- " tas, in qua est justitia: irascibilis, " in qua est fortitudo: concupiscen- " tia, in qua est temperantia. In " quantum ergo ratio destituitur suo " ordine ad verum, est vulnus igno- " rantiae: in quantum voluntas de- " stituitur suo ordine ad bonum, est " vulnus malitiae: in quantum vero " irascibilis destituitur suo ordine " ad arduum, est vulnus infirmitatis: " in quantum vero concupiscentia " destituitur suo ordine ad delectabile, " moderatum ratione, est vulnus con- " cupiscentiae.

(1) 1. 2. *q.* 85. *art.* 3.

2. Observat autem S. Thomas (1) hujusmodi vulnera etiam ex peccatis actualibus infligi scribens: "Quia " inclinatio ad bonum virtutis in uno- " quoque diminuitur per peccatum " actuale, ut ex dictis patet, etiam " ista quatuor sunt vulnera ex aliis " peccatis consequentia, in quantum " scilicet per peccatum et ratio he- " betatur praecipue in agendis, et vo- " luntas induratur ad bonum, et " major difficultas bene agendi ac- " crescir, et concupiscentia magis " exardescit.

(1) 1. 2. *q.* 85. *art.* 3.

(3) Quum corpus hominis sit ex contrariis compactum, ex natura sua dissolvi, et corrumpti potest, at auctor naturae Deus, cui tota natura subest, in prima hominis institutione dissolutionem, et corruptionem impedivit per justitiae originalis donum; sublato autem hoc dono per originale peccatum, corpus in peccati poenam pristinae naturae restitutum est, effectumque morti, morbis, ceterisque defectibus obnoxium; hinc mors, et defectus corporales poenae sunt, et effectus peccati originalis.

Quare legimus in Scripturis: *Deus mortem non fecit*, sed mors est poena peccati (1), *quia a muliere* (2) *factum est initium peccati, et per illam omnes morimur*: *corpus* (3) *mortuum est propter peccatum*. Atque hoc definivit Tridentina Synodus (4).

(1) *Sap.* 1 *v.* 13.

(2) *Eccl.* 25 *v.* 33.

(3) *Ad Rom. cap.* 8. *v.* 10.

(4) *Sess.* 5. *can.* 1.

4. Enumeravimus effectus peccati originalis praesentis vitae pertinentes ad animam, et corpus; at de effectibus peccati originalis quoad alteram vitam, nempe poenae damni, exclusione scilicet ab intuitiva Dei visione, et poena sensus consistente in tormentis, quae corpus et animam affligunt, nihil hoc loco dicimus, de iis dicturi circa finem.

CAPUT III.

De differentiis peccatorum.

ARTICULUS I.

An dentur peccata natura sua alia aliis majora.

SUMMARIA

1. *Enumerantur errores circa peccatorum differentias.*
2. *Dantur peccata alia aliis graviora.*
3. *Admittenda sunt peccata natura sua venialia, et hoc ostenditur* 1° *ex sacris litteris.*
4. 2° *Ex patribus.*
5. 3° *Ex ratione.*
6. *Solvuntur objectiones Stoicorum.*
7. *Solvuntur objectiones Novatorum ex sacra Scriptura a n°* 7. *usque ad* 11.
12. *Solvitur objectio ex Basilio.*
13. *Solvitur objectio ex Augustino.*
14. *Solvuntur objectiones ex ratione a n°* 14. *usque ad* 20.

Circa peccatorum differentias variae fuere sententiae. Stoici arbitrati sunt omnia peccata aequalia esse, ut constat ex Cicerone (1). Hunc errorem 4° ecclesiae seculo excitavit Jovinianus a S. Hieronymo confutatus, ut ei gratulatur Augustinus (2). Ioannes Wioeleffus presbyter Anglus docuit, omne peccatum in reprobis mortale, in praedestinatis veniale tantum esse, quem errorem adoptavit Calvinus, putans (3) omnia peccata natura sua mortalia, "Sed fidelium peccata venialia esse, non quia non mortem mereantur, sed quia Dei misericordia nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu, quia non imputantur. In eundem errorem quoad peccati naturam lapsus est Baius, cujus est haec a summis Pontificibus (4) damnata propositio: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.* Contra hos omnes.

(1) *Paradoxo* 3°.

(2) *Ep.* 29 *ad Hieronymum.*

(3) *Lib.* 3. *instit. cap.* 4 *n°* 28.

(4) *Pio V. Greg. XIII, et Urbano VIII.*

Dicimus dari peccata alia aliis graviora, et venialia non solum ex Dei misericordia, sed ex natura sua a mortalibus distincta.

2. Probatur 1.° ex Scripturis, et primo dari peccata alia aliis graviora res est in sacris litteris manifesta. Etenim Jeremias (1) inquit: *Pejus operati sunt, quam patres eorum.* Et Christus Pilato dixit (2): *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*; unde Joannes (3) distinguit inter peccatum *ad mortem*, *et non ad mortem.*

(1) *Cap.* 7. *v.* 26.

(2) *Joannis* 19. *v.* 11.

(3) *Ep.* 1. *cap.* 5.

3. Sed ex iisdem sacris litteris ostendi quoque potest, venialia natura sua a mortalibus distincta esse. Apostolus (1) asserit super fundamentum, quod Christus est, ut ipse ait, fideles alios superaedificare *aurum*, *argentum*, *lapides pretiosos*, opera nempe bona; alios vero *foenum*, *lignum*, *et stipulam*, opera nempe vana, et inutilia, quae igne comburentur, sic tamen, ut qui ea fecerit, salvandus sit *quasi per ignem* (2), quia scilicet per haec peccata non avertitur a fundamento, Christo nempe; et simul eodem loco docet, fideles graviora quaedam committere, ob quae eos Deus disperdet. Vides hic, tria ab Apostolo distingui opera, quorum prima bona sunt, secunda mala quidem, sed non aeternam mortem merentia; ideoque levia; tertia gravia, quae etsi facta sint a fidelibus, dispersionem a Deo, ideoque aeternam mortem merentia, et propterea natura sua a secundis distincta.

(1) 1. *ad Corinth. cap.* 3. *v.* 12.

(2) *Ibidem v.* 15.

Praeterea sunt quaedam opera mala, quae si quis patraverit, a justitia, et caritate non excidit: *In multis offendimus omnes*: ita Jacobus (1): *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*, ita Joannes (2). Sunt etiam alia opera mala, quae quis admiserit, etiamsi sanctus, et praedestinatus, justitiam et caritatem amittit. Sic Adam, David, et Petrus sancti erant, et praedestinati, et tamen a Dei gratia exciderunt, Adam per esum pomi, David per adulterium, Petrus per negationem Christi, de quo Augustinus: *Mortuus est negando, et revixit plorando.* Ergo in justis non omnia peccata sunt venialia, sed natura sua a mortalibus distincta; quum haec justitiam, caritatem, Deique amicitiam tollant, non vero illa.

(1) *Cap.* 3. *v.* 2.

(2) *Ep.* 1. *cap.* 1. *v.* 8.

4. Veritas haec ex Patribus demonstrari potest. Origenes (1): *Puto*, inquit, *delictum quidem commissum esse levius aliquanto, quam peccatum: nam invenimus de peccato dici, quod sit peccatum ad mortem, de delicto non legimus, quod esse dicatur ad*

mortem. Augustinus ait (2): *Bonis, qui non ad hoc utitur, propter quod instituta sunt, peccat alias venialiter, alias damnabiliter.* Mitto alios Patres, qui eodem modo loquuntur.

(1) *Hom.* 5. *in Leviticum.*

(2) *Lib.* 2. *de bon. conjug.*

5. Demum veritas haec ex ratione quoque ostenditur. Peccata saepe in sacris litteris comparantur infirmitatibus: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum* (1): *Sana animam meam, quia peccavi tibi* (2). Unde sic: peccata ex dictis sunt privationes debitae rectitudinis, non secus ac infirmitates sunt privationes debitae humorum commensurationis; sed sunt quaedam aegritudines, quae pervertunt omnino humorum aequilibrium, mortemque corpori afferunt, quaedam autem illud humorum aequilibrium solummodo turbant, ideoque mortiferae non sunt; ita existunt pariter quaedam peccata, quae legis ordinem pervertunt, seu ordinem divinae sapientiae, mortemque propterea spiritualem animae inferant, quaedam vero solummodo legis ordinem turbant, adeoque mortem non causant. Subsumo. Sed legis ordinem omnino pervertere, mortemque spiritualem inferre, et non pervertere, mortemque non efficere toto caelo distant; sicut aegritudines, quae mortem inferunt, natura sua diversae sunt ab iis, quae principium vitae non tollunt. Ergo mortalia et venialia toto coelo distant, naturaque diversa sunt.

(1) *Psalm.* 6. v. 3.

(2) *Psalm.* 40. v. 5.

Eodem modo data proportione disserendum est de injuriis hominum in Deum, ac de injuriis filiorum in patres, subditorum in Principes cum hoc solo discrimine, quod in eadem linea graviores sunt in Deum, quam in parentes, vel Principes offensae. Jam vero ex istis aliae sunt toto genere ab aliis diversae. Finge filium pervertere praescriptum sibi a patre vivendi ordinem, intelligimus statim se se reddere patri invisum, atque ab ejus amore excidere; at si eum ordinem solummodo turbet, puta se se recipiat domi quadrante minus hora sibi praestituta, cognoscimus quidem hoc quamdam patri afferre molestiam, non tamen talem, ut ejus amorem excludat; ergo idem dicendum, data proportione, de injuriis in Deum.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt 1.° Stoici, et Joviniani. Peccatum est privatio, sed una privatio non est major altera; ergo unum peccatum non est majus altero.

6. R/. peccata esse privationes non absolutas, sed in aliquo positivo, sicut antea dictum est; sunt enim privationes debitae rectitudinis, non secus ac aegritudines sunt privationes debitae humorum commensurationis: sicut ergo aegritudines aliae aliis majores sunt, ita et peccata.

Si dicas omnia peccata mortalia

saltem aequalia esse, utpotequae mortem inferant, sicut aequales sunt aegritudines omnes, quae mortem causant.

℞. aegritudines mortem causantes varias esse pro varietate causarum; sunt enim quaedam causae, quae magis, vel minus pervertunt humorum aequilibrium, ideoque majorem, vel minorem, diuturniorem, vel breviorem dolorem inferunt, licet omnes mortem afferant; ita similiter de peccatis gravibus dicendum est.

Objiciunt Novatores plura sacrarum literarum testimonia: *Maledictus* (1) *omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Cui simile illud Joannis (2): *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* Haec omnia confirmat Christus inquiens (3): *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus* (idest nullus interprete Chrysostomo (4)) *vocabitur in regno Caelorum*; unde Petrum ita affatus est (5): *Si non lavero te, non habebis partem mecum.*

(1) *Deut.* 27 *v.* 26. *Ad Galat.* 3. *v.* 10.
(2) *primae Joannis* 3. *v.* 8.
(3) *Matth.* 5. *v.* 19.
(4) *Hom.* 16.
(5) *Joannis* 13. *v.* 8.

7. ℞. haec testimonia generalia esse, ideoque pertinere quoque ad justos et praedestinatos; unde justi et praedestinati erunt *maledicti*, *ex Diabolo*, *exclusi a regno Caelorum*, quod tamen negant Novatores; breviter propterea ad singula.

8. ℞. ad primum Moysem loqui de iis, qui mandata violaverint, quae continentur in eodem capite, ut intelligitur ex pronomine *hujus*, idololatria scilicet, homicidium, incestus, etc., quae certe gravia peccata sunt. Eadem responsio accomodatur testimonio Joannis.

9. ℞. ad 2. Christum in loco laudato loqui de iis mandatis, quae non in se, sed ex prava Pharisaeorum interpretatione minima reputabantur; arbitrabantur enim opera exteriora, ut homicidium, et adulterium gravia esse peccata, concupiscere autem, et odisse, minima ex inanibus suis traditionibus. Ad eos ergo retundendos merito ait Christus: *Qui solverit unum etc.* His addo grave esse peccatum mandata minima non solum solvere, sed docere alios solvere posse, grave, inquam, scandali, et contemptus legis peccatum.

10. ℞. ad 3. Petrum, si suorum pedum lotionem a Christo respuisset, non fuisset habiturum partem cum Christo in coena; quae quidem seclusio non indicat peccatum mortale in Petro; sic Confessarii solent saepe ob venialia deliberata poenitentibus prohibere Eucharistiam.

11. Solent quoque Novatores opponere illud Jacobi (1): *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Verum ex subsequenti versu intelligitur Jacobum sermonem habere de gravibus praeceptis: sic enim scribit:

Qui peccat venialiter, creaturam praefert Deo, atque in ea suum ultimum finem ponit. 6.° Violat illud praeceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde etc.* quod obligat sub gravi.

14. ℟. ad primum peccatum veniale laedere quidem personam infinitam, non tamen graviter, sed leviter; quum non tollat a Deo rationem ultimi finis, ut inferius explicabitur; alioquin omnia peccata essent ejusdem gravitatis, quod negant adversarii.

15. ℟. ad 2. remissionem venialis esse quidem ex Dei misericordia, sed haec ex quadam decentia est quodammodo debita justo, quum habeat gratiam, et caritatem, seu principium veniae; unde si secundum hoc principium operetur, Deus non denegabit peccati venialis remissionem.

16. ℟. ad 3. Veniale peccatum utpote malum morale, et poenam utpote malum physicum esse in diverso genere; unde ab uno ad alterum non valet argumentum; sic ex eo quod avis sit majoris dignitatis, quam massa auri, non potest inde concludi, quod majus pretium habeat avis, quam auri massa.

17. ℟. ad 4. Omne bonum opus justi non ex se, sed ex Dei promissione mereri vitam aeternam; quum illud procedat ex habituali caritate, cui aeterna vita promissa est; Deus autem, quia summe bonus ultra meritum remunerare potest. At Deus, ut summe justus, non potest aeternam peccato veniali infligere poenam, quum non possit punire ultra condignum.

At, inquies, Deus in inferno peccatum veniale punit poena aeterna; ergo quum non possit punire ultra condignum, signum est aeternam poenam mereri.

18. ℟. in sententia eorum, qui dicunt veniale in inferno poena dumtaxat temporali puniri, in fumum abit objectio; in sententia vero aliorum dicimus puniri quidem poena aeterna in inferno non propter ejus gravitatem, sed propter ejus *irremissibilitatem*, ut loquitur S. Thomas (1), quia peccatores in inferno sunt destituti gratia et caritate, adeoque vitae principio, quo a venialibus resurgere possint; unde nil mirum, si in perpetuum remanente peccato veniali, et voluntate illud patrandi aeterna poena ipsi respondeat.

(1) 1. 2. *q.* 87. *art.* 5. *ad* 2. *et* 3.

19. ℟. ad 5. et 6. haec duo inter se conciliari posse, ut quis maximo amore rem diligat, et tamen aliqua levia in eam admittat, quae tamen summum in eam suum amorem non excludant; sic aeger potest summo amore persequi suam sanitatem, et tamen laevia aliqua admittere, quae aliquantulum eam perturbent; sic filius potest tenerrimo amore patrem diligere, et tamen in exequendo praescripto a patre sibi vivendi modo esse aliquantisper negligens, quin tamen iste

erga patrem exuat amorem, aut pater ob haec levia a filio diligendo temperet. Idem dicendum de justo, qui levia quandoque in Deum admittit, quae possunt quidem ejus amorem in Deum imminuere, non tamen tollere. Quod si sermo habeatur de peccatore gravibus peccatis obstricto, iste quandoque levia perpetrat peccata, ita tamen affectus, ut si sciret Deum graviter offensum iri, ab iis sane abstinere vellet; quia tamen iste non exuit affectum erga mortalia, quibus obstringitur, peccator esse non desinit.

At, inquies, justus, vel peccator, dum peccat venialiter omnia sua non refert in Deum; ergo transgreditur grave Apostoli praeceptum (1): *Omnia in gloriam Dei facite.*

(1) 1. *Corinth.* 10. *v.* 31.

20. ℟. praeceptum referendi omnes et singulas actiones in Deum non distingui a praecepto Deum diligendi, ut docet S. Thomas (1), quod quidem praeceptum, utpote affirmativum non obligat singulis momentis, sed statis quibusdam temporibus. Dum ergo justus, vel peccator iis temporibus, quibus praeceptum de Deo diligendo obligat, huic praecepto non facit satis, tunc omnia sua non refert in Deum, ideoque peccat uterque mortaliter; ceteris autem temporibus utrum justus, vel peccator mortaliter, vel venialiter, vel nulla ratione peccet, dijudicandum erit ex natura operis; si enim opus natura sua bonum sit, justus meretur premium aeternum, peccator temporale; si autem opus sit grave, vel leve peccatum, uterque graviter, vel leviter peccabit ut suo loco ostendetur.

(1) *In* 2. *diss.* 40. *q. unica art.* 5. *ad* 6.

ARTICULUS V.

Unde repetenda differentia peccati mortalis a veniali.

SUMMARIA

1. *Reprobatur prima sententia docens mortale in eo differre a veniali, quod primum sit contra praeceptum, alterum contra consilium.*
2. *Reprobatur secunda docens mortale esse contra, veniale praeter legem.*
3. *Reprobatur tertia docens mortale esse contra finem ultimum, veniale circa ea, quae sunt ad finem.*
4. *Reprobatur quarta docens essentialem differentiam repetendam esse ex eo quod mortale tollat caritatem, et amicitiam cum Deo, non autem veniale.*
5. *Differentia mortalis a veniali in eo sita est, quod primum tollat, secundum turbet solum ordinem legis.*
6. *Quare peccatum grave dicatur mortale, leve veniale.*
7. *Discrimen peccati mortalis a veniali cognoscitur ex variis sacrae Scripturae notis.*
8. *Deficientibus notis petitur ex Ecclesiae definitione, tum ex Patrum consensu.*
9. *Deficientibus Ecclesiae definitioni-*

bus, et Patribus recurrendum ad Theologorum consensum.

10. *Deficientibus supradictis difficile admodum definitur, quodnam sit mortale, quodnam veniale.*

1. Differentiam mortalis a veniali nonnulli censent in eo esse constituendam, ut mortale sit contra praeceptum, veniale contra consilium; at haec sententia repugnat Apostolo scribenti (1): *Ubi non est lex, nec praevaricatio*; quare, quamvis idem Apostolus (2) caelibatum consuluerit, addit statim: *Si autem acceperis uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo, non peccavit.*

(1) *Ad Rom.* 4. *v.* 15.

(2) *Ad Corinth. cap.* 7. *v.* 28.

Differentiam mortalis a veniali alii repetunt ex eo, quod mortale sit contra, veniale praeter legem; sed haec differentia admitti non potest; nam ut diximus ex Apostolo: *Ubi non est lex, nec praevaricatio*; id patet in mendacio jocoso, furto rei levis, et similibus, quae sunt contra legem. Nec nobis nocet S. Thomas, dum docet (1) mortale esse contra, veniale praeter legem; hoc enim sensu docet veniale non esse contra legem, quia ejus ordinem non pervertit; hinc alibi ita scribit (2): *Etsi veniale in aliquo recedat ab ordine legis, non tamen ipsum corrumpit, quia non corrumpit dilectionem, quae est plenitudo legis.*

(1) 1. 2. *q.* 88. *art.* 1. *ad* 1. *et alibi.*

(2) *q.* 7. *de malo art.* 1. *ad primum.*

3. Differentiam mortalis a veniali quidam colligunt ex eo quod mortale sit contra finem ultimum, veniale circa ea, quae sunt ad finem, sed haec differentia nobis non arridet. Etenim motus non plene deliberati infidelitatis etc. sunt venialia, et tamen sunt circa ipsum finem ultimum. Similiter homicidium, adulterium etc. sunt circa ea, quae sunt ad finem, et tamen sunt mortalia. Neque quoque nobis adversatur S. Thomas scribens (1): *Veniale peccatum committi contra ea, quae diriguntur ad finem, lethale vero contra finem*; nam S. Thomas nil aliud sibi vult, quam hominem per mortale averti a fine, per veniale turbari tantum in ordine, quo tendit ad finem. Unde qui peccat venialiter comparatur illi, qui a via non deflectit, quamvis in ea nimis immoretur.

4. Plerique differentiam mortalis a veniali censent desumendam esse ex eo quod mortale tollat caritatem, et amicitiam cum Deo, non autem veniale. Verum haec sententia nobis pariter non placet; privatio enim caritatis, et amicitiae cum Deo est potius effectus peccati mortalis, quam constitutivum differentiae mortale inter et veniale. Sic filius redditur patri invisus, et inimicus, et ab ejus amore excidit; eo quod non servet in re notabili, seu pervertat ordinem vivendi sibi a patre praescriptum; quo non servato

tranquillitas, pax, ac bonum familiae consistere non potest.

5. Differentia peccati mortalis a veniali in eo videtur reponenda, quod primum pervertat ordinem legis, alterum vero eumdem ordinem solummodo turbet. Enim vero peccatum nil aliud est, quam factum, dictum, vel concupitum contra legem aeternam Dei, seu contra ordinem divinae sapientiae; ergo tunc habebitur mortale, quando ordo iste totaliter non servatur, seu pervertitur, veniale vero, quando solum turbatur, sic subditus graviter peccat contra legem Principis de solvendo tributo, quando in re notabili tributum non solvit; tunc enim pervertit ordinem legis, qui eo spectat, ut subditus sui tributi solutione cooperetur paci et tranquillitati, et ordini Reipublicae; at si in re minima tributum non solvat, turbat solum ordinem, seu finem legis, quia non ita perfecte pax et tranquillitas et ordo Reipublicae haberi potest.

6. Ex his intelligitur, quare prius peccatum seu grave dicatur mortale, alterum vero dicatur veniale; quum enim primum evertat ordinem a divina sapientia constitutum, reddit hominem Deo inimicum et invisum, eumque ab ejus amore excludit; ideoque eum privat gratia, et principio vitae spiritualis, qua homo Deo adhaeret, sublato autem hoc principio inordinatio a mortali inducta ab intrinseco irreparabilis est; sicut corrupto principio visionis visio amplius reparari non potest ab intrinseco; quum nihil sit in oculo, unde ea curetur: quumque ordinis perversioni poena debeatur, ut inferius dicetur, sitque haec perversio ab intrinseco irreparabilis, et proinde natura sua perpetua, poenam ex natura sua quoque perpetuam inducit.

E contra quum veniale peccatum non evertat, sed turbet solum aliquantulum ordinem divinae sapientiae, non reddit hominem Deo inimicum, adeoque eum non exuit gratia, et caritate, seu principio vitae spiritualis, qua Deo conjungitur, unde vi hujus principii reparari potest turbatio a veniali inducta, sicut infirmitas corporis curari adhuc potest per principium vitae, quod in homine sit, ac proinde veniale ex se non inducit perpetuae, seu aeternae poenae reatum.

7. Hinc sponte fluunt ea peccata, quae in sacris litteris dicuntur digna morte, execranda, qualia sunt ea, quae habent particulam *vae*, excludentia a regno Caelorum, contraria caritati etc. mortalia esse; quae autem mitioribus verbis notantur, venialia. Prioris generis exemplum ex veteri testamento sit illud Levitici (1): *Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur*, vel illud Isaiae (2); *Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem, qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.* Plura etiam exempla occurrunt in novo testamento (3). Po-

sterioris generis exemplum esse potest illud Prov. (4): *In multiloquio non deerit peccatum*, vel illud Matthaei (5): *Omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.*

(1) *Levitici* 24 *v.* 16.

(2) *Isaiae* 5. *v.* 22.

(3) *Ad Rom.* 1. *v.* 28. *Primae ad Corinth.* 6. *v.* 9. *Ad Galat.* 5. *v.* 19

(4) *Prov. cap.* 10 *v.* 19.

(5) *Matth.* 12 *v.* 36.

8. Si autem in sacris litteris nihil habeatur, unde colligi clare possit, num peccatum sit mortale, vel veniale, recurrendum erit ad definitionem Ecclesiae, et ad Patres, qui si uno consensu doceant hoc esse mortale, illud veniale, ita judicandum erit, quum Patres in aliqua re consentientes ad fidem, vel mores pertinente testes sint divinae traditionis, ut alibi ostendunt Theologi.

9 Deficientibus Ecclesiae definitionibus, et Patribus, confugiendum erit ad Theologos doctrina, ac pietate insignes, qui si unanimiter doceant haec pro mortalibus, illa pro venialibus habenda esse, ita erunt reputanda. Horum enim Theologorum consensus solidum argumentum praebet, ut alibi quoque Theologi demonstrant.

10. Seclusis hisce regulis petitis ex sacris litteris, Patrum, et Theologorum consensu difficile admodum est in praxi definire, quae sint levia, quae gravia peccata. Hinc scribebat Augustinus (1): " Quis sit iste modus, " et quae sint ista peccata, quae ita " impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum " amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, definire periculosissimum. " Concinit Angelicus scribens (2) " quoties nempe de peccato mortali agitur, periculose quaestionem " determinari, nisi veritas expressa " habeatur.

(1) *Lib.* 21 *de civit. Dei cap. ult.*

(2) *Quodlib.* 9. *art.* 15.

ARTICULUS VI.

An, et quando veniale in mortale, et mortale in veniale abire possit.

SUMMARIA

1. *Venialia sunt triplicis generis.*
2. *Plura venialia nunquam efficere possunt unum mortale, idque probatur ratione.*
3. *Probatur quoque ex Tridentino.*
4. *Solvitur objectio ex Augustino.*
5. *Solvuntur objectiones ex ratione a n° 5 ad numerum 8.*
9. *Qui venialia non curant, aeternae damnationis periculum incurrunt.*
10. *Peccatum mortale fieri potest veniale ex actus imperfectione.*
11. *Mortale fieri quoque potest veniale ex levitate materiae.*
12. *Veniale ex genere suo fieri potest mortale 1° ratione conscientiae erroneae.*
13. *2° ratione finis mortalis.*
14. *3° ratione contemptus.*

15. 4° *ratione periculi proximi peccandi.*

16. 5° *ratione damni gravis, sive spiritualis, sive temporalis.*

1. Peccata venialia sunt in triplici differentia; alia sunt venialia ex objecto, quorum malitia esse non potest mortalis, nisi accedat malitia alterius speciei, ut verbum otiosum; alia sunt venialia ex levitate materiae, ut leve furtum; alia demum sunt venialia ex imperfectione actus, ex defectu scilicet plenae advertentiae, vel perfecti consensus, ut motus non satis deliberati infidelitatis, odii Dei.

Dico primo: venialia quantumvis multiplicata efficere numquam possunt unum mortale.

2. Probatur: ea quae sunt ejusdem naturae, etiamsi multiplicentur, et uniantur, numquam possunt naturam, vel speciem mutare, et in aliam naturam transire; sic ex multis numeris non fit una linea, vel viceversa; atqui venialia sunt omnia ejusdem naturae; ergo etiamsi multiplicentur, et uniantur, constituere numquam poterunt peccatum mortale, quod ex demonstratis est diversae naturae a venialibus.

3. Deinde Tridentini PP. docent (1) venialia non esse necessario aperienda in confessione; at hoc verum non esset, si venialia multiplicata mortale peccatum efficerent.

(1) *Sess. 14 cap. 5.*

Opponunt 1° Augustinum, qui ait (1): " Minuta plura peccata, si negligantur, occidunt. Minutae sunt " guttae, quae flumina implent, " minuta sunt grana arenae, sed si " multa arena imponatur, premit, " atque opprimit „ 2°. Multae partes aetherogeneae possunt constituere unum grande, nempe corpus; ergo venialia multa, licet sint diversae naturae, efficere poterunt unum grande, nempe mortale. 3° Veniale quodcumque minuit caritatem; ergo si venialia venialibus addantur, caritatem extinguere poterunt. 4° plura minuta furta constituunt unum furtum mortale; ergo.etc. 5° veniale ad mortale disponit; ergo multiplicatum abire poterit in mortale.

(1) *Tractatu 12 in Joannem.*

4. ℟. ad primum, comparationes non esse usquequaque urgendas, alioquin non essent comparationes, sed identitates. Stat ergo in hoc comparatio, ut quemadmodum multae minutae guttae flumen implent, multa minuta grana, si imponantur, premunt, et occidunt; ita multa minuta peccata, si negligantur, animam occidunt, non quidem formaliter, et efficienter, sed dispositive, quatenus ad mortale disponunt, ideoque tandem in mortale desinunt, ut inferius dicetur.

5. ℟. ad 2, corpus, quod inde exurgit ex partibus aetherogeneis esse ejusdem naturae cum ipsis; at mortale non est ejusdem naturae cum venialibus.

6. ℟. ad 3, veniale minuere carita-

tem, seu fervorem caritatis, quatenus ponit impedimentum caritati, ne exerat actus suos; at sicuti per impedimenta apposita igni, ne calorem immittat, non extinguitur ignis, ita per plura venialia impedientia, ne caritas progrediatur, suumque officium impleat, non extinguitur caritas.

7. ℟. ad 4, plura minuta furta unum constituere furtum mortale, non quod plura peccata venialia efficiant unum mortale, sed quod plures partes divisae aliquando gravem eumdem producunt effectum si multiplicentur, ac si simul essent unitae. Quod ut intelligatur, animadvertendum alias esse partes, quae, si multiplicentur, eumdem notabilem, et gravem semper pariunt effectum; alias esse partes, quae, licet in infinitum augeantur, nunquam gravem, et notabilem effectum producere possunt; sic furta minuta, si plura sint, notabilem habent effectum, damnum scilicet grave domino afferunt: leves comestiones in eodem die jejunii, si plures fuerint, ventrem implent, ut nil afflictionis amplius ex jejunio sentiatur. At e contra, si quis singulis jejunii diebus leviter aliquid comedat, hujusmodi leves comestiones non impediunt, quominus adhuc jejunii afflictionem experiatur, similiter leves omissiones singulis diebus in officio factae non impediunt, quominus officii pondus clericus sentiat. Sic minimulae offensae patri factae, licet multiplicentur, numquam eumdem parere effectum possunt, seu avertere animam patris a filio, ac si filius patri mortem inferre conetur.

8. ℟. Ad 5, veniale disponere ad mortale, non directe, sicut calor est dispositio ad ignem; nam dispositio directa ejusdem esse debet naturae, ac id, ad quod disponit, sed indirecte, et ex parte agentis, quatenus venialia minuunt fervorem caritatis, obicemque opponunt divinis auxiliis, quibus firmamur adversus graves tentationes. Deinde qui per peccata venialia assuescit suam non subjicere voluntatem divinis praeceptis, sensim sine sensu ad hoc disponitur, ut in gravioribus praeceptis illi se non subjciat; quo sensu dicitur (1): *Qui spernit modica, paullatim decidet.*

(1) *Eccles.* 19. *v.* 1.

9. Quum igitur venialia peccata ad mortale disponant, magis in periculo damnationis suae versantur, qui de venialibus cavendis nullam sollicitudinem gerunt, sed ea, uti aquam, bibunt. Patres audiamus. S. Ioannes Chrysostomus (1) scribit: " Hoc " ipsum est malorum omnium causa, " quod ob pusilla non indignamur. " Quemadmodum in corporibus, qui " vulnera neglexerunt, febres, gi- " gnunt, et putrefactiones, ac mor- " tem denique; itidem et in anima, " qui pusilla dissimulant, majora " invitant ,,: S. Gregorius Magnus " (2): Qui peccata minima flere, ac " devitare negligit, a statu justitiae " non quidem repente, sed partibus " totus cadit. Demum, ut alios

omittam, S. Bernardus (3): " Non " dicant in corde suo, *qui venialia negligunt*; levia sunt ista: non curo " corrigere. Non est magnum, si " in his maneam venialibus, mini- " misque peccatis. Haec est, dile- " ctissimi, impoenitentia; haec blas- " phemia in Spiritum Sanctum.

(1) *In cap.* 1 *ad Gal.*

(2) *In Pastoral. p.* 3.

(3) *Serm.* 1. *in convers. s. Pauli*

Dico 2°, peccatum mortale fieri potest veniale ex duplici capite, nempe ex imperfectione actus, et ex levitate materiae.

10 Et primo ex imperfectione actus, ex defectu scilicet plenae advertentiae, et perfecti consensus peccatum mortale fit veniale, quia, ut ait S. Thomas, tunc non perfecte *pertingit ad rationem actus moralis*.

11 Secundo ex levitate materiae; enimvero leges regulariter obligant pro ratione materiae; unde si materia levis sit, non nisi leve erit peccatum.

Dixi regulariter, quia sunt quaedam peccata, quae nullam materiae parvitatem admittunt, de quibus diximus (1), tum etiam alia peccata, quorum materia, etsi levis, gravis tamen evadit ex fine a Superiore intento, de quibus pariter diximus (2)

(1) *Tom. I pag.* 63 *n°* 28 *et seq.*

(2) *Tom. I. pag.* 237 *n°* 1.

Dico 3° Peccatum veniale ex genere suo potest pluribus modis abire in peccatum mortale.

Et primo ratione conscientiae erroneae, quando quis id quod facit, putat esse mortale, aut dubitat, quum tamen sit veniale. Hinc Apostolus (1) inquit: *Qui autem discernit* (idest qui falso judicat fas non esse manducare de Idolothitis), *si manducaverit, damnatus est*, quia *non ex fide*, idest ex conscientia.

(1) *Rom.* 14. *v.* 23.

13. 2° Ratione finis mortalis; puta si quis verbum otiosum proferat ad puellam seducendam, vel ita sit actu affectus, ut veniale adhuc committeret,etiamsi esset mortale;actus enim suam speciem a fine agentis etiam desumunt, ut ostendimus (1); quare si finis fuerit lethaliter malus, actus etiam de se venialis transibit in mortale.

(1) *De actibus humanis.*

14 3° Ratione contemptus, de quo alibi (1) diximus.

(1) *Tom. I pag.* 244 *n°* 4.

15 4° ratione periculi proximi peccandi: *Qui* enim *amat periculum peribit in illo* (1). Hinc si quis ex colloquio cum muliere intelligat se ad turpem actum, vel morosam delectationem induci, ab eo abstinere debebit.

(1) *Eccl.* 3 *v.* 27.

16. 5° ratione damni gravis, sive spiritualis, puta scandali, vel temporalis, puta si furto subripias rem levem domino, quod tamen grave ei damnum allaturum praevideas.

CAPUT IV.

De peccatorum distinctione

ARTICULUS PRIMUS.

De specifica peccatorum distinctione.

SUMMARIA.

1. *Notio specificae et numericae peccatorum distinctionis fidelibus valde necessaria.*
2. *Quandonam peccata dicantur specie, vel numero distingui.*
3. *Referuntur sententiae circa specificam peccatorum distinctionem.*
4. *Specifica peccatorum diversitas petenda est ex bonis specie diversis, quae actibus debentur.*
5. *Haec sententia re non differt a tertia, et quarta.*
6. *Peccata specie non differunt, quando plures leges idem virtutis bonum intuentur.*
7. *Divi Thomae testimonium explicatur.*
8. *Peccata eo graviora, quo majori bono privant.*
9. *Solvitur objectio.*
10. *Peccata spiritualia graviora sunt carnalibus.*
11. *Quandonam circumstantiae mutent speciem.*

1. Quum ex Tridentino (1) teneantur fideles in confessione aperire tum speciem, tum circumstantias speciem mutantes, tum numerum peccatorum, jam quisque intelligit, quantum haec cognitio omnibus necessaria sit, et praesertim Parochis, et Confessariis, qui officium suum, uti par est, implere nequeunt, nisi accuratam habeant horum omnium notitiam. Saepe enim contingit, ut fideles in exprimenda specie, vel numero peccatorum suorum deficiant, unde munus erit Confessarii fidelium defectum supplere, eos de his omnibus interrogando, ut prudens de poenitentium statu efformare possit judicium.

(1) *Sess.* 14. *cap.* 5.

2. Porro peccata dicuntur specie distingui, quando diversae, numero autem, quando ejusdem sunt naturae. Sic furtum, et adulterium specie distinguuntur, quia natura furti diversa est a natura adulterii. Duo autem furta numero tantum distinguuntur, quia eamdem habent naturam.

3. Circa specificam peccatorum distinctionem Theologi in varias abeunt sententias. Quidam censent desumendam ex diversitate praeceptorum, alii ex objectis specie diversis; plerique ex diversis virtutibus, quibus peccata opponuntur; plures demum ex bonis necessariis specie diversis, quibus actus privati maneut. Haec ultima sententia, quae nostra est, quamvis in re non differat a tertia, et quarta rite expositis, et explicatis, videtur tamen clarius exprimere specificam peccatorum distinctionem.

Dico igitur. Specifica peccatorum diversitas disumenda est ex bonis specie diversis, quae actibus de-

bentur, et quibus iidem actus privati existunt.

4. Probatur: peccatum essentialiter consistit in privatione, ut saepius ostensum est; omnis autem privatio, ut fert commune Philosophorum effatum, sumit speciem a re, cujus est privatio; sic aegritudines inter se specie distinguuntur a bonis specie diversis, quibus privant; sic pariter surditas et coecitas speciem sumunt ab auditu, et visu, quibus privant. Ergo pariter peccata specie distinguuntur a bonis specie diversis, quae actibus debentur, et quibus ipsi actus privati existunt.

Hinc infidelitas, desperatio, odium Dei sunt peccata specie diversa; quia bona Fidei, Spei, et Caritatis, quibus actus privantur, specie differunt inter se. Similiter furtum, detractio, homicidium diversam habent speciem; quia scilicet bona fortunae, famae, et vitae diversam sortiuntur speciem. Prodigalitas quoque, et avaritia specie differunt inter se. Nam bonum distribuendi proprias res, dum oportet, et quomodo oportet, in cujus defectu sita est prodigalitas, specie differt a bono legitimae, seu justae acquisitionis, vel retentionis divitiarum, in cujus defectu se prodit avaritia.

5. Ex his intelligitur 1° nostram sententiam re non differre a tertia et quarta; et imprimis non differt a sententia, quae specificam peccatorum distinctionem repetit a diversis virtutibus, quibus peccata ipsa opponuntur; nam peccata opponi virtutibus diversis, ac actus privatos esse bonis virtutum specie diversis, quae ipsis actibus debentur, idem perinde est. Non differt 2° a sententia, quae specificam peccatorum distinctionem desumit ab objectis specie diversis; nam haec sententia considerat objecta, non in esse physico, sed in esse moris, seu pro ut sunt destituta bonis virtutum, quae actibus debentur.

6. Intelligitur 2° peccata specie non differre, quando plures leges respiciunt idem virtutis bonum; sic homicidium, furtum triplici lege prohibentur, nempe naturali, divina, et humana, et tamen tam homicidium, quam furtum unicum sunt peccatum, quia leges in primo casu solam vitae, in 2° vero solam bonorum conservationem spectant. At si leges multiplex virtutis bonum attendent, multiplex erit peccatum; sic ille, qui praeceptum ab Ecclesia jejunium violat eo tempore, quo jejunare tenetur ex voto, duplex peccatum admittit, quia lex Ecclesiae bonum temperantiae, lex naturalis et divina, quae votum impleri jubet, bonum Religionis inspicit.

Quando ergo S. Thomas (1) scripsit: " Quod si aliqua essent peccata so- " lum, quia prohibita, in his ratio- " nabile esset, ut secundum diffe- " rentiam praeceptorum specie pec- " cata differrent,, loquitur de diversis praeceptis, quae diversum virtutis bonum respiciunt.

(1) *Q. 2 de malo art. 6.*

8. Intelligitur 3° peccata eo graviora esse, quo majori bono privant. Audiamus S. Thomam: "Gravius, *inquit* (1) peccatum dicitur ex suo genere, quod majori bono virtutis opponitur: unde quum bonum virtutis consistat in ordinatione amoris, ut Augustinus dicit, Deum autem super omnia diligere teneamur, peccata, quae sunt in Deum, sicut idololatria, blasphemia, et hujusmodi secundum genus suum sunt reputanda gravissima. Inter peccata autem, quae sunt in proximum tanto aliqua sunt aliis graviora, quanto majori bono proximi opponuntur. Maximum autem bonum proximi est ipsa vita hominis, cui opponitur peccatum homicidii, quod tollit actualem hominis vitam; et peccatum luxuriae, quod opponitur vitae hominis in potentia, quia est inordinatio quaedam circa actum generationis humanae. Unde inter omnia peccata, quae sunt in proximum, gravius est homicidium secundum genus suum; secundum locum tenet adulterium, et fornicatio, et hujusmodi peccata carnalia; tertium locum tenet furtum, et rapina, et hujusmodi, per quae in exterioribus bonis laeditur proximus.

(1) *q. 2. de malo art. 1.*

Dixit S. Thomas *ex suo genere secundum genus suum*, quia fieri potest, ut peccatum, quod majori bono ex se privat, per accidens, puta ex imperfectione actus, vel ex levitate materiae, vel ex eo quod non ita directe majori virtutis bono opponatur, ut patet in homicidio, quod gravius est omissione sacri, sit levius peccato, quod minori bono privat.

9. Nec dicas homicidium, et furtum, quamvis minori bono privent, quam perjurium, et blasphemia, majora tamen esse peccata, quippequae gravius a legibus puniantur. Etenim leges humanae gravius puniunt homicidium, et furtum, quia ipsae potius curant bonum publicum societatis, cujus causa latae sunt, quam quodlibet aliud; et ideo nil mirum si gravius puniant homicidium, et furtum, quam perjurium, et blasphemiam; quia prima peccata, magis quam secunda officiunt bono publico societatis.

10. Intelligitur 4° peccata spiritualia graviora esse peccatis carnalibus; quia prima directe privant bonis animae debitis; secunda autem bonis corporis debitis; et sic docet S. Gregorius (1): *Peccata carnalia sunt minoris culpae, et majoris infamiae, quam spiritualia.*

(1) *Lib. 33. Moralium cap. 11.*

11. Intelligitur 5° circumstantias tunc speciem mutare, vel melius novam addere speciem, (1) quando efficiunt, ut actus, qui jam est una bonitate privatus, alia bonitate specie diversa a prima exutus maneat. Sic circumstantia loci sacri in furto efficit, ut actus, qui jam sua boni-

tate caret, conservatione nempe rei alienae, privatus adhuc existat veneratione debita locis sacris.

(1) *Ut observavimus de Actibus humanis.*

ARTICULUS II.

De numerica peccatorum distinctione.

SUMMARIA

1. *In actu physice uno tot sunt peccata, quot bona actui debita, quae inde tolluntur.*
2. *Qui alterum compellat furem, fornicarium, ebriosum, tria committit peccata.*
3. *Qui unico ictu integram familiam occidit, tot committit peccata, quot sunt personae.*
4. *Solvitur objectio.*
5. *Actus externi physice distincti, qui specialem malitiam non habent, quique tendunt uti partes, vel inchoationes in unum actum principalem, unicum peccatum constituunt, si moraliter interrupti non sint.*
6. *An Sacerdos gravis peccati reus, tot committat peccata, quot sunt personae, quibus Eucharistiam distribuit.*
7. *Interruptio moralis fit 1.° per voluntatis retractationem.*
8. *2.° per voluntariam cessationem ab actu.*
9. *3.° per cessationem naturalem, si de actibus internis, qui in mente consummantur, agatur, non vero de actibus externis tendentibus, uti partibus in actum principalem, nisi expresse fuerit revocata voluntas.*

Explicandum hic venit, quomodo in actu physice uno plura existant quandoque peccata; et quomodo in actibus pluribus inter se physice distinctis unicum dumtaxat sit interdum peccatum.

Dico 1. In actu physice uno tot sunt peccata, quot sunt bona actui debita, quae inde tolluntur.

1. Probatur. Peccata sunt privationes rectitudinum, seu bonorum, quae actibus debentur; ergo quo plura fuerint istiusmodi bona actibus debita, quae inde auferuntur, eo plura erunt peccata. Hinc si hujusmodi bona specie differant inter se, erunt plura peccata specie diversa; si autem numero, plura quoque existent peccata numero distincta. Quare qui unico actu Clericum occidit, duo peccata specie distincta admittit, quia duplex bonum tollit justitiae nempe, et religionis. Qui autem duobus detrahit, duobus furatur, duo quoque facit peccata numero solum distincta, quia duo jura laedit ejusdem tamen rationis, seu duo bona ejusdem generis tollit.

2. Hinc colligitur, 1.° eum, qui alterum compellat furem, fornicarium, ebriosum, tria peccata committere, quia tria sunt bona, quae ab altero auferre intendit, justitiae scilicet, castitatis, et sobrietatis.

3. Colligitur 2.° eum, qui unico ictu

integram familiam occidit, totidem peccata committere, quot sunt personae. Nec refert, quod una familia integra fictione juris una persona reputetur; nam quamvis quoad nonnullos civiles effectus integra familia, quasi una persona habeatur; quod attinet tamen ad vitam, famam, aliaque similia, integra familia tamquam una persona non consideratur, unde magis punitur a Republica, qui totam familiam, quam qui unam solum ex familia personam occidit.

At, inquies, qui unico actu furatur omnes alicujus bibliothecae libros, aut ovium gregem etc. unicum tantum peccatum admittit; ergo et qui unico ictu plures homines occidit, praesertim si sint ex eadem familia.

4. ℞. in primo casu unicum peccatum admitti, quia omnes alicujus bibliothecae libri, omnes oves gregis ad unum tantum fortunae bonum referuntur, unde unicum est bonum, quod aufertur; si tamen isti libri, vel oves ad plures pertinerent, plura essent peccata, quia tunc plura jura laederentur; ideoque plura bona numero distincta auferrentur: in 2.° autem casu tot sunt bona vitae, quot sunt personae, quae internecione delentur; unde plura sunt peccata.

Dico 2.°. Actus externi physice distincti, qui specialem malitiam non habent, tendentes uti partes, vel inchoationes in unum actum principalem, unicum peccatum constituunt, si moraliter interrupti non sint.

5. Probatur. Actus isti externi physice distincti ex hypothesi sunt partes, vel inchoationes unius actus principalis; ergo moraliter cum eo unicum actum constituunt, ideoque unicum peccatum. Hinc qui ad furandum iter arripit, scalam conscendit, domum ingreditur, scrinia aperit, et pecuniam aufert, unicum dumtaxat committit peccatum, quamvis pluries in actionum illarum decursu furandi voluntatem iteraverit. Similiter qui uno concupiscentiae motu puellam tangit, osculatur, amplexatur, et tandem cum ea copulam habet, unicum solum efficit peccatum: si tamen in hisce tactibus, osculis, amplexibus mora solito longior esset, ut eam Confessarius communiter intelligere non posset, tunc erit in confessione aperienda. Idem dicendum, si longum esset iter arripiendum ad furtum faciendum, etc.

Dixi 1.° *actus externi*; nam actus interni physice distincti, et ab externis separati tot constituunt peccata, quot ipsi sunt. Enimvero istiusmodi actus non possunt esse physice distincti, nisi interveniat in iisdem nova voluntatis determinatio; ergo quum hujusmodi voluntatis determinationes nihil habeant, in quo uniantur, et continuentur, unicum peccatum esse non possunt. Quare actus haeresis, odii, delectationis morosae etc. etiamsi post breve tempus iterentur, sunt tamen plura pec-

cata; quia unus non est pars alterius, nec in aliquo uniuntur, aut continuantur.

Dixi 2.° *qui specialem malitiam non habeant*; si enim quis E. G. in inimico occidendo grave alteri damnum inferret, puta conculcando ejus segetes, teneretur hoc in Confessione exprimere; quia ex dictis duo sunt in hoc casu jura, quae violantur, et bona, quae auferuntur.

Dixi 3.° *tendentes uti partes, vel inchoationes in unum actum principalem*; quia si actus physice distincti habeant suam unitatem moralem, nec unus referatur ad alium, tamquam pars, et inchoatio, etiamsi successive fiant, peccata tamen multiplicant. Hinc qui successive ter se polluit, ter fornicatur etc. tria peccata committit, quia una pollutio, vel fornicatio non est pars, vel inchoatio alterius, sed unaquaeque habet suam unitatem moralem completam, et definitum terminum, in quo consummatur. Similiter si quis habens oscula, et tactus noluisset ulterius procedere, sed postea mutata voluntate copulam perficiat, tenetur non solum copulam, sed et tactus, et oscula confiteri, quia haec oscula, et tactus, cum in istis sistitur, suam habent in se malitiam consummatam. Pari modo tactus, amplexus, oscula habita post copulam nova sunt peccata in Confessione aperienda; quia quum copula jam sit completa, tactus, amplexus etc. non possunt dici illius partes, vel inchoationes, sed natura sua referuntur ad alteram copulam. Neque audiendi sunt ii Theologi, qui dicunt illos tactus, amplexus etc. esse appendices copulae, quum illam regulariter sequantur; nam per copulam concupiscentia potius quiescit, quam exardescat; unde isti actus etc. ex natura sua, et regulariter copulam non subsequuntur, et propterea aperiendi in confessione, utpote qui communiter non cognoscantur a Confessario.

Quaerunt hic Theologi, an Sacerdos gravis peccati reus, qui pluribus Eucharistiam distribuit, tot committat peccata, quot sunt personae, quibus fit Eucharistiae distributio.

6. ℟. affirmant plures, quia singulae distributiones sunt totidem actiones completae, totidem convivia, & completa sacramenta. Negant alii, quia singulae distributiones conveniunt in ratione unius convivii; ideoque una actio reputantur. Hinc Rituale ait: *Ubi vero omnes communicaverint, sacerdos dicere poterit: o sacrum convivium*. Haec tamen quaestio pro praxi nullius momenti est, quandoquidem et ii qui sentiunt peccata non multiplicari pro numero personarum communicantium, docent tamen hunc numerum esse aperiendum in Confessione, utpote qui faciat peccatum extensive majus.

Dixi, *si moraliter interrupti non sint* 4°; nam si moraliter interrumpantur, non possunt amplius unicum actum cum principali constituere. Quod ut in-

telligatur animadvertendum, actus plures tendentes tamquam partes, et inchoationes in actum principalem, unicum actum cum eo constituere, quia in illa actuum serie virtualiter semper eadem voluntas perseverat; at si voluntas interrumpatur, interrumpuntur pariter hujusmodi actus; ideoque considerari amplius non possunt tamquam partes, et inchoationes actus principalis.

Hinc intelligitur, quare Theologi doceant interruptionem moralem fieri tribus modis, nempe 1.° per retractationem voluntatis, 2.° per voluntariam cessationem, adde etiam necessariam ab actu, 3.° per cessationem naturalem.

7. Et primo interrumpitur actus per voluntatis retractationem; etenim retractatio ista in causa est, ut posterior actus nullo modo conjungi possit cum priore; ideoque simul amplius uniri non possint. Sic si quis furandi voluntatem retractet, licet brevissimo tempore eam resumat, non poterunt hae voluntates unicum actum constituere; quia secunda non est continuatio prioris, utpote retractatae.

8. 2° per voluntariam cessationem ab actu; quare si quis visa puella eam concupiscat, et postea ad alia se convertat, nolitque amplius de ea cogitare, si deinde in eam iterum conjectis oculis inardescat, duo committet peccata, quia duae istae voluntates in nulla re connectuntur, nec prior utpote dimissa potest dici pars, aut inchoatio alterius. Similiter si quis domum ingressus ad furtum faciendum a Domino fuerit impeditus, si nocte subsequenti in eadem domo furtum committat, duo erunt peccata; quia quamvis a voluntate furandi voluntarie non cessaverit, cum tamen duae istae voluntates nihil habeant, in quo uniantur, non poterunt unum actum constituere.

9. 3° actus interrumpitur per cessationem naturalem, puta per somnum, distractionem, ebrietatem, oblivionem, sed in hac re distinguendum est inter actus internos, qui in mente consummantur, et actus externos. Si sermo sit de actibus, qui in mente consummantur, ut haeresis, odium etc., tunc isti interrumpuntur per naturalem cessationem; quia quum duae istae voluntates, ut diximus, nihil habeant, in quo uniantur, non possunt in unam concurrere. Si tamen distractio, somnum fere momentanea essent, non viderentur interrumpi actus interni, qui in mente consummantur; quia parum pro nihilo reputatur. Ex quo consequitur poenitentem teneri in Confessione aperire numerum horum actuum, eoquod sint totidem peccata; quia vero saepe contingit, ut numerus horum actuum iniri nequeat, satis erit poenitenti moram temporis exprimere, quo in peccato E. G. odii permansit, adjiciendo se saepius, vel raro eos actus iterasse; sic enim Confessarius confuse saltem poenitentis statum cognoscit.

Si vero sermo habeatur de actibus externis, qui tendunt uti partes in

actum principalem, in unum actum coalescunt, nisi expresse fuerit voluntas revocata; quare si quis animo occidendi inimicum Romae existentem arma sumat, iter arripiat, et demum occidat, quamvis iste in itinere ad alia se distrahat cum aliis confabulando, dormiat, se inebriet, etc. pluries voluntatem occidendi renovando, unicum dumtaxat committet peccatum; quia in iisdem actibus externis tendentibus ad homicidium, virtualiter semper perseverat eadem occidendi voluntas; illud tamen peccatum eo fit gravius, quo longior est mora temporis, quo in eo persistit voluntas; unde si mora fuerit notabilis, ut eam communiter non cognoscat Confessarius, sicut in allato exemplo, satis non erit poenitenti in Confessione dicere se inimicum occidisse, sed ulterius moram temporis exponere debebit, quo in peccato fuit, quum circumstantiae notabiliter peccatum aggravantes sint in Confessione aperiendae, ut alibi dicetur.

Hinc intelligitur quoque, quare supra diximus, si moraliter interrupti non sint.

CAPUT V.

De peccato omissionis.

SUMMARIA

1. *Omissio in suo formali conceptu nullum involvit actum, in individuo non est sine aliquo actu, qui sit causa, vel occasio ipsius.*
2. *Omnis actus, qui sit causa, vel occasio omissionis culpabilis, licet in se bonus, malitiam omissionis participat.*
3. *Non est tamen aperiendus in Confessione.*
4. *Actus, qui concomitanter tantum se habet ad omissionem, ipsius malitiam non participat.*
5. *Omissio non solum in causa, sed in se peccatum est; idque probatur 1.° ex S. Thoma.*
6. *2.° ex ratione.*
7. *Solvuntur objectiones numeris 7, 8.*
9. *Omissio in Confessione aperienda est.*

1. Vidimus agentes de actibus humanis (1) omissionem, quae nil aliud est, quam praetermissio ejus, quod lege praecipitur, in suo formali conceptu nullum involvere actum; non posse tamen in individuo voluntariam, et culpabilem esse sine aliquo actu, qui sit causa, vel occasio illius; quandoquidem omissio non potest esse voluntaria sine aliquo voluntatis influxu; iste autem influxus sine aliquo actu nec concipi, nec esse potest.

(1) *pag. 72. n.° 10. et seqq.*

Nunc quaeritur, an actus incompossibilis cum observantia praecepti sit peccatum.

2. ℟. 1.°, omnem actum, qui sit causa, vel occasio culpabilis omissionis, quamvis ex objecto bonum, malitiam omissionis participare. Enimvero praeceptum illud, quod pro-

hibet omissionem, prohibet etiam actum, qui sit causa, vel occasio omissionis; quare Parochus, qui laudat Deum eo tempore, quo deberet infirmo assistere, peccat Deum laudando; unde S. Thomas: *Hoc ipsum*, inquit, (1) *quod est laudare Deum ore, potest male fieri, si hoc fiat, quando non debet, quando scilicet homo alia facere tenetur.*

(1) *q. 2. de malo art. 1. ad 7.*

3. Docent tamen plerique contra paucos actum ex objecto bonum, vel indifferentem, qui sit causa, vel occasio omissionis necessario non esse explicandum in Confessione, quum non sit malus alia malitia, quam omissionis; non enim alia ratione est malus, nisi quia includit voluntatem omittendi.

4. ℟. 2.° omnem actum incompossibilem cum observantia praecepti, si non sit causa, vel occasio omissionis, sed concomitanter solum ad hanc se habeat, omissionis malitiam non participare; nec proinde malum esse; etenim iste actus ex se non est malus ex hypothesi, nec vitiatur ex omissione, quia illius non est causa, vel occasio, sed solum concomitanter ad hanc se habet; ergo nullo modo malus est. Hinc si quis ex odio in res sacras nolit die festo Missam audire; si postmodum oblata opportunitate tempore Missae cum amico ludat, ludus non erit malus, quia non est causa, vel occasio omissionis Missae, nec amicus, qui non ignorat causam, ob quam ille Missam omittit, peccabit, utpote qui non cooperetur alterius peccato, quia ex dictis ludus malus non est; secus dicendum, si alter Missam die festo omitteret, ut ludo indulgeret.

Quaeritur 2.°, quandonam peccatum omissionis imputetur.

5. ℟. imputari non solum, quando quis vult directe, vel indirecte omittere; sed etiam quando est tempus operandi; ideoque omissionem non solum in causa, sed etiam in se peccatum esse, licet quando est tempus operandi, quis sui compos non sit.

Et primo omissionem in causa peccatum esse nemini dubium est; enimvero qui vult directe, vel indirecte omittere, vult omissionem culpabilem, adeoque peccatum.

Sed omissio in causa voluntaria, quidquid sentiant aliqui, imputatur etiam, quando est tempus operandi; atque propterea est in se peccatum. Id imprimis docet S. Thomas, qui in rem nostram ita disserit (1): Si peccatum omissionis *sit propter culpam praecedentem (puta cum aliquis de sero se inebriaverit, et non potest surgere ad matutinas horas, ut debet) dicunt quidam, quod tunc incipit peccatum omissionis, quando aliquis se applicat ad actum illicitum, et incompossibilem cum illo actu, ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum; quia dato, quod excitaretur per violentiam, et iret ad matutinas, non omitteret. Unde patet, quod praece-*

dens inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa. Unde dicendum est, quod omissio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi: tamen propter causam praecedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria.

(1) 2. 2. *q.* 79. *art.* 3. *ad* 3.

6. Id ulterius ratione confirmatur: si quis voluntarie se inebriet, praevidens se clericum occisurum, sequuta occisione excommunicationem contrahit. *Ebrius*, inquit S. Thomas (1) *meretur duplices maledictiones propter duo peccata, quae committit, ebrietatem scilicet, et aliud peccatum, quod ex ebrietate sequitur.* Excommunicatio autem non incurritur, nisi ob peccatum; ergo si homicidium in causa voluntarium est etiam in se peccatum, omissio in causa voluntaria erit etiam in se peccatum. Idem dicendum de pollutione in causa voluntaria.

(1) 1. 2. *q.* 76. *art.* 4. *ad* 4.

Si tamen contingeret, ut quis non amplius posset praeceptum adimplere, puta si navigans in mare breviarium projecisset, tunc si mutata voluntate doleat de suo peccato, subsequens omissio non amplius erit in se peccatum, utpote retractata.

Objicitur 1.° Ad peccatum in causa requiritur voluntarium in causa; ergo ad peccatum in se requiritur voluntarium in se.

7. ℟. consecutionem falsam esse; id patet ex jam allato exemplo homicidii, quod in ebrietate voluntaria patratum, est etiam peccatum in se. Id docet S. Thomas quoque de pollutione praevisa, et volita in somno his verbis (1): *Quamvis nocturna pollutio secundum se considerata peccatum mortale esse non potest; nihilominus ratione suae causae quandoque habet mortale peccatum adnexum.* Et sane omissio ipsa jam per se peccatum est; ergo si accedat voluntarium vel in causa, vel in se, formale erit peccatum in se.

(1) 3. *p. q.* 80. *art.* 7.

Objicitur 2.° Si actio, vel omissio in causa voluntaria, ubi non fuerit retractata, est etiam voluntaria in se, poterit ergo homo in somno mereri, sacramenta conficere, imo peccare post mortem, si nempe actio, vel omissio non retractata secuta fuerit post mortem.

8. ℟. posse quidem hominem in somno mereri; si nempe praevideat se subinde esse occidendum in odium Fidei, et in sui mortem consentiat; non tamen posse sacramenta in somno conficere, quia sacramenta pendent a voluntate Christi; Christus autem voluit sacramenta solum confici posse ab eo, qui intentione actuali, vel virtuali gaudet, non autem habituali, ut alibi demonstrant Theologi. Quod demum pertinet ad peccatum post mortem, plures fatentur hominem in allato casu posse peccare; quoniam autem actus externus, vel omissio externa nihil bonitatis, vel malitiae essentialis addit actui interiori, ut dictum est de actibus hu-

manis, ideo homo post mortem meretur quidem poenam, non tamen essentialem, sed accidentalem; non enim est inconveniens, inquiunt, hominem extra statum viae mereri poenam accidentalem; sicut non est inconveniens, quod veniale in inferno puniatur per accidens poena aeterna. Verum alii dicunt hominem post mortem non posse amplius peccare, utpote positum extra statum viae, quum in solo viae statu homo mereri, vel demereri possit.

9. Ex his consequitur omissionem esse in Confessione aperiendam; nec dicas actum ex objecto bonum, vel indifferentem, qui fuit causa, vel occasio omissionis, non esse aperiendum in confessione; ideoque neque omissionem ipsam, sed satis esse, ut aperiatur voluntas omittendi: Respondetur enim praedictum actum non esse malum ratione sui, sed solum ratione omissionis, cujus est causa, vel occasio; at omissio malitiam a se habet; quum voluntas omittendi sit mala, quia omissio ipsa est mala. Unde dispar ratio.

CAPUT VI.

De causis peccati.

1. *Enumerantur peccati causae.*
2. *Diabolus est externa peccati causa.*
3. *Mundus est altera peccati causa externa.*

1. Sermonem hic non instituimus de causa proxima peccati, quia haec nulla alia est, quam voluntas, qua, ut inquit Augustinus (1) *peccatur, et recte vivitur*; sed de quibuslibet aliis causis, sive in homine, sive extra hominem existentibus, quae voluntatem movent ad peccandum. Porro hujusmodi causae aliae interiores sunt, exteriores aliae. Interiores sunt ignorantia ex parte intellectus, malitia ex parte voluntatis, et concupiscentia ex parte appetitus sentientis. De his satis egimus in Commentario de actibus humanis. Exteriores sunt Diabolus, Mundus, et quae in mundo sunt.

(1) *Lib. 1. retract. cap. 9.*

2. Et primo quod pertinet ad Diabolum, certum est hunc aliqua ratione esse causam peccati exteriorem. Discimus enim ex S. literis fatalis inobedientiae hortatorem, suasoremque Evae fuisse, et nihil intentatum reliquisse, ut Jobum a sua innocentia, et a Dei obedientia detruderet. Unde S. Petrus inquit (1): *Vigilate, quia adversarius vester Diabolus circuit quaerens, quem devoret, cui resistite fortes in Fide*; et Apostolus (2): *Induite armaturam Fidei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.* Porro Diabolus non alia ratione homines adducere potest ad peccatum, nisi objiciendo sensibus vitiorum illecebras, vel quosdam motus in spiritibus excitando, quibus vividae imaginationes, vehementesque affectus respondent. Hinc Diabolus, ut inquit Hieronymus (3): *Adjutor, et incensor malarum cogitationum esse*

potest, *auctor esse non potest*, vel ut ait Beda (4): *Qui omnes cadere vult*, *persuadere potest*, *praecipitare non potest.*

(1) *Ep.* 1. *cap.* 5. *v.* 8.

(2) *Ad Ephesios cap.* 6. *v.* 11.

(3) *In caput S. Matth.*

(4) *In caput* 4. *Matth.*

3. Mundum quoque esse peccati causam exteriorem quotidiana experientia satis compertum est; atque de hac mirifice disserit Jullius: "Nunc "autem, *inquit*, (1) simul atque editi "in lucem, et suscepti sumus in omni "continua pravitate, et in summa opi-"nionum perversitate versamur, ut "pene cum lacte nutricis errorem "suxisse videamur. Cum vero pa-"rentibus redditi, idest Magistris "traditi sumus, tum ita variis im-"buimur erroribus, ut vanitati ve-"ritas, et opinioni confirmatae na-"tura ipsa cedat. Accedunt etiam "Poetae, qui cum magnam spe-"ciem doctrinae, sapientiaeque prae-"setulerunt, audiuntur, leguntur, "ediscuntur, et inhaerescunt in men-"tibus. (Quid? si ad poetarum nu-"meros non satis semper severos "mollis, et delicatus cantus acce-"dat, totusque ille blanditiarum ap-"paratus, quo ajunt plurimum ani-"mos demulceri in theatrali con-"sessu:) cum vero accedit eodem "quasi maximus quidam magister "populus, atque omnis undique ad "vitia consentiens multitudo, tum "plane inficimur opinionum pravi-"tate, a naturaque ipsa descisci-"mus.

Mundus igitur nos ad peccatum inducit impiis dictis, atque sermonibus, pravis exemplis, atque sensuum illecebris, unde existunt potissimum tot illae peccatorum occasiones. Quoniam autem plura traduntur a Theologis, tum de peccatorum occasionibus, tum de Deo, utrum sit auctor peccati; ideo duplicem hic articulum subjicimus.

ARTICULUS I.

De occasionibus peccatorum.

SUMMARIA

1. *Occasionis definitio.*
2. *Occasio alia est proxima*, *alia remota.*
3. *Proxima alia est per se*, *alia per accidens.*
4. *Alia formalis*, *alia materialis.*
5. *Alia praesens*, *alia absens.*
6. *Alia interna*, *alia externa.*
7. *Alia voluntaria*, *alia involuntaria*, *seu necessaria*, *quae talis esse potest vel physice*, *vel moraliter.*
8. *In quo sita sit natura occasionis proximae.*
9. *Unde cognoscatur probabile peccandi periculum.*
10. *Constitutus in occasione remota absolvendus est.*
11. *Non est absolvendus constitutus in occasione proxima*, *quam potest*, *et non vult dimittere.*
12. *Etiamsi nondum peccaverit*, *si graves patiatur tentationes.*

13. *Nec prima vice, licet promiserit occasionem dimissurum, si ea sit praesens, & grave non immineat scandalum, vel damnum.*
14. *Solvitur objectio.*
15. *Inabsolutus benigne dimittendus est.*
16. *Nec pariter prima vice absolvendus constitutus in occasione proxima physice necessaria.*
17. *Nec constitutus in occasione proxima moraliter necessaria.*
18. *Solvitur objectio.*
19. *Si occasio moraliter necessaria adhibitis debitis remediis fieri non possit e proxima remota, cum quocumque damno erit dimittenda.*
20. *Solvitur objectio.*
21. *Indicatur modus, quo se gerere debeat Confessarius cum peccante cum propria sorore.*
22. *Quis dicatur consuetudinarius, quis recidivus.*
23. *Absolvi non debet consuetudinarius ordinarie loquendo, donec sufficientia dederit signa emendationis.*
24. *Definiri non potest, quo tempore probandus sit, qui in occasione proxima necessaria, vel peccandi consuetudine versatur.*
25. *Poenitentes interrogandi sunt de consuetudine, vel de occasione.*
26. *Consuetudinarii quandoque obligandi ad iterandas confessiones.*
27. *Recidivi ex fragilitate absolvi possunt, si nondum consuetudinem contraxerint.*
28. *Quid de iis sentiendum, qui in venialia relabuntur.*
29. *Eritne absolvendus occasionarius, vel consuetudinarius, qui sponte confiteatur?*
30. *Quid, si in lacrymas erumpat.*
31. *Quid, si longum iter peregerit confessionis gratia.*
32. *Quid, si media praescripta impleverit.*

1. Quamvis periculum distinguatur ab occasione; cum periculum oriri possit a caussa extrinseca, vel intrinseca, puta ex pravo habitu, vel consuetudine, occasio autem a sola causa extrinseca; quia tamen occasio periculum involvit, prout a Theologis consideratur; hinc plerique unum pro altero usurpant; et nos quoque id faciemus. Quare occasio peccati definiri potest illud omne, quod ad peccatum inducit, seu illud, quod peccandi periculum continet.

2. Dividitur primo in proximam, et remotam; illa periculum peccandi probabile, haec remotum involvit.

3. Proxima subdividitur in proximam per se, et proximam per accidens. Prima est ea, quae attenta communi hominum fragilitate graviter ad peccandum inducit. Secunda vero est ea, quae attenta solum peculiari alicujus hominis fragilitate grave ad peccandum incitamentum praebet.

4. Utraque subdividitur in proximam formaliter, et proximam materialiter. Proxima formaliter ea est, quae attenta communi, vel pecu-

liari alicujus fragilitate graviter pertrahit ad peccandum. Proxima materialiter ea dicitur, quae licet attenta communi, vel particulari alicujus fragilitate nata sit ad peccandum graviter inducere, attentis tamen peculiari conditione hominis, et extraordinariis gratiae auxiliis leviter ad peccatum incitat. Sic inspectio quarumdam partium corporis in foeminis attenta communi hominum fragilitate solet graviter incitare ad libidinem; ita ut ii, qui sine causa dictas partes inspiciunt, probabili se exponant lethaliter peccandi periculo; at attenta peculiari conditione Chirurgi, vel alterius ex necessitate hujusmodi partes inspicientis, et attentis extraordinariis auxiliis, quae Deus solet conferre hisce hominibus, vel non grave ad libidinem incitamentum affert, vel si grave, compescitur ab extraordinariis gratiae auxiliis, ita ut ii homines grave periculum non subeant amittendae castitatis.

5. Dividitur secundo occasio in praesentem, et absentem; praesens est ea, quam homo secum, aut semper, aut fere semper habet; absens vero, quam extra se quaerit.

6. Dividitur tertio in internam, et externam; interna est ea, quae ab intrinseco ad peccatum pertrahit, Talis est habitus pravus, vel consuetudo, vel ignorantia sui muneris. Externa vero, quae ab extrinseco, ad peccatum movet, ut periculosae conversationes.

7. Dividitur quarto in voluntariam, et involuntariam; voluntaria ea est, quam quis sine gravi incommodo dimittere potest; involuntaria vero, seu necessaria, quae physice, vel moraliter deseri nequit. Necessaria physice est ea, quae vel nullo modo dimitti potest; puta si quis peccaret cum socio eadem catena ligato, vel in eodem carcere detento, vel dimitti non potest absque peccato, ut esse potest miles, cui militia est occasio peccandi, a qua sine peccato non potest recedere. Necessaria moraliter dicitur ea, quae sine gravi incommodo E. G. famae, vel bonorum tolli non potest.

8. Theologi omnes fatentur dimittendam esse occasionem proximam, sed disputant inter se, quaenam occasio proxima dicenda sit, an ea, quae invehit probabile peccandi periculum, an ea vero, in qua quis constitutus aut semper, aut fere semper, aut plerumque peccat. Arbitramur autem eam occasionem, quae probabile peccandi periculum continet, vere, et proprie proximam esse. Etenim ex confessione adversariorum occasio proxima dimittenda omnino est; jam vero, quae continet probabile peccandi periculum dimittenda est; *quia qui amat periculum* (1), *peribit in illo*; et sane qui non dimittit occasionem, in qua invenitur peccandi periculum, iste Dei amicitiam, ejusque legem contemnit; ideoque peccat; unde ajebat S. Augustinus (2): *efficere id, quod incertum est, an sit peccatum, certum peccatum est*.

(1) *Ecclesiastici cap. 3 v. 27.*

(2) *Lib. 1° de baptismo.*

9. Porro hoc probabile peccandi periculum aliquando cognoscitur ex natura occasionis, aliquando ex frequenti lapsu. Quaedam enim sunt occasiones, quae attenta communi hominum fragilitate ad peccatum movent, licet in iis nondum peccatum sit. Sic S. Cyprianus (1) una cum Caecilio, Victore, et Sedato collegis suis quasdam virgines damnat, *quae in eodem lecto pariter cum masculis manserant, et asseverabant se integras esse*, et eo nomine damnat, quod in proxima, et voluntaria occasione fuerint: *Nemo*, inquit, *diu tutus est periculo proximus*: E contra quaedam aliae sunt occasiones, quae attenta communi hominum fragilitate, vel peculiari aliquorum dispositione ad peccatum non invitant; unde in his constitutus homo non potest cognosci expositus probabili periculo peccandi, nisi ex frequenti lapsu. Sic si semel aut iterum advocatus injustam causam defenderit: Si mercator in comerciis aliquando fraude, aut perjurio usus fuerit, non statim censeri debet in occasione proxima constitutus. Ceterum quamvis aliqua occasio cognoscatur esse proxima ex frequenti lapsu in idem peccatum, non potest tamen probari sententia eorum Theologorum, qui censent occasionem proximam ex eo metiendam esse, quod homo aut semper, aut fere semper, aut plerumque peccet; alioquin sequeretur, quod ille, qui singulis annis inviseret feminam, et cum ea semper peccaret, iste non censeretur in occasione proxima constitutus, ideoque non obligandus ad domum feminae non amplius repetendam. Immo neque ille qui ter in singulas hebdomadas peccat, esset constitutus in occasione proxima, quia plures sunt dies in mense, in quibus non peccat, quam ii, in quibus peccat, nec etiam ille, qui singulis diebus semel tantum in hora peccavit, esset pariter constitutus in occasione proxima, quia plures sunt horae diei, in quibus non peccat, quam in quibus peccet; quod quam absurdum sit, nemo est, qui non videat.

(1) *Epist. 62.*

An sit absolvendus constitutus in occasione.

10. ℟. 1° constitutum in occasione remota absolvendum esse, quia cum omnia, quae sunt in mundo, esse possint occasio remota peccandi, si homo teneretur deserere occasionem peccandi remotam, deberet e mundo exire, ut loquitur Apostolus (1).

(1) *1 Corint. cap. 5.*

11. ℟. 2° constitutum in occasione proxima voluntaria, quae scilicet absque gravi incommodo dimitti potest, quamque dimittere non vult, non esse absolvendum; nam damnata est ab Innocentio XI. Haec propositio ordine 61: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere*; et hoc valet, sive oc-

casio sit praesens, sive absens; quia iste non habet propositum vitandi peccatum; velle enim manere in tali occasione, est velle peccatum, eo quod sit cum frequenti relapsu conjuncta; immo nec erit absolvendus, licet sub pretextu boni honesti, vel utilis, vel delectabilis in occasione proxima versari velit; damnata enim est a dicto Innocentio haec alia n.° 62. propositio: *Proxima occasio peccati non est fugienda, quando causa aliqua utilis, vel honesta non fugiendi occurrit*, et 63: *Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi*; tum demum haec alia ab Alexandro VII. ordine 41: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illa nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno afficerent concubinarium, et alia famula nimis difficile inveniretur.*

12. ℟. 3° absolvendum non esse constitutum in occasione proxima voluntaria, in qua graves patitur tentationes, licet nondum peccaverit; enim vero proxima occasio ea est, in qua quis prudenter praevidet se peccaturum; sed qui voluntarie se exponit occasioni, in qua graves sit passurus tentationes, prudenter judicare potest se esse peccaturum; nam ut victoriam speret, debet confidere vel in propriis viribus, vel in viribus gratiae. Si primum, Pelagianus est, si secundum, praesumptuosus, et tentans Deum. Egregie Augustinus (1) inquit: *Qui periculum, quantum caveri potest, non cavet, magis tentat Deum, quam speret in eo*: Hinc ancilla, quae saepe ab hero sollicitatur, non erit absolvenda, si heri domum, quam sine incommodo gravi dimittere potest, nolit derelinquere.

(1) *Lib. 16. de civitate Dei cap. 9*

13. ℟. 4° absolvendum non esse prima vice regulariter loquendo constitutum in occasione proxima voluntaria, licet promiserit eam esse dimissurum, si occasio praesens sit. Unde qui habet domi concubinam, non ante est absolvendus quam occasionem dimiserit: *Poenitentem*, inquit S. Carolus (1), *Si aliqua ex his occasionibus, aut similibus, si urgens sit illa occasio, ut qui concubinam v. g. aleret, non debet sine dubio confessarius absolvere, nisi hanc occasionem antea sustulerit*; nam Confessarius tenetur differe absolutionem, quando cognoscit dilationis absolutionem esse medium efficax ad retrahendum peccatorem a peccato; porro experientia docet poenitentem facile relabi in idem peccatum, nisi absolutionis dilatione agnoscere cogatur peccati gravitatem, et dimittendae occasionis necessitatem; quia objecti praesentia, delectationis memoria, lacrymae, et gemitus facillime possunt cor poenitentis immutare.

Dixi 1° *regulariter loquendo*; quia

si grave immineat scandalum, tunc poterit prima vice absolvi: totum id docet D. Carolus loco citato inquiens: *Primum absolutionem differat, donec certa sincerae emendationis videat indicia; quod si absolutionem differre non possit, quin poenitentem exponat gravi infamiae periculo, tum si contritum certis quibusdam notis eum videat, aut ita mente affectum, ut ad omnia remedia paratus sit, quae ad ejus emendationem necessaria judicaverit; puta solus cum sola nunquam conveniat, imponat et preces, et corporis aliquam macerationem, et in primis frequentem confessionis usum, similiaque exercitia, quae si poenitens libenter acceptet, Confessarius eum absolvere potest; quod si jam adhibita hac, aut a se, aut ab alio diligentia, poenitens emendatus non fuerit, absolvi non debet, donec ab ea occasione recesserit.*

At, inquies, prima vice absolvi non potest, qui est constitutus in proxima voluntaria occasione, licet promiserit ab ea recessurum esse; ergo neque si inde timeatur scandalum; neque enim scandalum poterit ingenerare dolorem in poenitente, qui non est.

14 ℟. scandalum quidem non posse dolorem in poenitente invehere, efficere tamen, ut hic, et nunc non teneatur poenitens occasionem proximam dimittere; quia cum Deus velit a poenitente vitari scandalum, majus gratiae auxilium conferet huic poenitenti, si timeatur scandalum. Adde quod prima vice differtur absolutio existenti in occasione proxima, licet promiserit ab ea recessurum, si nullum timeatur scandalum, non quia poenitens credatur indispositus, sed quia timetur absolutione tam subitanea ansam sumpturum ad peccatum iterum patrandum: *Non enim*, ajebat Bellarminus, *esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.*

Dixi 2° *Si occasio sit praesens; nam si sit absens, quales sunt*, inquit S. Carolus loco laudato, *aleae vacatio, aspectus minus pudici, colloquia, gestus etc. non absolvatur, nisi eas dimittere poenitens polliceatur; quod si jam alias pollicitus sit, nec emendatus fuerit, absolutio differatur, donec emendationem agnoverit.* Et infra idem S. Carolus loquens pariter de occasione absente, nimirum *de saltationum publicarum, blasphemorum, aliorumque improborum hominum, cauponarum frequentatione, vita nimirum otiosa, aliaque hujusmodi* dicit: *si horum occasione homo peccare consueverit, nequaquam debet absolvi, nisi primum eam omnino dimiserit, et pollicitus fuerit ab ea se occasione separaturum. Quod si Confessori*, subdit, *visum fuerit ex prima, aut secunda poenitentis pollicitatione, et non amplius ipsum occasionem hanc dimissurum, poterit eum absolvere; absolutionem autem differat, si promissis non steterit donec amandatam omnino fuisse hanc occasionem agnoverit.*

15. Ceterum quoties eveniet, ut

debeat sacerdos poenitenti absolutionem, vel negare, vel prorogare, non praetermittat, eodem monente S. Carolo, *eum salutaribus consiliis, et bonis operibus praescribendis juvare, caveatque, ne quemquam asperius tractans, culpa sua inducat, ut vel desperet, vel Confessionem abhorreat*; debet insuper Confessarius hujusmodi poenitenti tempus statuere, quo redeundum ipsi est, non longius octo, vel quindecim diebus; neque de ejus salute desperet, si post plures reditus nullum satis certum attulerit emendationis argumentum; nam, et ii qui corporibus medentur, adversus inveteratos morbos diu multumque laborant, nec spem abjiciunt, nec aegrotum in desperationem adducunt, nec eum deserunt, donec integram sanitatem, si fieri possit, ipsi conciliaverint.

16. ℟. 5° Constitutum in occasione proxima necessaria physice: puta quando duo eodem carcere detenti sibi sunt occasio peccandi, aut quando miles ex. gr. cui militia est occasio peccandi, non potest eam deserere absque peccato, prima vice absolvendum non esse ex rationibus superius allatis, si nullum immineat scandalum, vel notabile damnum; quare prudentis confessarii partes erunt efficere, ut quae dirimi corporea separatione occasio non potest, animo, et affectu dirimatur; unde praescribenda sunt opportuna remedia, alia quidem generalia, quae omnibus, alia specialia, quae huic pro aetatis, status, sexus, conditionis varietate sint accommodata, prout inferius, et tunc solum poterit ipsum absolvere, quando notabilis emendatio apparuerit.

17. ℟. 6° Constitutum in occasione proxima necessaria moraliter non esse prima vice absolvendum, si nullum pariter sit scandalum, vel nullum subsit grave damnum temporale; patet ex dictis in responsione 4; quare opportunis remediis adhibitis pro qualitate poenitentis, Confessarius curare debebit, ut occasio e proxima evadat remota.

At, inquies, damnata est haec propositio ab Innocentio XI n° 62: *Proxima occasio peccati non est fugienda, quando caussa aliqua utilis, vel honesta non fugiendi occurit*; ergo obligandus erit poenitens ad dimittendam occasionem, licet grave damnum sit secuturum. Adde, quod ex propositione damnata n° 63 ejusdem Pontificis non licet *quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi*; ergo neque licebit manere in occasione necessaria moraliter ad vitandum grave incommodum.

18. ℟. aliud esse velle manere in occasione proxima ob aliquam utilitatem, sive temporalem, sive spiritualem nostram, vel proximi, aliud velle manere in occasione proxima ad vitandum grave incommodum sive nostrum, sive alienum.

Primum non licet, ut constat ex propositionibus damnatis antea citatis, quia, qui vellet manere in oc-

casione proxima voluntaria ob utilitatem temporalem, plus diligeret propriam utilitatem, vel alienam, quam Deum. At velle manere in occasione necessaria, seu ea, quae dimitti non potest absque gravi incommodo, usque dum e proxima fiat remota per media postmodum adhibenda, non est peccatum; non enim qui est in periculo, *sed qui amat periculum* (ut dicitur in Scriptura (1)) *peribit in illo*; non autem amat periculum, qui invitus illud subit. Hinc optime S. Basilius (2) inquit: *Qui urgenti aliqua causa, et necessitate se periculo objicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire; et ideo magis providebit Deus, ne in illo pereat.*

(1) *Eccl.* 3° *v.* 27.

(2) *In constit. Monachorum cap.* 4

Sed quid, si adhibitis omnibus mediis occasio de proxima fieri non possit remota.

19. ℟. aperto ore dicendum esse constitutis in hac occasione moraliter necessaria, in aeternum damnandos, nisi occasionem deserant cum quacumque jactura etiam vitae. Id constat ex praecepto Christi (1): *Quod si oculus tuus scandalizet te, erue eum, et projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrum tuum, quam totum corpus tuum mittatur in Gehennam, et si dextera manus tuae scandalizet te, abscinde eam, et projicie abs te.* Quem in locum ita scribit S. Athanasius (2): *Non de membris corporis hoc dicit Dominus, sed de amicis, et cognatis: membra namque sumus invicem; si igitur habes cognatam, et amicum, cujus sit tanta tibi necessitas, quanta vel dextri oculi, vel manus, si videris ab ipsis damnum inferri animae tuae, abscinde eum. Quid enim prodest*, inquit Christus, (3) *homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?*

(1) *Math. cap.* 5° *v.* 29.

(2) *Serm.* 34.

(3) *Matth.* 16 *v.* 26.

Ergo, inquies, iste neque prima vice poterat absolvi urgente scandalo, cum idem adfuerit periculum.

20 ℟. Disparem esse rationem; nam cum occasio est necessaria, et aliunde remedia nondum sunt adhibita, ope mediorum periculum materialiter proximum, prudenter praesumitur fieri formaliter remotum; at cum adhibitis remediis non adest spes emendationis, periculum evadit formaliter proximum; et ideo omnino vitandum cum quocumque incommodo. *Sin autem*, ait S. Carolus (1) loquens de puella, quae domi habebat occasionem necessariam, *post has similes praecautiones comperiat Confessarius poenitentem in illud peccatum relabi, deneganda prorsus est absolutio, donec deseruerit proximam peccandi occasionem, quidquid tandem evenire debeat.* Hinc Gregorius VII (1) inquit: *Quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exercere non pos-*

sit, si culpis gravioribus irretitus ad poenitentiam venerit, recognoscat se veram poenitentiam non posse peragere, nisi negotium, aut officium deserat. Idem clarius confirmat concilium Lateranense secundum (2) dicens *falsam esse poenitentiam cum poenitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agere nulla ratione praevalet*.

(1) *Relatus in can.* Falsas 6. *de poenit. dist.* 5.

(2) *Relatum in can* Fratres 8 *de poenit. dist.* 5.

Quomodo se gerere debeat confessarius cum illo, qui se accusat solitum esse peccare cum sorore.

21. ℟. curet in primis Confessarius, ut occasio de proxima fiat remota, suggerendo poenitenti remedia opportuna, quibus illum a tali occasione corde, et animo penitus, si fieri possit, avellat; jubendo v. g. ut nunquam solus cum dicta sorore existat, aut confabuletur, imo etiam ejus aspectum, quantum possibile est, fugiat, oret, jejunetque frequenter, corpus etiam (habita ratione conditionis, temperamenti etc. ipsius poenitentis) aliquo instrumento castiget, vel alia hujusmodi remedia suggerendo, quae D. Carolus Boromaeus in sua instructione ad Confessarios proponit; quae quidem remedia, si fideliter adhibita a poenitente, vel ei profuerunt, vel non, si primum ita ut per tempus a Confessario praescriptum a peccato abstinuerit, poterit tunc, et non antea absolvi. Si secundum, scilicet si omnibus adhibitis mediis nihilominus a solito peccato non abstinuerit, ei suadeat Confessarius, ut vel studii, vel negotiationis, vel rei alterius occasione licentiam a parentibus postulet e paterna domo discedendi; si soror sit, quae confiteatur, ei suadeat, ut a matre, et a patre veniam obtineat domo egrediendi caussa invisendi suas cognatas, vel in religiosam domum educationis gratia se se recipiendi; quod si demum haec licentia nequeat obtineri, censent aliqui suadendum esse poenitenti, ut e paterna domo fugiat, quod consilium nobis non probatur, eo quod majus sit periculum in hac fuga, praesertim si de filia sermo sit, quam in mansione penes parentes; unde utilius erit urgere poenitentem, ut per se, vel per aliam personam idoneam de hac re moneat patrem, ut sic auctoritate paterna occasio omnino tollatur, vel saltem de proxima fiat remota. Scio equidem neminem teneri revelare propriam turpitudinem; verum hoc obtinet, quoties aliter salus spiritualis acquiri, vel servari potest; at quando nullum aliud superest medium ad vitandum peccatum, quam se ipsum infamare, erit omnino arripiendum; si enim ex supertus probatis prodigenda est vita, quando periculum peccandi formale adhibitis mediis tolli non potest, quanto magis fama ob eandem causam. Haec omnia possunt facillime applicari vel

filio peccanti cum cognata, vel ancilla, vel fratre.

22. Hactenus de externa occasione diximus, nunc de interna, qua praesertim detinentur consuetudinarii. Consuetudinarius dicitur ille, qui ex frequenti lapsu in idem peccatum proclivitatem, et facilitatem relabendi contraxit. Recidivus vero appellatur ille, qui post confessionem in idem recidit peccatum; unde omnis consuetudinarius est quidem recidivus, non tamen e contra; nam qui semel relapsus est in peccatum antea remissum, vere recidivus est, non tamen consuetudinarius.

An absolvi possit consuetudinarius, priusquam idonea emendationis indicia dederit.

23. ℟. regulariter loquendo non esse absolvendum. Id eruitur ex epistola Cleri Romani ad Cyprianum: *Ubi vero indulgentiae medicina poterit proficere, si ipse etiam medicus tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria tempore remedia obducere cicatrices? Hoc non est curare, sed, si verum dicere volumus, occidere.* Unde Innocentius XI hanc num. 60 damnavit propositionem: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae; etsi nulla emendationis spes appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et emendationem proponere.*

Dixi *regulariter loquendo*; nam prima vice absolvi potest poenitens, non secus ac constitutus in occasione proxima, si inde grave scandalum oriatur, vel grave damnum temporale sit passurus ex denegatione absolutionis; absolvi pariter poterit in articulo mortis; quo in casu ex Augustino: *Si sacramenta damus, securitatem tamen non damus.* Poterit etiam absolvi, qui extraordinaria dederit emendationis indicia; puta si ob mortem amici, vel illius, cum quo peccabat, consuetudini valedixerit, austeramque poenitentiae viam jam fuerit ingressus.

Quoto tempore probari debeat, qui in occasione proxima necessaria, vel in peccandi consuetudine versatur.

24. ℟. id definiri non posse, sed colligendum id esse ex fructibus conversionis; experientia enim nos docet plures parvo, alios non nisi longo tempore se probare. Id docet S. Chrysostomus, inquiens (1): *Verum, inquis, satis poenas expenderunt. Quandiu quaeso? annum unum, et alterum, ac tres. Atqui temporis moram non quaero, sed animae emendationem: hoc itaque fac, demonstres, sint ne compuncti, sint ne in melius mutati, et res tota confecta est.*

(1) *Hom. 14. in secundam epistolam ad Corinth.*

An poenitens per confessionem ignotus interrogari debeat de consuetudine, vel habitu.

25. ℟. poenitentem teneri Confessario interroganti fateri sui peccati consuetudinem, ut patet ex hac propositione ab Innocentio XI damnata:

Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem; non alia sane ratione, nisi quia Confessarius debet cognoscere statum poenitentis, ut inde possit justum ferre judicium de ejus dispositione; aliter enim se gerit Confessarius cum iis, qui semel ex fragilitate peccarunt, aliter cum iis, qui pluries in idem peccatum sunt relapsi. Ex quo consequitur poenitentem etiam non interrogatum teneri confiteri suam consuetudinem, etsi eam non confiteatur, interrogandum esse a Confessario.

Dixi *per confessionem ignotus*; nam si poenitens soleat apud eundem Confessarium sua peccata deponere, non erit necesse, ut suam consuetudinem Confessario aperiat, cum illam Confessarius ex antecedentibus Confessionibus cognoverit.

An consuetudinarii sint obligandi ad iterandas Confessiones.

26. Si post Confessionem eadem fere facilitate in priora peccata sint relapsi, signum est eos sufficientem dolorem de suis peccatis non habuisse; ideoque ad Confessiones iterandas erunt obligandi; at vero si a Confessione per multum tempus, puta per mensem abstinuerint, vel paullo post confessionem relapsi sint ex gravi, nec quaesita occasione, non erit eis neganda gratia sacramentalis; quia ex eo quod fere coacti peccaverint, Confessarius judicare nequit absque sufficienti dispositione absolutionem accepisse.

An absolvi possint recidivi.

27. Recidivos nondum consuetudinarios absolvi posse, si ex fragilitate sint relapsi; cum enim ex fragilitate relabuntur, juvandi erunt gratia sacramentali scribente D. Thoma (1): *Dicendum quod majus remedium praebetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum*. Unde rituale Romanum inquit: *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut saepe peccata semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, et, si expediat, communicent*; relapsus enim non est semper signum propositi infirmi, sed potius infirmitatis naturae.

(1) *In supplem. q. 25 art. 1 ad 4*

Dixi *recidivos nondum consuetudinarios*, quia si consuetudinem jam contraxerint, non peccant ex infirmitate, sed ex pura malitia, unde si hos absolverem, timerem, ne in me caderet illud Achabo dictum (2): *Quia dimisisti virum morte dignum, erit anima tua pro anima illius.*

(1) *In suppl. q. 25. art. 1 ad 4.*

(2) *Lib. 3 Reg. cap. 20 v 42.*

An absolvi debeat, qui in peccata venialia relabendi consuetudinem habet.

28 ℟. si iste poenitens una cum venialibus mortale deponeret, curarem primo a mortalibus emendare, et ab his emendatum absolverem; etiamsi in venialia labendi consuetudinem nondum dimiserit; neque enim uno eodemque tempore exi-

gendum est, ut poenitens mortalium reus statim ad perfectionis apicem perveniat; cum ex trito proverbio: *Nemo repente fiat summus.* Si vero sola venialia deposuerit, videndum, utrum in haec relabatur ex pura fragilitate, an vero ex malitia. Si primum, absolverem sane, quia frequens relapsus in eadem venialia non tam arguit defectum doloris, et propositi, quam magnam naturae humanae fragilitatem, et inconstantiam; verum, ut consulerem sacramenti valori, poenitentem inducerem, ut adderet ex praeterita vita peccatum jam depositum, et dimissum, eumque excitarem, ut de illo doleret; sic enim consulitur valori sacramenti, et fructus ejus certius obtinetur; si secundum, haec ante oculos poenitentis ponerem. 1.° Veniale esse pejus malum omni malo physico mundi hujus, quia malum physicum contra creaturam est, veniale contra Deum. 2.° Quia veniale Deus gravissimis quandoque poenis punivit, sic Moyses propter levem difidentiae culpam exclusus est a terra promissionis, levis Ozeae imprudentia, morte repentina, levis vanitas Davidis in numerando populo, peste et septuaginta millium hominum morte punita est. 3.°. Quia veniale sensim sine sensu ad peccatum disponit: *Qui spernit modica, paullatim decidet* (1): *Os, quod mentitur, occidit animam* (2). Unde venialia deliberata causa saepe sunt aeternae damnationis: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (3): *Declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem* (4). Hisce vel similibus propositis semel vel bis absolverem; quod si iis motivis nunquam territus in quaecumque venialia maxima facilitate prorueret, quin sibi aliquam vim inferret, eaque biberet, sicut aquam, inabsolutum dimitterem, utpote expositum probabili, et sponte quaesito periculo mortaliter peccandi, ut constat ex dictis cap. 3. art. 3. n. 9.

(1) *Eccl.* 19. *v.* 1.
(2) *Sap.* 1. *v.* 11.
(3) *Apocalyp.* 3. *v.* 16.
(4) *Psalm.* 124. *v.* 5.

An spontanea confessio sit signum sufficientis doloris in occasionario, vel consuetudinario.

19. ℞. quamvis spontanea confessio possit esse signum doloris in occasionario, vel consuetudinario, qui prima vice confitetur; cum hi prima vice confitentes sint absolvendi ex dictis, si urgeat scandalum, vel grave damnum temporale; attamen quia dilatio absolutionis multum confert ad emendationem consuetudinarii, vel occasionarii, quatenus efficit ut cum sua confusione videant animae suae pericula juxta illud (1). *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine*; ideo his etiam prima vice confitentibus erit differenda absolutio. At spontanea Confessio nunquam poterit esse signum doloris in iis, qui saepius con-

fessi, saepius in eadem relapsi sunt peccata, unde damnata est haec propositio ab Innocentio XI. ordine 60.: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi . . . . . non est neganda, vel differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.*

(1) *Psalm.* 81. *v.* 17.

Quid, si occasionarius, vel consuetudinarius in lacrymas erumpat, erit ne absolvendus?

30. ℟. occasionarium, vel consuetudinem etiam prima vice confitentem non absolverem, si hic, et nunc nihil urgeret, sed dicerem cum S. Thoma a Villanova (1): *Peccator, si vere ploras, fuge concupiscentias, dimitte lasciviam, expelle mierculam, solve catenam; alias non credo verbis, non credo lacrymis; quia funiculus triplex malae inclinationis, pravae consuetudinis, voluntariae occasionis difficile rumpitur.* Experientia enim edocti sumus dilationem absolutionis efficax remedium esse ad hos homines a peccatis retrahendos. Adde quod saepe lacrymae praesertim in mulieribus, et rudibus non semper sunt signa verae poenitentiae, quandoque enim proveniunt vel ex motivo negatae absolutionis, vel damni passi, vel imminentis. Quod diximus de eo poenitente, qui in lacrymas erumpit, idem dicendum de eo, qui occasione mortis amici, vel concionis territus ad confessionem accedit.

(1) *Serm. in feriam 6. post Dominicam 5.*

An absolvendus, qui longum iter peregit confessionis gratia.

31. ℟. si jam iste aliis fuerit confessus suum habitum, vel occasionem, et non fuerit emendatus, inabsolutum dimitterem; neque enim ex longo suscepto itinere cognosci poterit in poenitente voluntas dimittendi peccatum, sed potius voluntas experiendi, an eam, quam in patria non potuit obtinere absolutionem, alibi obtineat; unde hic militant omnes rationes, quibus superius diximus occasionarium, vel consuetudinarium non esse absolvendum; si vero nondum fuerit confessus, inspiciendum erit, an sine gravi incommodo redire possit, quia scilicet in loco ubi confitetur, habet quaedam negotia postmodum pertractanda, et ei erit differenda absolutio; cum hisce poenitentibus dilatio absolutionis sit medium efficax contra eorum peccata; si autem absque gravi incommodo redire non possit, videndum, quo fine alio perrexerit Confessionis gratia; si enim hoc solo fine, quia Confessarios propriae patriae reputabat rigori addictos; unde ab his absolutionem non sperabat, erit inabsolutus dimittendus; quia iste vel non habet animum dimittendi occasionem, vel peccandi consuetudinem, vel saltem condignam de propriis peccatis agendi poenitentiam. Si vero alio perrexerit, quia non audebat suae patriae Confessariis propria detegere peccata, prima vice confitentem absolverem, quia spon-

tanea confessio in eo, qui prima vice confitetur, solet esse signum sufficientis doloris, quae conjuncta cum gravi incommodo redeundi, sufficientem praebet causam Confessario absolutionem impertiendi.

An occasionarius, vel consuetudinarius sit absolvendus, si media a Confessario praescripta impleverit.

32. R/. non esse absolvendum, si pari facilitate in eadem peccata lapsus sit; relapsus enim ostendit nullum, aut fere nullum fuisse dolorem in poenitente; et quamvis media adhibuerit a Confessario praescripta; hoc tamen solum probat, ea remedia non fuisse efficacia ad eruendum ipsum a peccato; unde opportuniora, et efficaciora erunt huic poenitenti praescribenda a Confessario.

ARTICULUS II.

An Deus sit auctor peccati.

SUMMARIA.

1. *Referuntur errores.*
2. *Deus non est auctor peccati; idque probatur 1.° ex sacris litteris.*
3. *2.° ex Patribus.*
4. *3.° ex ratione.*
5. *Solvuntur objectiones ex Scriptura a n. 5. usque ad 11.*
12. *In definienda quaestione, an Deus sit auctor peccati, standum est Patrum interpretationi, et rectae rationi.*
13. *Solvuntur objectiones ex Augustino a n. 13. usque ad 17.*

1. Solet etiam hic institui quaestio, an Deus sit auctor peccati. Circa hanc plurimi errarunt. Et 1.° Simon Magus teste Vincentio Lirinensi (1), docens naturam nostram in peccatum necessario ruere. 2.° Cerdoniani, Marcionitae, Manichaei, et Albigenses statuentes duo prima rerum Principia, quorum unum boni, alterum mali causa sit; ineunte hoc seculo Manichaeorum causam egit Petrus Baellius (2). 3.° Florinus Montani discipulus teste Irenaeo (3), asserens Deum bonum esse proprie auctorem peccati. 4.° Hunc secuti sunt seculo XVI quidam dicti Libertini, quorum duces fuerunt duo sutores Quintinus, et Coppinus, et iste sententia Magistratus Tornacensis fuit vivus combustus. 5.° Horum errorem adoptarunt Pseudo-Reformatorum antesignani: *In nobis*, ait Lutherus (4), *Deus bona, et mala operatur: sicut fatentur Papistae*, inquit Melancthon (5), *Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fatemur opera Dei propria esse Davidis adulterium.* Et quamvis Calvinus neget Deum esse peccati auctorem, quia tamen scribit (6) peccatum Semei contra David, Judaeorum contra Christum *non solum permissu, sed decreto, jussu, et imperio Dei factum esse*, evidens est Deum peccati auctorem fuisse.

(1) *Commonitorio cap. 34.*

(2) *In dictionario historico critico art. Manichaei.*

(3) *Apud Eusebium lib. 5. hist. c. 20.*

(4) *Lib. de servo arbit.*
(5) *Annot. in ep. ad Rom. cap.* 8.
(6) *Lib.* 1. *Instit. cap.* 18. *sect.* 1.

Dico igitur Deum non esse auctorem peccati.

2. Probatur. Ille non est auctor peccati, qui peccatum non vult, sed odit, prohibet, et punit. Atqui Deus non vult peccatum: *Non* (1) *Deus volens iniquitatem tu es*, sed ipsum odio habet: *Odio* (2) *est Deo impius, et impietas ejus*, prohibet quoque: *Non occides* (3), *non moechaberis, non furaberis etc.* et Demum punit: *Anima* (4), *quae peccaverit ipsa morietur.* Ergo etc.

(1) *Psalm.* 5. *v.* 5.
(2) *Sap.* 14. *v.* 9.
(3) *In Decalogo.*
(4) *Ezech.* 18. *v.* 4.

3. Probatur 2.º ex Patribus, inter quos laudo Augustinum tantum, quia eo solo gloriantur Eterodoxi: *Iniquitatem, quam rectissime veritas improbat, damnare novit ipse* (Deus) *non facere* (1): *Nullius culpae humanae in Deum referas causam* (2): *Modus, quo traditus est homo in Diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tamquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit, sed quod tantum permiserit* (2). Distinguit ergo S. Doctor permissionem a jussione peccati ex parte Dei, quam distinctionem Calvinus rejicit. Mitto plura alia.

(1) *Ep.* 194. *n.* 30.
(2) *Lib.* 2. *de peccat. meritis cap.* 17. *n.* 27.
(3) *Lib.* 13. *de Trinitate cap.* 12. *n.* 16.

4. Probatur 3.º ratione: peccatum consistit in ordinis perversione, ut ex dictis constat; ergo ab eo esse non potest, a quo, quaecumque sunt, ordinata sunt (1). Deinde peccatum repugnat legi aeternae; ideoque divinae Sapientiae ordini; ergo a Deo esse nequit, alioquin suam sapientiam, et propterea seipsum negare posset, quod Paulo adversatur scribenti: *Deus negare seipsum non potest* (2).

(1) *Ad Rom.* 13. *v.* 1.
(2) 2. *ad Timoth.* 2. *v.* 13.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt 1.º Deus in homine omne malum operatur: *Si est malum in civitate, quod non fecerit Dominus* (1): *Ego Dominus .... faciens pacem, et creans malum* (2); ergo si omne malum facit Deus, operatur etiam in homine peccatum.

(1) *Amos* 3. *v.* 6.
(2) *Isaiae cap.* 45. *v.* 5. *et* 7.

5. ℟. Deum operari in homine omne malum physicum, seu poenae, non vero omne malum morale, seu culpae. Haec responsio colligitur ex verbis Amos antecedentibus: *Audite*, inquit, *verbum, quod locutus est Dominus super vos ... visitabo super vos omnes iniquitates vestras*, idest calamitatibus, et miseriis puniam iniquitates vestras. Et ita respondet Augustinus (1): *Malum hoc loco non peccatum, sed poena intelligenda est, dupliciter enim appellatur malum, unum*

quod homo facit, *alterum quod patitur*: de poenis ergo loquebatur Propheta, cum diceret: *Si est etc.*

(1) *Lib. contra Adimantum cap.* 26.

Instabis. Deus in homine operatur etiam malum morale, quia *omnia propter ipsum operatus est*, *impium quoque ad diem malum*, idest ad damnationem (1); unde *excitavit* Pharaonem, *ut in eo ostenderet virtutem suam* (2). Ergo etc.

(1) *Prov.* 16. *v.* 4.

(2) *Ad Rom.* 9. *v.* 17.

6. ℟. Deum creare hominem, quem impium fore praenovit, ut sic eum puniendo manifestaretur ejus gloria, et justitia, non vero decernere, et operari peccata, ob quae puniantur: *Eorum mala opera*, inquit S. Fulgentius (1), *licet futura praesciret*, *non tamen ipse praedestinavit*, *ut futura essent*, *quia non ipse fecit*, *ut fierent.*

(1) *Lib.* 1. *ad Monimum cap.* 17.

Instabis. Deus non solum praenoscit, sed decernit, et praedefinit peccata. Sic enim Joseph (1) fratres suos alloquitur: *Non vestro consilio*, *sed Dei voluntate huc missus sum.* Quare Christus dicitur a Judaeis interfectus *definito consilio* (2), quum Israelitae contra Christum ea tantum fecerint, *quae manus Dei*, *et consilium decreverunt fieri* (3).

(1) *Geneseos* 45. *v.* 8.

(2) *Act. cap.* 2. *v.* 23.

(3) *Act. cap.* 4. *v.* 27.

7. ℟. in facto Joseph duo esse distinguenda, venditionem scilicet ipsius, et exaltationem; venditio, utpote mala a Deo non erat, sed ejus exaltatio a Deo fuit, qui actionem fratrum in bonum convertit, ut indicant haec Josephi verba (1): *Vos cogitastis de me malum*; *sed Deus vertit illud in bonum*, *ut exaltaret me.* Quare verba haec Josephi antecedentia mox citatum versiculum: *Nolite timere*: *Num Dei possumus resistere voluntati* (2)? non significant fratrum crimen fuisse Dei voluntate commissum, quum dicat: *Vos cogitastis de me malum*; ideoque peccatum ad fratres referat, sed solum se condonare ipsis injuriam sibi factam, atque ipsis benefacturum juxta Dei voluntatem, cui resisti nequit; quod statim indicat dicens (3): *Nolite timere*, *pascam vos*, *et parvulos vestros.* Similiter occisio Christi ex parte Judaeorum mala erat, ideoque a Deo decreta non fuit, sed ex parte Christi erat bona, et supposita Judaeorum malitia, quam Deus ab aeterno praesciverat, Christum interficiendi, a Deo fuit decreta. Unde S. Leo (4) ita verba nobis objecta explicat: *Quod itaque Dominus Jesus Christus furorem frementium pati voluerit*, *in nullo auctor eorum criminum fuit*, *nec egit*, *ut haec vellent*, *sed cessit*, *ut possent.* Venditio ergo Joseph, et occisio Christi ex parte fratrum non fuit decreta, sed tantum permissa.

(1) *Geneseos* 50. *v.* 20.

(2) *Geneseos* 50. *v.* 19.

(3) *Geneseos* 50. *v.* 21.

(4) *Serm. 16. de passione Domini cap. 4.*

Instabis: *Deus praecepit Semei, ut malediceret David* (1); et dixit spiritui malo, qui Achab decipere volebat: *Decipies, et praevalebis, vade et fiat ita; commovitque* (2) *etiam David in eis dicentem: Vade, numera Israel, et Judam.* Ergo Deus non permittit tantum, sed decernit peccata.

(1) 2. *Reg. cap. 16. v.* 10.

(2) 2. *Reg. cap. 24. v.* 1.

8. ℟. ad primum, verba *praecipere, permittere* indiscriminatim usurpari a S. Scriptura. Sic interrogantibus Pharisaeis: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii?* respondit Christus: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras* (1). Et sane *nemini mandavit Deus impie agere* (2). Si ergo verbum illud *praecepit*, eo in loco non significaret, *permisit*, Scriptura sibi ipsi contradiceret.

(1) *Matth.* 19. *v.* 7. *et* 8.

(2) *Eccl.* 15. *v.* 21.

9. ℟. ad secundum, spiritum malum, utpote jam ad decipiendum dispositum, ut patet ex his ejus verbis: *Ego decipiam*, non indiguisse Dei praecepto ad decipiendum; quare ea verba: *Decipies ... vade et fac ita*: hunc sensum reddunt, non impedio, sed permitto tibi, ut malam exequaris in Achab voluntatem? eamdem interpretationem habent verba Christi ita Judam alloquentis: *Quod facis, fac citius* (1).

(1) *Joannis* 13. *v.* 27.

10. ℟. ad tertium, non Deum, sed Satan commovisse David, ut ex his Scripturae verbis (1) constat: *Consurrexit Satan contra Israel: et concitavit David, ut numeraret Israel.*

(1) *Lib.* 1. *Paralip. c.* 21. *v.* 1.

Inquiunt demum Deum homines *indurare* (1), *excaecare* (2), *tradere in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt* (3) *etc.* et his similia.

(1) *Exod.* 9. *v.* 12.

(2) 2. *Corinth.* 4. *v.* 4.

(3) *Ad Rom.* 1. *v.* 28.

11. ℟. Deum homines indurare non positive, sed negative, idest: *Non impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam*, ut inquit Augustinus (1): Deum homines excaecare *deserendo non adjuvando*, idem S. Augustinus (2): tradere in reprobum sensum, *non quia ipse tradat aliquem, sed eo quod derelinquit indignos*, et ita Origenes (3).

(1) *Ep.* 194. *n.* 14.

(2) *Tract.* 35. *in Joannem.*

(3) *Hom.* 2.

Scholion.

12. Quum igitur s. Scriptura saepe tradat Deum decernere, praecipere, operari peccata, homines indurare, excaecare, tradere in reprobum sensum etc.; alibi vero contrarium statuat, ut vidimus; dicendum ne erit s. Scripturam sibi ipsi adversari? absit. Quomodo ergo interpretanda? in hoc Scripturae inter se apparenti conflictu standum erit Sanctorum

Patrum interpretationi, quorum nullus est sanior Scripturae interpres, tum rationi. Porro Sancti Patres, ut observavimus, ubique docent Deum praescire quidem, permittere peccata, homines indurare, excaecare negative, et ita s. Scripturam interpretantur, dum dicit Deum decernere, praecipere, operari peccata etc. Ratio quoque ostendit Deum nullo modo posse decernere peccata; alioquin Deus aeternam legem, a qua peccata prohibentur, ideoque seipsum negaret.

Solvuntur objectiones ex Augustino.

Calviniani omissis ceteris Patribus ad unum Augustinum confugiunt, quem in hac causa suum esse gloriantur; objiciunt igitur ipsum scribentem primo (1) non fieri *praeter* Dei *voluntatem* quod contra ejus fit voluntatem, *quia non fieret, si non sineret, nec utique nolens sinit, sed volens* 2.°. (2) *operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, sive ad bona pro misericordia sua, sive ad mala pro meritis eorum.* 3.° (3) hominem a Deo *praedestinatum esse ad interitum.* 4.° (4) Falso Julianum contendere Deum permittere peccata deserendo; at Juliani sententia Papistarum sententia est.

(1) *In Enchiridio cap.* 100.

(2) *Lib. de gratia et lib. arb. c.* 21.

(3) *Lib.* 1. *de perfectione justitiae cap.* 23.

(4) *Lib.* 5. *contra Julianum c.* 3.

13. ℟. ad primum, loqui Augustinum de voluntate tantum permissiva, non vero positiva. Sinit namque *volens*, quia si non vellet, peccatum non fieret. Aliud est ergo velle permittere peccatum, aliud velle peccatum; primum potest Deus, non autem secundum, ut ex dictis patet.

At, inquiunt, Augustinus ait (1): *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, et rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona.* Ergo fieri potest, ut voluntas hominis sit mala, et voluntas Dei idem volentis, quod homo, sit bona. Haec sententia ipsissima est Calvini.

(1) *In Enchiridio cap.* 101.

14 ℟. cum Billuart, Augustinum ibi non agere „ de objecto secundum „ se malo, sed ex aliqua circum„ stantia tantum, seu ex ipsa mala „ intentione; ponit exemplum in „ morte patris, quam Deus et filius „ volunt: sic, inquit, *aliquando bona* „ *voluntate homo vult aliquid*, scilicet „ vitam patris, *quod Deus non vult.* „ Et rursus fieri potest, *ut hoc velit* „ *homo voluntate mala*, puta mortem „ patris, ut citius adeat hereditatem, „ *quod Deus vult bona*, puta in punitionem peccatorum praeterito„ rum.

15. ℟. ad 2. ex Augustino ipso Deum aliter inclinare hominum voluntates ad bonum, aliter ad malum; ad bonum quidem efficiendo, ut ex nolentibus volentes fiant (1), ad

malum *non impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam*, ut supra diximus.

16. R. ad 3. mentem Augustini hisce verbis explicare S. Fulgentium (1): *Nihil aliud S. Augustinus significat, cum ad interitum quosdam praedestinatos affirmat, nisi ad interitum supplicii, non delicti, neque ad malum, quod injuste admittunt; sed ad cruciatum, quem justissime patientur.*

(1) *Lib.* 1. *ad Monimum cap.* 5.

17. R. ad 4. Augustinum ibi agere adversus Julianum, qui sentiebat Deum, dum homines deserit, nullam ipsis auferre gratiam, quam necessariam ad bene agendum non putabat, hanc ergo desertionem hoc modo intellectam rejicit Augustinus; at desertionem in sensu catholico admittit ajens (1): *Excaecat, etobdurat Deus deserendo, et non adjuvando.*

(1) *Tract.* 53. *in Joannem.*

CAPUT VII.

De conditionibus ad peccatum requisitis.

SUMMARIUM

1. *Duae ad peccandum requiruntur conditiones, advertentia scilicet intellectus, et consensus voluntatis.*

1. Quum *peccatum usque adeo voluntarium sit, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*; sicut scribit Augustinus (1); ad voluntarium autem duae requirantur conditiones, cognitio nempe intellectus, seu advertentia, et propensio voluntatis; hinc manifestum est duas has conditiones ad peccatum necessarias esse. De prima nunc, postmodum de secunda acturi.

(1) *Lib. de vera relig. cap.* 14.

ARTICULUS PRIMUS

De advertentia ad peccatum necessaria.

SUMMARIA

1. *Advertentia alia plena est, alia semiplena.*
2. *Alia formalis, alia virtualis.*
3. *Ad peccatum aliqua advertentia requiritur.*
4. *Ad peccandum sufficit advertentia virtualis; idque probatur 1.° ex Scriptura.*
5. *2.° ex ratione.*
6. *Ex propositione damnata.*
7. *Objectiones retorqueri possunt in adversarios.*
8. *Solvitur objectio ex verbis Christi.*
9. *Solvitur objectio ex verbis Apostoli.*
10. *Solvitur objectio ex Sanctis Augustino, et Thoma numeris* 10. 11.
12. *Solvitur objectio ex ratione.*
13. *Solvitur altera objectio ex ratione.*

1. Advertentia dividitur 1.° in plenam, seu perfectam, et semiplenam, seu imperfectam. Prima est ea, qua homo posset, si vellet, cognoscere actionem cum suis omnibus circumstantiis. Secunda vero ea est, qua

homo ob aliquod impedimentum, puta somnum, sufficientem habere non potest, actionis notitiam, et de ea deliberare.

2. Dividitur 2° in formalem, et virtualem: formalis ea est, qua quis actu actionis malitiam cognoscit, virtualis vero, qua actionis malitiam cognosceret, nisi inadvertentiae culpabilem dedisset caussam. Haec autem inadvertentia culpabilis, quandoque oritur ex impetu passionis, vel voluntatis *pertransitis gradibus*, ut inquit S. Thomas, (1) quando nempe homo praecipitanter agit, vel ex pravo habitu, qui ita cor hominis rebus terrenis addicit, ut ei considerare non sinat obligationem, qua adstringitur, vel ex negligentia addiscendi ea, quae scire tenetur. Has causas ignorantiae, vel inadvertentiae assignat D. Thomas (2) et deinde concludit: *Cum autem ignorantia*, seu *inadvertentia voluntaria est aliquo istorum modorum*, *non potest causare simpliciter involuntarium.*

(1) 2. 2. *q.* 53. *art.* 3.

(2) 1. 2. *q.* 6. *art.* 6.

3. Certum est penes omnes Theologos aliquam requiri advertentiam ad peccatum: nam nullum peccatum est nisi voluntarium ex Augustino; ad voluntarium autem cognitio intellectus, seu advertentia necessaria est. At adhuc quaestio est, num ad peccandum requiratur formalis advertentia, aut saltem suspicio, dubium de malitia actionis, an satis sit virtualis, qua malitia actionis cognovisset homo, si inadvertentiae culpabilem causam non dedisset. Plures sunt, qui quamvis concedant inadvertentiam esse culpabilem, nolunt tamen hanc inadvertentiam malitiam refundere in actionem, quae inde ex ea oritur, nisi in actione praesenti adfuerit formalis advertentia, aut saltem suspicio, dubium de malitia actionis: contra hos.

4. Dico ad peccandum necessariam non esse advertentiam formalem, sed sufficere virtualem. Id imprimis ex Scripturis probatur. Apostolorum persecutores non solum peccarunt in negligentia cognoscendi, sed in ipso nefario opere, ut de se ipso fatetur Paulus his verbis (1): *Fui blasphemus*, *et persecutor*, *et contumeliosus.* Atqui tamen isti nullam habebant actualem, et formalem advertentiam malitiae actionis; imo potius putabant se obsequium praestare Deo, ut patet ex his Christi verbis (2): *Venit hora*, *ut omnis*, *qui interficit vos*, *arbitretur obsequium se praestare Deo*: *et hoc facient vobis*, *quia non noverunt Patrem*, *neque me*. Similiter Christi crucifixores peccarunt quoque in opere, quandoquidem Christus orat Patrem, ut illis dimittat hoc peccatum hisce verbis (3): *Pater*, *dimitte illis*: *non enim sciunt*, *quid faciunt.* Porro isti actu non advertebant ad peccatum, quod operabantur: *Si enim*, ut inquit Apostolus (4) *cognovissent*, *numquam Dominum gloriae crucifixissent*.

(1) 1. *ad Timoth.* 1. *v.* 13.

(2) *Joan.* 16. *v.* 2.

(3) *Lucae* 23. *v.* 34.

(4) *I. Corinth.* 2. *v.* 8.

5. Id ipsum, missis S. Patribus, ratio evincit. Nam admissa adversariorum sententia nebulones, et perditi quicumque homines, qui iniquitatem bibunt sicut aquam, et quorum Deus excaecavit oculos, et induravit cor, ut videntes non videant, et audientes non intelligant, qui propterea nihil aliud animo, et cogitatione revolvunt, quam ut suis cupiditatibus satisfaciant, nunquam propterea de actionis turpitudine, et Dei lege cogitantes hoc ex suis iniquitatibus emolumentum reportabunt, ut nullo modo in suis operibus, licet scelestissimis peccent. Quod sane a communi hominum sensu abhorret.

6. Ex his consequitur merito fuisse damnatam ab Alexandro VIII hanc propositionem Divione propugnatam his verbis expressam: *Peccatum philosophicum, seu morale est actus disconveniens naturae rationali, et rectae rationi: Theologicum vero, et mortale est transgressio libera legis divinae. Philosophicum, quamtumvis grave in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.* Haec propositio tria supponit, nempe 1° dari posse ignorantiam invincibilem existentiae Dei; quod tamen invictissimis argumentis alibi Theologi demonstrant falsum esse: 2° dari posse actionem disconvenientem naturae rationali, et rectae rationi, non tamen legi Dei aeternae, quod tamen pariter falsum est, quum recta ratio sit participatio legis aeternae, ut demonstravimus agentes de lege naturali, et aeterna. 3° ad peccandum non sufficere virtualem advertentiam, sed requiri actualem, seu formalem; quod hactenus ut falsum ostendimus.

7. Solent Probabilistae plura objicere, quae tamen adversus ipsos militant; et ab his quoque solvenda sunt; nam admittunt peccata ignorantiae; jam vero ignorantia, quum sit defectus cognitionis, excludit advertentiam formalem. Sed ne eorum argumenta praetermittere videamur, eos audiamus.

Objiciunt 1° Christus (1) ait: *Si caeci essetis, non haberetis peccatum;* sed qui non habet notitiam malitiae actionis caecus est; ergo non habet peccatum.

(1) *Joannis cap.* 9. *v.* 41.

8. ℟. Christum eo loci alloqui Pharisaeos, qui quum audivissent Christum post sanationem caeci dicentem se venisse in mundum, ut caeci viderent, quaesierunt ab eo, num et ipsi caeci essent, quibus respondit: *Si caeci essetis, idest*, inquit Augustinus (1) *si vos caecos adverteretis ... et ad medicum curreretis ... non haberetis peccatum, quia veni ego auferre peccatum. Nunc ergo, quia di-*

citis, videmus, peccatum vestrum manet. Quare! quia dicendo, videmus, medicum non quaeritis, et in caecitate vestra remanetis. Sed quid moror in hoc argumento solvendo, si et adversarii concedunt ignorantiam Pharisaeorum fuisse vincibilem: unde paucis; *Si caeci essetis*, idest *si vestra ignorantia esset invincibilis, non haberetis peccatum*; at *quia dicitis, videmus*, oculos claudentes testimonio Christi tot miraculis confirmato, habentes propterea ignorantiam vincibilem, nullam excusationem habetis; ideoque peccatum vestrum manet.

(1) *Tract. 44. in Joannem.*

Objiciunt 2° Apostolus ait (1): *Usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, quum lex non esset*; quare autem non imputabatur, quia non habebatur peccati notitia.

(1) *Ad Rom. 5. v. 13.*

9. ℟. peccata ante legem Mosaicam fuisse vere imputata hominibus, scimus enim ea fuisse ultricibus Diluvii aquis in hac vita punita. Quando ergo Apostolus scripsit: Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset: *Non, ait* ita Augustinus (1), *non erat, sed non deputabatur. Neque cum lex data est, ablatum est, sed deputari coepit, idest apparere.* Apparuit ergo post legem Mosaicam peccatum, quod ante ob ignorantiam vincibilem non cognoscebatur.

(1) *In exposit. quarumdam prop. ex ep. ad Rom. prop. 26.*

Objiciunt 3° S. Augustinum scribentem (1): *Peccatum quod proprie vocatur, libera voluntate ab sciente committitur.* Et S. Thomam (2): *Cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie peccatum.*

(1) *Lib. 3. de lib. art. cap. 19.*

(2) *Quodlib. 3. art. 8.*

10. ℟. ad primum, S. Augustinum pluribus in locis ignorantiae peccata admittere, quae respuunt scientiam actualem malitiae: sic in suis confessionibus de se ipso scribit: *Eo insanabilius peccabam, quod me peccare nesciebam*; ergo Augustinus in objecto loco loquitur de eo, qui nulla detinebatur ignorantia vincibili, et tunc scientia actualis requiritur ad peccatum.

11. ℟. ad secundum, Angelicum, dum scripsit nescientem fornicationem esse peccatum, non dixisse non peccare, sed non voluntarie facere peccatum; idest non voluntario directo, et explicito, sed tantum voluntario indirecto, et implicito. Id constat ex his ejus verbis (1): *Quandoque error conscientiae non habet vim absolvendi, et excusandi, quando scilicet ipse error procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, et potest; sicut si crederet fornicationem simplicem esse peccatum veniale, et tunc quamvis se peccare venialiter putaret, non tamen venialiter peccaret, sed mortaliter.*

(1) *Quodlibet* 8. *art.* 15.

Objiciunt 4° ut peccatum alicui imputetur, opus est, ut malitiae animadversio sit illi possibilis, animadversio autem est impossibilis illi, cujus nulla unquam mentem subiit illius cogitatio, suspicio, aut dubitatio.

12. ℟. fatemur quidem animadversionem malitiae esse impossibilem illi, cujus nulla unquam mentem subiit cogitatio, suspicio, aut dubitatio, si nullum posuit voluntarium animadversioni impedimentum, ideoque in hoc casu imputari non posse: at aliter dicendum, si sua culpa factum est, ut nunquam in ejus mentem venerit actionis pravitas, et malitia; nempe si vitiis belluarum more indulgendo nunquam fuerit sollicitus de notitia sibi comparandae divinae legis, et propriorum officiorum; tunc enim quamvis hic et nunc non possit actu advertere ad malitiam actionis, quia nulla ipsius mentem subit cogitatio, vel scrupulus malitiae, tamen opus malum ipsi imputatur, quia voluntarium advertentiae actuali impedimentum posuit. Alioquin felices sane erunt perditi ii homines, qui toti sunt in explendis suis cupiditatibus; atque ab iis per habitum contractum ita rapiuntur, ut nullum de actionum suarum pravitate scrupulum sentiant.

Objiciunt 5° quo magis minuitur cognitio, eo magis minuitur peccatum: ergo si penitus tollatur cognitio, penitus tollitur peccatum.

13. ℟. tolli quidem penitus peccatum, si tollatur cognitio peccati tum actualis, tum virtualis, non vero si tollatur solum cognitio actualis, seu formalis; haec enim non est necessaria ad peccandum, ut demonstravimus.

ARTICULUS II.

De consensu ad peccatum necessario.

SUMMARIA.

1. *Consensus definitur.*
2. *Consensus, alius est positivus, alius negativus.*
3. *Positivus, alius perfectus, alius imperfectus.*
4. *Alius absolutus, alius conditionatus.*
5. *Alius directus, alius indirectus.*
6. *Alius efficax, alius inefficax.*
7. *Delectatio speciem sumit ab objecto.*
8. *Solvuntur objectiones numeris 8 et 9*
10. *Delectatio de re mala illicita est.*
11. *Delectatio de cognitione rei malae per se mala non est.*
12. *Quid in dubio, an delectatio fuerit de cognitione rei malae, an de re mala.*
13. *Delectatio de modo artificioso, quo malum patratum est, mala per se non est.*
14. *Quid in dubio, an delectatio fuerit de modo artificioso, an de re mala.*
15. *Delectatio de bono effectu rei malae illicita non est.*

16. *Delectatio de actu malo inculpabiliter admisso mala est.*

17. *Consensus negativus de re lethaliter mala mortalis est.*

18. *Quid, si quis resistat motibus, quibus caussam dedit.*

19. *Quid in dubio, an quis peccato consenserit.*

20. *Quid sentiendum de consensu conditionato.*

1. Consensus definiri solet actus, quo voluntas approbat id, quod ab intellectu proponitur.

2. Dividitur in positivum, et negativum. Primus est actus, quo voluntas expresse approbat id, quod ab intellectu proponitur. Secundus vero actus, quo voluntas nec expresse approbat, nec expresse improbat id, quod ab intellectu proponitur, sed otiosa consistit, cum posset alterutrum agere, quia praedita sufficienti mentis attentione.

3. Positivus dividitur 1° in perfectum, seu plenum, et in imperfectum, seu semiplenum. Perfectus est ille, cui plena, imperfectus, cui semiplena praelucet animadversio.

4. Positivus dividitur 2° in absolutum, et conditionatum. Primus a nulla, secundus ab aliqua pendet conditione.

5. Dividitur 3° in directum, seu formalem, et in indirectum, seu virtualem. Ille est actus, quo voluntas vult aliquid in se. Hic vero actus, quo voluntas aliquid vult non in se, sed in alio; puta si quis nollet turpes animi motus, vellet tamen legere obscaenos libros, ex quibus hujusmodi motus oriri solent.

6. Dividitur 4° in efficacem, et in inefficacem. Efficax est actus, quo quis vult ad effectum perducere rem, de qua cogitat, ut ut forte non perducat. Inefficax est mera delectatio de opere cogitato absque ulla illius exeguendi intentione. Atque ista delectatio, si de pravo objecto sit, *dicitur morosa*, inquit S. Thomas, (1) *non ex mora temporis* (cum peccatum unico temporis momento perfici possit), *sed ex eo, quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec eam repellit, tenens, et volens libenter, quae statim ut attigerunt animum, respui deberent, ut Augustinus dicit* 12 *de Trinit. cap.* 12. Sicut enim ille dicitur in mora, per quam stat, ne officio suo fungatur; ita et voluntas dicitur in mora, eo, quod cum possit, et debeat delectationi excitatae obsistere, illi tamen obsecundat, et indulget. *Mora ergo temporis, quantum est de se, non facit, ut quod prius erat veniale fiat mortale, sed solum occasionaliter, videlicet quod inducit consensum verum, vel interpretativum .... verum, quando ex diuturnitate delectationis crescit libido, adeo ut homo velit omnino in vitiorum delectatione persistere, et morari...... Interpretativum, quando homo advertens periculum delectationis retentae, negligit eam reprimere.* Ita Seraphicus (2)

(1) 1. 2. *q.* 74 *a.* 6. *ad* 3.

(2) *In* 2 *sent. dist.* 34 *p.* 2 *dubio* 4.

An delectatio morosa speciem sumat ab objecto.

7. ℟. probabilius sumere. Etenim ex demonstratis de actibus humanis actio quaelibet suam desumit speciem ab objecto morali, seu affecto omnibus suis circumstantiis. Sed delectatio est actio; ergo quoque ab objecto suam trahit speciem. Hinc S. Thomas (1) ait: *Delectatio alicujus operationis, et ipsa operatio ad idem genus peccati reducuntur, sicut operatio virtutis, et delectatio de eadem ad eandem virtutem reducuntur*. Adde quod ii, qui hujusmodi delectationibus morosis dediti sunt, probabili periculo se exponunt opus malum desiderandi; cum uno tantum gradu delectatio, et desiderium inter se dividantur; porro juxta omnes desiderium contrahit malitias omnes, quas habet objectum. Ex his colligitur eum, qui delectatur de copula cum consanguinea, non qua consanguinea, sed qua muliere, ut pulchra, peccare etiam peccato incestus; quamvis enim nolit circumstantiam consanguinitatis intrare in delectationem; quia tamen vult delectari de copula cum muliere, quam scit esse consanguineam, vult implicite delectari de muliere ut consanguinea; alioquin sequeretur, quod sacerdos, si per mentis praecisionem nollet delectari de copula cum muliere, pro ut sacerdos est, sed pro ut homo, non contraheret malitiam sacrilegii.

(1) *Q.* 15 *de veritate* a. 4.

At, inquies 1°, delectatio de morte furis ob bonum Reipublicae non desumit suam speciem a morte, quae mala est, sed a motivo, nempe a bono Reipublicae; ergo idem dicendum de delectatione copulae cum consanguinea; quia motivum delectationis hujusmodi non est mulier, qua consanguinea, sed mulier, qua pulchra.

8. ℟. Obiectum prioris delectationis non esse mortem simpliciter, sed mortem, ut necessariam, vel utilem bono Reipublicae; neque enim objectum secundum se solum consideratur, sed etiam vestitum suis omnibus circumstantiis; ergo similiter obiectum delectationis copulae cum consanguinea non erit simpliciter mulier ut pulchra, sed etiam ut consanguinea.

Inquies 2° Qui delectatur de matrimonio ob finem honestum ineundo cum consanguinea, praescindendo a consanguinitate, non peccat; ergo qui delectatur de copula cum consanguinea, praescindendo a consanguinitate, reus quidem est fornicationis, non tamen incestus.

9. ℟. in primo casu delectationem esse de matrimonio ineundo cum consanguinea sub conditione, si non esset consanguinea, quae conditio tollit omnem malitiam ab objecto; at in secundo casu delectatio non est conditionata; non enim vult de-

lectari de copula cum consanguinea sub conditione, si non esset consanguinea; sed absolute; quamvis per mentis praecisionem velit separare consanguinitatem a muliere. Et sane si ratio adversariorum valeret; sicut non peccat, qui optat matrimonium inire cum consanguinea ob finem honestum sub conditione, si consanguinea non esset; ergo non peccabit quoque peccato incestus, qui desideraret copulam cum consanguinea, praescindendo a consanguinitate; quod non concedunt adversarii, cum doceant desiderium contrahere omnes malitias, quae objecto insunt.

An delectatio de re mala sit mala.

10. ℟. malam esse. Id in primis constat auctoritate Augustini inquientis (1): *Totus homo damnabitur, nisi haec, quae sine voluntate operandi cum voluntate animum talibus oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittuntur.* Constat insuper auctoritate S. Thomae, *qui* ait (2): *Quod aliquis cogitans de fornicatione delectetur de ipso actu cogitato, hoc contingit ex hoc, quod affectio ejus est inclinata in hunc actum. . . nullus enim delectatur, nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus. Quod autem aliquis in deliberatione eligat, quod affectus suus conformetur his, quae secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale.*

(1) *Lib.* 12 *de Trinitate cap.* 12

(2) 1. 2. *q.* 74. *v.* 8.

Alasia Tom. II.

An delectatio de cognitione rei malae sit mala.

11. ℟. malam per se non esse. Etenim ex dictis delectatio suam trahit speciem ab objecto; sed objectum, cognitio nempe rei malae per se mala non est; ergo neque delectatio. Hinc Confessarii, vel Medici, qui gaudent de cognitione rei malae, ut illi animi, isti corporis vulneribus mederi possint, non modo non peccant, sed laudabiliter se gerunt. Dixi per se, quia fieri potest, ut haec delectatio sit peccatum veniale, si nullo honesto fine suscipiatur, vel mortale, si probabile adsit periculum consentiendi rei graviter malae, vel referatur ad finem graviter malum.

12. In dubio autem, an delectatio fuerit de cognitione rei malae, aut de re mala, praesumendum est fuisse de sola cognitione, si ortum habuerit ex occasione honesta, puta ex studio, confessione etc.: secus vero, si ex occasione prava, puta ex liberiori aspectu etc., in iis praesertim, qui parum sibi invigilant.

An liceat delectari de modo artificioso, quo malum patratum est.

13. ℟. id per se malum non esse; quia iste modus, cum in se malus non sit, potest considerari ut praecisus a malo opere, et sic de eo delectari. Hinc saepe contingit, ut ille, cui furto res fuit ablata, doleat quidem de re ablata, sed delectetur de ingenioso modo, quo furtum sibi fuit factum; atque hoc

sensu in parabola (1). *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset*, et saepe nos delectant incessus tremulus ebrii, lapsus hominis etc. Dixi per se, quia hujusmodi delectatio esse potest peccatum veniale, vel mortale, ut dictum est de delectatione cognitionis rei malae.

(1) *Lucae* 16.

14. In dubio autem, an quis fuerit delectatus de modo artificioso, an de re mala, conjectandum est de re mala fuisse delectatum, si de aliis modis artificiosis rerum honestarum, qui ejus menti occurrunt, non delectetur, sed solum de modis artificiosis rerum turpium: puta si non delectetur de elegantibus piarum rerum carminibus, bene vero, si carmina sint rerum obscaenarum.

An liceat delectari de bono effectu ex opere malo secuto.

15. ℟. licere, modo causa non probetur; quia iste effectus, e. g. filius ex adulterio habitus, est quid boni; ergo de eo gaudere licet. Sic ecclesia gaudet de redemptione proveniente ex Adami culpa ita canens *O felix culpa, quae talem, ac tantum meruit habere redemptorem.* Si tamen periculum esset approbandi causam malam, ex qua prodiit bonus effectus, tunc ab hisce delectationibus erit supersedendum.

An liceat delectari de opere malo inculpabiliter admisso.

16. ℟. non licere; quia delectatio sumit speciem ab objecto, sed objectum est malum ex hypothesi; ego et delectatio. Nec refert, quod sit inculpabiliter admissum; non enim delectatur de eo, pro ut est inculpabiliter admissum; quo in casu nullum esset peccatum, sed potius de ipso actu malo. Et sane tota ratio, ob quam ille actus fuit culpabilis, est, quia defuit voluntas; si ergo voluntas libere illum actum approbet, et de eo gaudeat, jam tunc erit peccatum. Nihil mirum propterea, si haec propositio ordine 15. damnata fuerit ab Innocentio XI.: *Licitum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.*

An consensus negativus de delectatione lethaliter mala, sit peccatum mortale.

17. ℟. probabilius esse mortale. Nam motus, et delectatio lethaliter mala graviter repugnat naturae rationali; et legi divinae; ergo tenetur quisque sub gravi eam reprimere; sed qui negative se habet circa illam, non reprimit; ergo graviter peccat. Hinc Augustinus jam relatus n. 10 ad peccatum mortale morosae delectationis nihil aliud requirit, quam ut quis non respuat ea, quae respui debebant, statim ac attigerunt animum, atque totum hominem ob hoc damnandum esse. Haec videtur esse sententia S. Thomae, qui (1) inquit: *Contingit peccatum esse in ratione dupliciter. Uno modo quando imperat illicitas passio-*

nes . . . . alio modo, quando non reprimit illicitum passionis motum; sicut cum aliquis, postquam deliberavit, quod motus passionis insurgens est inordinatus, nihilominus circa ipsum immoratur, et ipsum non expellit. Deinde peccat mortaliter ille, qui virtualiter, et interpretative consentit in rem mortaliter malam; porro ille, qui negative se habet circa rem mortaliter malam, virtualiter, et interpretative in eam consentit. Audiatur s. Thomas (2): *Antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius, non habet* (voluntas) *interpretativum consensum, etiamsi non resistat. Sed quando jam perpendit ratio de delectatione insurgenti, et de nocumento consequente . . . . nisi expresse resistat, videtur consentire.* Demum delectationi mortaliter malae, nisi expresse resistatur, annexum est periculum ei consentiendi, quod quisque intelliget, si animadvertat maximam naturae nostrae ad malum propensionem, et summam animae nostrae infirmitatem ex originali peccato prodeuntem; unusquisque autem cavere tenetur proximum peccandi periculum.

(1) 1. 2. *q.* 74. *v.* 6.

(2) *Q.* 15. *de veritate a.* 4. *ad* 10.

Tenetur ergo, qui delectationem malam sentit, eam reprimere, positivam primum habendo displicentiam, sine qua non tollitur periculum ei consentiendi, deinde dimittendo actionem, ex qua prava delectatio oritur, nisi illa actio esset necessaria, vel utilis: puta auditio Confessionum; tunc enim sufficeret positivus displicentiae actus, qui in diuturna tentatione necesse non est, ut sit continuus, alioquin vix dum tentatur, vacare posset rei licitae, juverit tamen eum aliquoties renovare. Sed quid, si quis pravae delectationi det causam, puellam e. g. aspiciendo, peccabit ne mortaliter, si illi positive resistat?

18. R). quaestionem moveri praecipue de delectatione venerea; unde dico; secluso periculo pollutionis, et consensus, peccatum solum esse veniale. Etenim, ut communiter docent Theologi, in re venerea indirecte volita, secluso periculo pollutionis, et consensus, nonnisi veniale peccatum est; porro ille, qui positive resistit delectationi pravae, cui causam dedit, eam indirecte tantum vult.

Undenam cognosci possit in dubio, an quis peccato consenserit.

19. R). duas afferri regulas, quarum prima haec est: si ille, qui dubitat sit vir pius, qui potius mori velit, quam grave aliquid admittere, judicandus est non consensisse, aliter sentiendum de eo, qui in peccata, de quibus fuit tentatus, labi solet. Etenim praesumptio desumitur ex communiter contingentibus: communiter autem contingit, ut vir pius tentationi resistat, cedat vero secundus.

2.° Qui dubitat an vigilans, an dormiens fuerit, an sui compos, an impos,

praesumendus est non habuisse sufficientem advertentiam ad peccatum mortale; ratio est eadem, quia communiter contingit, ut qui sui compos est, facile sentiat se sui compotem esse.

Quid sentiendum de consensu conditionato in opus malum.

20. ℟. consensum conditionatum in opus malum nullum esse peccatum, si conditio omnem auferat malitiam ab objecto: puta si quis diceret: carnes comederem, si dies non esset jejunii. Saepe autem hujusmodi desideria sunt otiosa; ideoque peccata venialia, et quandoque mortalia, si conditio apposita non adimat pravum voluntatis affectum in objectum graviter malum: puta si quis diceret: uxorem ducerem, nisi essem sacerdos; et interea delectaretur de copula, quam habere posset matrimonio junctus; hoc enim in casu consensus praeberetur delectationi de objecto hic, et nunc graviter malo. Si autem conditio non omnem auferat malitiam, tunc tale desiderium est peccatum mortale, vel veniale, pro ut res est graviter, vel leviter mala; quia voluntas hoc in casu tendit in id, quod malum est; quare si quis diceret, hominem illum occiderem, nisi essem sacerdos, graviter peccaret. Iuxta plures grave pariter esset peccatum quando in desideriis conditionatis malitia sejungi non posset ab objecto: veluti si diceres: vellem mentiri, pejerare ect. Si mendacium, et perjurium non essent lege naturali prohibita; quia cum iste cognoscat malitiam ab objecto separari non posse, eo ipso quo erumpit in ejusmodi desideria conditionata, ostendere videtur sibi placere objectum per se malum. Certum tamen est numquam licere desiderare, ut ea, quae per se mala sunt, evadere possint licita; hoc enim esset cupere perversionem ordinis divinae sapientiae; ideoque cupere, ut Deus non esset, cum sine illo ordine esse non possit.

CAPUT VIII.

De peccati effectibus.

SUMMARIUM

1. *Duo sunt praecipui peccati effectus, macula scilicet, et reatus poenae.*

1. Inter varios peccati effectus duo sunt praecipui, macula nempe, et reatus poene, qui communiter a Theologis expenduntur, de quibus nos pariter disseremus.

ARTICULUS I.

De macula peccati.

1. *Ex sacris litteris ostenditur maculam esse admittendam.*
2. *Eodem ferme modo loquendum de peccato in anima, ac de vulnere in corpore.*
3. *Macula vix differt a peccato habi-*

tuali, atque consistit in privatione duplicis nitoris.

4. *Eodem ferme modo loquendum quoque de peccato in anima, ac de defectibus picturae.*

5. *Macula sita non est in reatu poenae.*

6. *Macula non est reponenda in denominatione quadam extrinseca proveniente ex peccato praeterito moraliter perseverante.*

7. *Macula non est constituenda in habitu positivo animam inclinante in bonum commutabile.*

1. Lutherani, et Calviniani nostris etiam temporibus ex peccato maculam induci negant; in eorum enim principiis, sicut homo fit justus sola imputatione justitiae Christi; ita sola imputabilitate peccati constituitur peccator. Sed facile ex sacris litteris erroris convincuntur: *Effundam super vos*, inquit Deus (1), *aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, et alibi (2): *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion.* De Jerusalem dicitur (3): *Maculata es in iniquitate tua.* Demum Apostolus (4): *Inquinatae sunt eorum et mens, et conscientia.* Ex his omnibus constat homines vere peccatis commaculari, inquinari; ideoque ex peccato commisso aliquid relinqui in anima peccantis, quod macula solet appellari.

(1) *Ezech.* 36. *v.* 25.
(2) *Isaiae* 4. *v.* 4.
(3) *Jerem.* 2. *v.* 22.
(4) *Ad Titum* 1. *v.* 15.

2. Ut facilius intelligatur, in quo sita sit macula peccati, advertendum erit, ut constat ex dictis, eo ferme modo loquendum esse de vulnere in corpore, ac de peccato in anima, quod vulnus quoque animae dicitur; ut quemadmodum vulnus est privatio debitae commensurationis humorum, et aequilibrii, ita quoque peccatum sit privatio debitae rectitudinis, et ordinis; at vulnus istud, quamvis ex actu transeunte originem habeat, perseverat tamen in corpore, ipsumque intime afficit; pari quoque modo peccatum licet oriatur ex actu transeunte, in homine tamen manet, ipsumque intrinsece tangit; et dicitur peccatum habituale. Possunt autem in uno eodem corpore plura esse vulnera, alia gravia, quae tollant debitam humorum commensurationem, et aequilibrium, et mortem inferunt naturalem, alia levia, quae eamdem humorum commensurationem turbent; sic pariter in anima possunt esse plura peccata, quorum alia debitum ordinem, et rectitudinem tollant; ideoque causant mortem spiritualem, et mortalia dicuntur, alia quae eumdem ordinem turbent, et levia appellantur. Inter vulnera in corpore, plura esse possunt specie, vel numero diversa, singula mortem inferentia, specie, qualia sunt vulnera in capite, in corde, vel in ventre, ut norunt Medici, vel numero, ut plura vulnera in eodem corde, vel capite; ita in eadem anima plura quo-

que inveniri queunt peccata, alia specie, alia numero diversa: sicuti autem vulnera ista causant quamdam in corpore turpitudinem, et tollunt eum nitorem, qui ex debita humorum commensuratione, et apta partium conformatione ad suum ordinem, et finem consurgit; ex cujus defectu corpus maculatum efficitur; ita peccata quamdam pariunt in anima turpitudinem, atque destruunt illum nitorem, qui ex apta facultatum animae dispositione ad proprium ordinem et finem inde existit, ex cujus defectu anima maculata, abominabilis, Deoque exosa redditur; vulnera haec sive gravia, sive levia in corpore maculam efficiunt; peccata quoque sive gravia, sive levia maculam animae inurunt.

3. Ex his facile intelligitur 1.° reapse non differre maculam a peccato habituali; perinde enim est hominem esse maculatum, et immundum coram Deo, ac esse peccatis coinquinatum, et a Deo aversum. In eo solum differre videntur, quod peccatum habituale magis significat Dei offensam, macula autem magis innuat turpitudinem, et privationem illius nitoris, qui consurgit ex debita conformatione facultatum animae ad legem, et Deum, quae est tum per rationem, tum per infusam gratiam et caritatem. „ Habet, *inquit* „ *S. Thomas* (1), anima hominis „ duplicem nitorem: unum quidem „ ex refulgentia luminis naturalis „ rationis, per quam dirigitur in „ suis actibus; alium vero ex re„ fulgentia divini luminis, scilicet „ sapientiae et gratiae, per quam „ homo etiam perficitur ad bene, „ et decenter agendum. „ Macula ergo peccati consistit in privatione hujus utriusque nitoris, et manet in anima, etiamsi jam transierit actus peccati.

(1) 1. 2. q. 86. art. 1.

4. Praeter exemplum jam de vulnere allatum, aliud afferri potest. Finge picturam non esse usquequaque exactam ad suum exemplar, certe in ea existent unus, aut plures defectus, qui sunt privationes debitae conformationis picturae ad suum exemplar intime eam afficientes, et ex his quaedam exurget turpitudo; eo quod privata maneat ea pulchritudine, quae oritur ex debita conformatione ad exemplar. Non aliter in peccatis contingit. Peccata sunt privationes debiti ordinis, et conformationis ad legem; istiusmodi privationes in animo remanentes, eamque intime afficientes constituunt peccatum habituale; atque turpitudines ex hisce privationibus consurgentes maculam efficiunt. Unde peccatum habituale in recto importat ipsam privationem debitae rectitudinis, et in obliquo ipsam turpitudinem ex carentia debitae rectitudinis provenientem; macula autem in recto turpitudinem, et privationem nitoris subjecto debiti, et in obliquo ipsam debitae conformationis ad legem carentiam.

5. Intelligitur 2.° maculam peccati non esse reponendam in reatu poenae, uti censuerunt Scotus, et Durandus; nam obligatio ad poenam consequitur ipsam peccati maculam; non enim quis peccato est maculatus, quia dignus est poena; sed potius poenam debet, quia peccato contaminatus est. Hinc damnatae sunt duae hae propositiones Baii quarum prima n.° 56. haec est: *In peccato duo sunt actus et reatus, transeunte autem actu nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad poenam.* Altera n. 57. ita se habet: „ In sacramento baptismi, aut sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat „ a reatu.

6. Intelligitur 3.° maculam non esse constituendam in denominatione quadam extrinseca proveniente ex peccato praeterito moraliter perseverante, quia nondum retractato ut voluit Vasquez. Etenim, ut supra probavimus, homo per peccatum originale non denominatur extrinsece peccator, sed vere et proprie, et intrinsece peccator constituitur, ergo per peccatum habituale non denominatur, et dicitur solum peccator, sed vere et intrinsece peccator efficitur.

7. Intelligitur 4.° maculam sitam non esse in habitu positivo, quo anima inclinatur in bonum commutabile: nam per gratiam macula aufertur, non auferuntur tamen pravae inclinationes, et habitus; et vicissim quandoque macula remanet, tolluntur tamen per contrariam consuerudinem pravae dispositiones, et habitus; ut cum quis ex prodigo fit avarus, in hoc enim manet macula pristinae prodigalitatis, quae absque gratia non aufertur, et tamen per supervenientem habitum contrarium avaritiae ablata fuit omnis ad prodigalitatem dispositio.

ARTICULUS II.

De reatu poenae.

SUMMARIA

1. *Reatus poenae definitur, atque admittendum esse demonstratur.*
2. *Referuntur errores circa reatum aeternae poenae.*
3. *Reatus poenae aeternae ostenditur ex veteri testamento.*
4. *Ostenditur pariter ex novo testamento.*
5. *Solvuntur objectiones ex Scriptura a n. 5. usque ad 10.*
11. *Reatus poenae aeternae ex Patribus ostenditur.*
12. *Probatur quoque praescriptione.*
13. *Solvuntur objectiones ex Sanctis Justino, et Irenaeo.*
14. *Solvuntur objectiones ex Arnobio, et Gregorio Nisseno.*
15. *Solvuntur objectiones ex Sanctis Gregorio Nazianzeno, et Ambrosio.*

1. Reatus nihil aliud est, quam obligatio poenae subeundae ob peccatum, et distinguitur tum a culpa, tum a poena, quum sit quid medium inter utramque, eo quod culpam subsequatur, et ad poenam obliget, quamvis quandoque pro culpa et poena sumatur. Et quidem ex peccato oriri reatum poenae (vindicativae scilicet, seu in ultionem sceleris, non vero medicinalis, quae proprie poena non est, sed potius beneficium, quo officii nostri admonemur, ut a peccato resurgamus) ratio ipsa nos edocet; etenim aequum est, ut qui violavit ordinem, ab ordinis auctore puniatur, ne iniquitas praevaleat adversus ordinem, ejusque auctorem Deum, ut sic ordo violatus facinorosi poena ad aequalitatem adducatur. Porro poena haec vindicativa, quum ordine justitiae contineatur, est bona simpliciter, quamvis mala peccanti: *Ordo enim justitiae*, inquit S. Thomas (1), *hoc requirit, ut aliquis peccans privetur bono, quod appetit: sic ergo poena ipsa est bona simpliciter, sed est mala huic.* De reatu poenae duae praesertim quaestiones instituuntur 1.° an peccatum mortale inducat reatum poenae aeternae. Secunda an per poenitentiam dimissa culpa remaneat aliqua poena temporalis luenda. De hac, Deo dante, agemus in commentario de poenitentia, in quo de Purgatorio quoque disputabimus; de prima nunc acturi. Unde

2. Antequam propositionem demonstremus, adnotare juverit adversarios, cum quibus nobis hic pugnandum est, esse in duplici differentia; alii enim omnem omnino alterius vitae poenam, vel retributionem rejiciunt, asseruntque haec omnia esse sacerdotum inventa ad populorum metum, vel spem excitandam, ut ab iis quidquid voluerint, obtineant, et isti *Spiritus fortes* vocantur, qui excusso cujusvis Religionis jugo, Dei existentiam, aut saltem ejus providentiam negare non erubescunt; alii vero admittunt quidem alterius vitae poenas, sed tempora-

rias; et in hoc errore fuit Origenes. Origenianum errorem jam ab Ecclesia proscriptum, et per plura secula consepultum renovarunt Sociniani, et plures ex Protestantibus in hac re discedentes a sententia suorum magistrorum, Lutheri scilicet, et Calvini. Sed isti in hoc inter se differunt, quod primi velint poenas alterius vitae, quibus impii torquentur temporarias quidem esse, non vero purgatorias; unde censent impios post aliquod tempus esse igne consumendos, et in nihilum redigendos; at illi ex Protestantibus volunt animas impiorum igne purgatas tandem in Caelum esse transituras. Contra hos omnes argumenta promenda tum ex Scripturis, tum ex Patribus, tum ex ratione.

Argumenta ex sacra Scriptura.

3. Primum argumentum nobis suppeditat Isaias, inquiens (1): *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Cui similia scribit Marcus (2): „ Bonum est tibi de-
„ bilem introire in vitam, quam
„ duos pedes habentem mitti in ge-
„ hennam, in ignem inextinguibi-
„ lem, ubi vermis eorum non mo-
„ ritur, et ignis non extinguitur.
In quae verba Augustinus (3):
„ Qualiscumque poena significata sit
„ nomine vermis, atque ignis; certe
„ si non morietur, nec extinguetur,
„ sine fine praedicta est.

(1) *Cap.* 66. *v.* 24.

(2) *Cap.* 9. *v.* 42. *et* 43.

(3) *Contra Priscillianistas, et Origenistas cap.* 6.

4. Alterum argumentum ducimus ex verbis Christi, qui in extremo judicio ita reprobos est allocuturus (1): *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus*, et tandem concludit: *Et ibunt ibi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* Egregie Augustinus (2): „ Si utrum-
„ que actionum, profecto aut utrum-
„ que cum fine diuturnum, aut utrum-
„ que sine fine perpetuum debet in-
„ telligi. Par pari enim relicta sunt,
„ hinc supplicium aeternum, inde
„ vita aeterna. Dicere autem in hoc
„ uno eodemque sensu, vita aeter-
„ na sine fine erit, supplicium ae-
„ ternum finem habebit, multum ab-
„ surdum est.

(1) *Matth.* 25. *v.* 41. *et* 46.

(2) *Lib.* 21. *de civ. Dei cap.* 23.

Mitto plura alia testimonia tum ex veteri, tum ex novo testamento, quum jam allata satis superque sint huic dogmati demonstrando.

Solvuntur objectiones ex Scriptura.

Ajunt primo Origeniani vocem *aeternum* non semel significare temporis diuturnitatem, quod pluribus exemplis e Scriptura petitis confirmare student. Addunt Sociniani poenas in sua sententia esse aeternas, quia igne extinctis, et in nihilum redactis impiis poena haec appellari potest ae-

terna, eoquod sit in aeternum duratura. Etenim, inquiunt, sacrae litterae poenas damnatorum exprimere solent vocabulis mortis (1), interitus (2), perditionis (3), quae ostendunt poenas hujusmodi finem aliquando habituras.

(1) *Apocalypsis cap.* 20.

(2) *Ad Rom. cap.* 9. *v.* 22.

(3) *Matth.* 6. *v.* 13. *Joannis* 17. *v.* 12.

5. ℟. vocem *aeternum* quandoque significare temporis diuturnitatem; idque colligi vel ex eo loco, in quo legitur ea vox, vel ex aliis Scripturae locis; sic Deus (1) promisit Abrahae, ejusque semini terram Chananaeorum *in possessionem aeternam*, sed in aliis Scripturae locis constat promissionem illam non fuisse absolutam, sed conditionatam, si nempe Dei mandata observaverint; en verba Scripturae: „ Cum Do„ minus Deus (2), sicut juravit Pa„ tribus tuis, dederit tibi cunctam „ terram, quam eis pollicitus est, „ si tamen custodieris mandata ejus. At nihil occurrit in sacris litteris, quod vocem *aeternum*, ubi de poenis damnatorum agitur, ad longissimam temporis durationem significandam determinet: imo potius vocabulis exprimitur, quae veram aeternitatem significent, nempe *igne inextinguibili*, *fumo tormentorum*, *qui ascendet in secula seculorum* (3).

(1) *Lev.* 25.

(2) *Deut.* 19. *v.* 8.

(3) *Apocalyp.* 14. *v.* 11.

6. Futile autem est, id quod addunt Sociniani. Si enim *vermis eorum non morietur*, *et ignis eorum non extinguetur* (1), jam evidens est poenas damnatorum in aeternum duraturas. Ideo autem poenae damnatorum exprimuntur vocabulis mortis, interitus, perditionis; quia damnati in iis poenis semper sibi mori videntur, quum tamen nunquam moriantur; quod expressit Paulus, dum inquit (2): *poenas dabunt in interitu aeternas.*

(1) *Isaiae cap.* 66. *v.* 24.

(2) 2. *ad Thess. cap.* 1. *v.* 9.

Objiciunt 2.° ea Scripturae loca, in quibus Dei misericordia maximopere commendatur: *Numquid in aeternum projiciet Deus*; *aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem, aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas* et alio loco (2): *Dominus misericors non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur.* Tum etiam Davidem scribentem (3) de damnatis, quod *cadent super eos carbones: in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.* Et de se ipso ita loquentem (4): *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi.* Hinc Christus (5) asseruit, quod Scribae, et Pharisaei *accipient prolixius judicium*, seu supplicium magis diuturnum; et nemo ex inferno exire debeat, ut scribit Lucas (6): *Donec etiam novissimum minutum red-*

dat, *aut novissimum quadrantem*, ut ait Matthaeus (7).

(1) *Psalm.* 76. *vv.* 8. 9. 10.

(2) *Psalm.* 102. *v.* 9.

(3) *Psalm.* 139. *v.* 11.

(4) *Psalm.* 48. *v.* 16.

(5) *Apud Marcum c.* 12. *v.* 40.

(6) *Cap.* 12. *v.* 59.

(7) *Cap.* 5. *v.* 16.

7. Responsio ad singula capita facilis et expedita est. Et primo Psalmista in duobus allatis textibus non loquitur de damnatis, sed de hominibus adhuc in hac vita commorantibus, ut patet ex verbis his: *Non secundum peccata nostra fecit nobis*, *neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis*, quae immediate subsequuntur verba psalmi 102. nobis objecta.

8. Quod pertinet ad primum Davidis testimonium, si illud exigatur ad versionem Hebraicam, nobis non nocet, sed maxime favet. Etenim illa verba: *in miseriis non subsistent*, sic a Hieronymo latine redduntur: *Unde nunquam emergent*, *ut non consurgant*. In altero autem testimonio sperat David non esse in infernum trudendum ob sua scelera, sed Dei misericordia ab eo liberandum propter poenitentiam, quam de iis agebat; alioquin dicendum erit, quod David sit in infernum ob sua scelera trudendus, ab eoque postea liberandus, quod nec concedunt adversarii.

9. Dum autem Christus asserit Scribas et Pharisaeos accepturos esse prolixius judicium, nihil aliud sibi vult, quam eosdem subituros *majorem damnationem*, prout scribit Lucas (1) referens eamdem Christi sententiam, quae apud Marcum invenitur, seu majus supplicium; quum Scribarum, et Pharisaeorum majus esset peccatum, propter eorum hypochrisim etc., quam aliorum Judaeorum.

(1) *Cap.* 20. *v.* 47.

10. Quod demum spectat Lucae testimonium, illud est intelligendum de Purgatorio, cujus supplicia finem sunt aliquando habitura. Idem dicendum de testimonio Apostoli (1) scribentis homines salvos futuros, *sic tamen per ignem*; nam, ut superius animadvertimus, loquitur de iis, qui super fundamentum aedificant foenum, et stipulam, seu in fundamento, idest in Christi caritate manentes, levia peccata admittunt igne Purgatorii purganda.

(1) *Primae ad Corinth. cap.* 3. *v.* 15.

Argumenta ex Patribus.

11. Clara sunt in hac re Patrum testimonia. Justinus martyr sic de Diabolo scribit (1): *Quem una cum militia*, *et hominibus cum sequentibus in ignem missum*, *et per seculum infinitum excruciatum iri praemonstravit Christus.* S. Irenaeus (2): *Quibuscumque dixerit Dominus*, discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, *isti erunt semper damnati.* Tertullianus (3) affirmat animam *pro*

meritis aut cruciatui destinari, aut refrigerio utrique perpetuo. S. Augustinus librum 21. de civitate Dei, eo fine composuit, ut poenarum aeternitatem vindicaret. S. Fulgentius (4): *Iniqui omnes ibunt in combustionem aeternam ... semper arsuri cum Diabolo.* S. Gregorius Papa (5): *Sicut finis non erit gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum.* S. Hieronymus (6) explicans illa verba: *Et ibunt hi in supplicium aeternum*, sic scribit: *Prudens lector adverte, quod et supplicia aeterna sint, et vita aeterna metum deinceps non habeat ruinarum.* Mitto alios Patres, et concilia in hanc rem edita, et sic ex Ecclesiarum consensu argumentor.

(1) *In Apol.*

(2) *Lib. 4. adversus haereses cap. 28. n. 2.*

(3) *Lib. de testim. animae cap. 4.*

(4) *Lib. de fide ad Petrum cap. 43. n. 84.*

(5) *Lib. 4. Dialog. cap. 44.*

(6) *In comm. ad Matth.*

12. *Quod apud omnes unum invenitur*, inquit Tertullianus (1), *illud non est erratum, sed traditum.* Atqui non solum apud Ecclesiam Latinam, verum etiam apud Ecclesiam Graecam, et omnes Christiani nominis societates, licet inter se se in pluribus non disciplinae tantum, sed et doctrinae capitibus dissidentes, ut patet ex earum fidei formulis, Conciliorum definitionibus, Liturgiis, Ritualibus libris etc., invenitur poenas in inferno aeternas esse. Ergo dogma hoc non est *erratum*, *sed traditum.* Nec dicas, aliquos ex Graecis in contrariam abiisse sententiam; omnibus enim notum est fidem alicujus Ecclesiae non ex hujus, vel alterius sententia metiendam esse, sed ex publicis monumentis. Porro publica monumenta, veluti formula fidei, conciliorum definitiones etc. poenarum in inferno aeternitatem mire probant.

(1) *In lib. de praescript.*

Solvuntur objectiones ex Patribus.

Opponunt 1.° Justinum, qui (1) scribit *cruciari animas impiorum, quoad eas cruciari, et esse vult Deus*; tum S. Irenaeum, qui docet (2) animas, et ceteras Dei creaturas existere, *quoad usque ea Deus et esse, et perseverare voluerit.*

(1) *In Dialogo cum Triphone.*

(2) *Lib. 2. cap. 64.*

13. ℟. Justinum, et Irenaeum in locis nobis objectis immortalitatem animorum adstruere; ut cuique esse manifestum potest ea loca legenti; etenim in iis locis Dei immortalitatem cum animorum nostrorum immortalitate conferunt, illam necessariam dicunt, hanc vero a sola Dei libera voluntate repetendam esse affirmant. Ceterum utrumque Catholicae Ecclesiae semper adhaesisse patet ex utriusque testimoniis jam superius allatis.

Opponunt 2.° Arnobium tertio seculo scribentem (1): *Animas impia-*

rum vi suppliciorum ad nihilum redigendas esse, tum S. Gregorium Nissenum, qui pluribus in locis (2) affirmat poenas impiorum in altera vita aliquando finem habituras esse.

(1) *Lib.* 2. *contra gentes.*

(2) *In lib. de anim. et resur. tum oratione catechetica cap.* 26., *et* 36.

14. ℟. jam a criticis demonstratum esse libros contra gentes ab Arnobio fuisse conscriptos eo tempore, quo adhuc infidelitati erat addictus; unde nil mirum, si aliqua Catholicorum sententiae contraria exaraverit. Quod pertinet ad S. Gregorium, S. Germanus (1), Photius (2), et Nicephorus (3) scribunt Nisseni libros fuisse ab Origenianis corruptos; atque in iis fuisse insertas eas, quae nobis opponuntur, sententias.

(1) *In libro*, *cui titulus*: Retribuens, et legitimus.

(2) *Cod.* 233.

(3) *Lib.* 2. *Hist. Eccl. cap.* 19.

Opponunt 3.° S. Gregorium Nazianzenum, qui (1) scribit ignem apud inferos, *omnis malitiae levitatem consumere*; et alio loco (2) definire non audet, an aeternae sint damnatorum poenae; tum S. Ambrosium, qui expresse dicit (3), *peccatores non esse in altera vita cum Diabolo flagellandos.*

(1) *Orat. in sancta lumina*, *quae est ordine* 30.

(2) *Orat.* 40.

(3) *In psalm.* 118.

15. ℟. S. Gregorium in primo testimonio locutum esse de peccatoribus, qui levia tantum habent peccata, ut constat ex ipsa loquendi ratione, qua S. Doctor est usus, et ita sententiam Gregorii explicavit Nicetas suis in hanc orationem commentariis. In altero autem testimonio non dubitat Gregorius, an in inferis poenae sint aeternae, quum earum aeternitatem admittat oratione XV., sed solum, an semper eodem modo intensae, ideoque an aliquando aliquantisper mitigandae.

Ad S. Ambrosium, quod pertinet, dico eum pariter loqui de justis peccatis venialibus solum inquinatis. Etenim ibi explicans verba psalmi: *Judica judicium meum*, *et libera me*, docet haec verba ad justum esse referenda, unde addit: *Non vult Dominus commune sanctis cum Diaboli sociis consortium esse judicii.* Nec obstat, quod ibi afferat exemplum divitis Evangelici, qui juxta omnes in infernum detrusus fuit ob gravia sua peccata; quum enim alibi scribat (1) divitem Epulonem cognominatum aeternis cruciari suppliciis, alium sane divitem hoc loco intellexit, et forte eum, de quo apud eumdem Lucam mentio habetur (2).

(1) *In psalm.* 118.

(2) *Cap.* 12.

Opponunt 4.° S. Hieronymum, qui (1) distinguens inter impios, et praevaricatores, atque inter Christianos, illos dicit *perire perpetuo*, *Christianos vero*, *si in peccato praeventi fuerint*, *salvandos esse post poenas*, et alio loco (2): *Sicut Diaboli*, *et omnium peccatorum*, *atque*

impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus aeterna tormenta. Sic peccatorum, atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, atque mixtam clementiae sententiam judicis. Addunt Hieronymum scripsisse (3), *peccatorem, qui in hac vita punitus sit, in altera postea non puniri, quia culpa levis praesenti supplicio compensata est*; hinc (4) refert eorum sententiam, *qui volunt supplicia aliquando finiri*, nec eam refellit,sed potius testimonia congerit ad eam probandam; imo (5) aperte scribit, *nullam rationabilem creaturam apud Deum perire in perpetuum.*

(1) *In Dialogo primo adversus Pelagium.*

(2) *Ad calcem comm. in Isaiam.*

(3) *Comment. in cap. primum Nahum.*

(4) *In cap. 66. Isaiae.*

(5) *In ep. ad Galatas.*

16. R/. S. Hieronymum in Dialogo adversus Pelagianos agere adversus Pelagium, qui non distinguens inter peccatores, et peccatores asserebat aeternis flammis addicendos etiam eos, quos Paulus dicebat salvandos esse per ignem, ut tradit S. Augustinus (1); ut ergo Pelagium confutaret, distinguit inter impios, et iniquos, illos graviter in legem delinquentes, hos vero, qui aut levia tantum admiserunt, aut gravium poenitentiam egerunt: *Omnis impius* (inquit) *iniquus est, et peccator, nec reciprocatur, ut possimus dicere: omnis peccator, et iniquus, etiam impius est*; unde primos perpetuis, secundos temporariis poenis purgandos affirmat. Eodem modo est interpretandum aliud ejus testimonium 2° loco nobis objectum in calce nempe Commentariorum in Isaiam: ibi enim non agit de quibuscumque Christianis, sed solum de iis, *quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda*, qui judicis clementiam sunt experturi, quia tantum levibus sunt maculati peccatis. Quod si velis hoc loco S. Hieronymum de Christianis agere graviter reis, tunc dicere possumus in hos mixtam clementiae sententiam laturum esse, ut mitiores licet aeternas poenas decernere velit, quam Diabolo, iisque, qui dixerunt in corde suo: *non est Deus.*

(1) *Lib. de gestis Pelagii cap. 3.*

Quod pertinet ad Commentarium in caput 1 Nahum, agit ibi S. Doctor adversus Marcionem, qui dicebat Deum crudelem esse, eoquod peccatum in praesenti, tum in altera vita puniret; id vero negat, atque docet poenas temporales irrogare, ne inferat aeternas, dummodo illi excitati ad poenitentiam veniant, si vero in peccatis suis persistere velint, illis aeternas poenas infligit: *illud sentimus*, inquit (1), *quod scriptum est in Evangelio, quia et ipse Diabolus, et Angeli ejus cum his, qui faciunt opera ejus, aeterni ignis patientur hereditatem.*

(1) *In Apologiam ad Anastasium Papam.*

Nullam facessunt difficultatem argumenta petita tum ex Commentario 66 in Isaiam, tum ex epistola ad Galatas; nam in utroque loco in propria sententia non est locutus sic scribens ad Ruffinum (1), qui ei exprobraverat, quod Origeni consentiret, respondet in suis commentariis *alterius dicta edisserere ... multorumque sententias replicare*: deinde addit: *Num diversae interpretationis, et contrariorum inter se sensuum tenebitur reus, qui in uno opere, quod edisserit, expositiones posuerit plurimorum?* Nec refert, quod Hieronymus ibi non refellat ea testimonia, quibus usus est ad Origenis sententiam comprobandam; haec enim testimonia non in propria, sed in Origenis persona producit; ut patet ex his Hieronymi verbis: *Porro qui volunt supplicia aliquando finiri, his utuntur testimoniis.* Similiter scribens ad Augustinum (2) asserit in epistola ad Galatas non suo, sed Origenis nomine scripsisse; et revera post verba, quae nobis objiciuntur, subdit: *Hucusque Origenes.*

(1) *Apologia 1. ad Ruffinum.*

(2) *Ep. 75.*

Opponunt demum Ecclesiam Graecam, ut tradit Renandotius (1) preces pro damnatis fundere ad eorum poenas minuendas; idque etiam praestare Ecclesiam Latinam, ut constat ex tribus Missalibus libris saeculo 12 anterioribus, qui inveniuntur in bibliotheca Florentina; imo ex singulis sacrificiis pro defunctis oratur Deus, ut liberet *animas omnium fidelium defunctorum, de poenis inferni, et de profundo lacu.* Addunt Trajanum precibus Gregorii M. et Dinocratem precibus s. Perpetuae fuisse ab inferis liberatos.

(1) *Tom. 5. de perpetuitate fidei cap. 10.*

17. ℟. Ecclesiam Graecam nostris hisce temporibus orare pro damnatis ad mitigandas eorum poenas, sed ut advertit Renandotius *contra antiquiores, et sacras Ecclesiae regulas*; quod demonstrat discessisse ab antiquiori doctrina sua, et proinde errare, ut ex argumento petito ex testimonio Tertulliani allato (n.° 12) constat. At Ecclesia Latina numquam oravit pro damnatis, neque pro Angelis malis, ut refert Augustinus (1). Quod si in quibusdam Missalibus preces funduntur pro defunctis, error est quarumdam particularium Ecclesiarum, qui Ecclesiae universali officere non debet, quae si orat, ut animae defunctorum a poenis inferi liberentur, Inferni nomine Purgatorium intelligit, locum nempe inferiorem, in quo animae purgantur.

(1) *Lib. 21. de civit. Dei cap. 24.*

Liberatio Trajani post Baronium a Criticis inter fabellas rejicitur; nec refert, quod ex clarissimis viris probata fuerit; isti enim decepti sunt quodam sermone Damasceni nomine vulgato, quem constat non esse ejusdem. Dinocrates autem non dicitur liberatus ab inferorum poe-

nis, sed solum *translatus de poena*; quod intelligendum est de poena Purgatorii, ut opinatur Augustinus (1).

(1) *Lib.* 1 *de orig. anim.*

Argumenta ex ratione.

18. Aeterno peccato aeterna poena debetur; porro peccatum mortale aeternum est; qui enim mortaliter peccat, in aeternum vellet peccare, si in aeternum vivere posset; unde Gregorius M. (1) ait: *Quod qui in suo aeterno peccavit contra Deum, in aeterno Dei puniatur*, et alibi (2): *Ad magnam justitiam judicantis pertinet, ut numquam careant supplicio, qui in hac vita numquam voluerunt carere peccato.* Ergo peccato mortali aeterna poena debetur.

(1) *Lib.* 4. *Dialog. cap.* 44.

(2) *Lib.* 34. *Moralium cap.* 12.

Peccatum mortale, si non ratione actionis, quae finita est, ratione personae, quae offenditur, infinitum est; gravitas enim offensae crescit pro dignitate personae; sic gravius peccat, qui Principi, quam qui rustico injuriam infert: quum ergo Deus, qui offenditur, sit infinitus, poena quoque esse deberet infinita; at quum homo non sit poenae infinitae capax, quoad intentionem, debebit esse poena infinita quoad durationem, seu aeterna. Nec dicas peccatum infinitum satis puniri momentanea privatione boni infiniti in Inferno; nam quum peccator hanc poenam infinito modo sentire non possit, aequum est, ut in aeternum sentiat, ut ordinis violatio restituatur, et aequalitas inducatur.

Peccatum mortale inducit deordinationem natura sua irreparabilem, tollitque omne principium vitae spiritualis, vi cujus reparari possit, ut supra dictum est; qui enim peccat mortaliter, perinde se habet, ac ille, qui scienter, et voluntarie se projicit in puteum, a quo *nisi adjutus exire non potest.* S. Thomas. Si ergo Deus in hac vita peccatorem per infusionem gratiae, et caritatis non eruat ex hoc puteo, manebit in perpetuum in altera vita hoc peccatum; perseverante autem in perpetuum causa, seu peccato, perseverare quoque debebit effectus, seu poena.

19. Aeternitatem poenarum ab impiis in inferno subeundam crediderunt omnes fere nationes, sic de Hebraeis testatur Josephus Flavius (1), de veteribus Graecis Plato (2) de Romanis Virgilius Thesei poenas describens, et Horatius (3), de Indis Strabo (4), de Aegyptiis Diodorus Siculus (5), et sic de aliis multis populis demonstrare possum; ergo quum consensus omnium fere gentium in aliquid vox naturae sit, jam inde consequens est poenarum aeternitatem esse naturae vocem.

(1) *Lib.* 2. *de bello Judaico.*

(2) *In Phaedone.*

(3) *Ode* 3.

(4) *Lib.* 4. *Geographiae.*

(5) *Lib.* 1.

Solvuntur objectiones ex ratione.

Poena aeterna pugnat cum Dei justitia, bonitate, et providentia; et primo pugnat cum Dei justitia; etenim peccatum actu, et affectu aeternum non est; non actu, ut patet, non affectu, quia ex S. Thoma (1) inest in damnatis naturalis propensio in virtutem, quae quidem propensio componi non potest cum affectu semper peccandi; ergo aeterna respondere non debet poena.

Si dicas deesse gratiam damnatis, qua possint actus virtutis exerere, respondent actus hujusmodi esse naturales; ideoque nullam requirere gratiam.

(1) 1. 2. *q.* 85. *art.* 2. *ad* 3.

Pugnat 2° cum Dei bonitate. Enimvero Deus natura sua benignissimus est; aeternas ergo poenas velle non potest; alioquin crudelis, qui de ipsis poenis delectaretur, quum ex his nec melior fiat damnatus, nec aliis utiles sint; si dicas hasce poenas esse ad aliorum correctionem; ergo saltem, reponunt quando mundus esse desierit, quum nullus amplius sit corrigendus, cessare debebunt poenae. Deinde crudelis audit apud omnes judex, qui lento igne reum torquet, ut magis patiatur, vel carnifex, qui non uno, sed pluribus ictibus facinorosi caput abscindit; quanto magis crudelis erit Deus, si non uno, sed pluribus seculis tormentis inexplicabilibus damnatos cruciaret.

3° ℟. Repugnat ejus providentiae; etenim hominem condidit ob aeternam felicitatem; hunc ergo finem non consequeretur Deus, si damnati aeterno igne in inferno torquerentur. Insuper Deus indidit homini desiderium propriae felicitatis; hoc autem frustraneum esset, et inutile; si in perpetua miseria versarentur damnati.

20. ℟. ad primum, poenarum aeternitatem non repugnare Dei justitiae; enimvero poena respondere non debet quantitati temporis, quo peccatum peractum est, sic homicidium, licet uno minuto perpetratum, mortis supplicio punitur in hac vita, quae poena est aeterna, quum in perpetuum homicida praecidatur a societate viventium; sed respondere debet peccati gravitati, ideoque eo major, quo fuerit ejus gravitas: vidimus autem superius peccatum mortale esse gravitatis infinitae ratione personae offensae, quae infinita est. His adde, quod peccatum, ut superius quoque vidimus, si non actu, saltem affectu est aeternum: *Iniqui enim*, inquit S. Gregorius (1) .... *voluissent sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere*, isteque affectus adhuc perseverat in inferno; nec refert, quod isti habeant naturalem inclinationem ad virtutem, quia istiusmodi inclinatio numquam reducitur ad actum, quum certo sciant ab inferno numquam eripiendos; et aliunde careant principio vitae spiritualis, nempe gratia, et caritate, qua ad Deum dolentes

confugiant, et sic a suis peccatis resurgant, quam gratiam, et caritatem Deus illis dare non tenetur; quis enim dixerit Deum lege justitiae teneri vitam restituere ei, qui voluntarie mortem sibi conscivit?

(1) *Lib.* 34. *Moralium cap.* 19. *n.°* 36.

21. ℟. ad 2 Deum esse quidem infinite bonum, sed etiam infinite justum; unde *quia pius est*, inquit S. Gregorius (1) *miserorum cruciatu non pascitur*: *quia autem justus est*, *ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur*; quare non delectatur in ipsis poenis, quasi vero ipsas per se velit, sed in ordine suae justitiae; et quamvis concederetur omnes poenas non ad vindictam, sed ad aliorum emendationem irrogandas esse, non propterea deberent esse omnes temporariae. Sic secundum humanas leges aliqui perpetuo exilio, vel morte plectuntur, quae poenae sunt suo modo aeternae, non ut ipsi, sed ut alii emendentur; ergo potuit Deus improbos aeternis cruciatibus punire, ut horum suppliciorum metu homines a peccatis coercerentur; ex quo consequitur, mundo desinente, cessare non debere omnes poenas; quia quamvis eo tempore nullus amplius sit corrigendus, inservierunt tamen illae poenae ad continendos in officio homines, dum adhuc mundus existebat. Ad id quod additur, fateor crudelem dici illum judicem, qui lento igne reum torquet, vel quia tale supplicium reus non meretur, vel quia judici imperatum, ut statim reum interimat; at si reus tale facinus commiserit, puta Principem occiderit, si lento igne eum torqueret ex mandato Reipublicae, nemo erit tunc, apud quem crudelis haberi possit. Ceterum hoc argumentum militat quoque in adversarios, qui licet nolint poenas esse aeternas, eas tamen ut diuturnas, et gravissimas admittunt.

22. ℟. ad tertium, Deum ordinasse omnes homines ad beatitudinem non quidem absolute, sed conditionate, si nempe ejus mandata servaverint, ut patet ex innumeris S. Scripturae testimoniis; atque hominibus indidisse desiderium perpetuae felicitatis, quia Deus paratus erat iis omnibus eam conferre, si secundum sua mandata ambulassent; at sicut, quamvis omnibus hominibus amorem vitae Deus inspiraverit, quia Deus (1) *mortem non* fecit; ideoque naturaliter homines mortem refugiant; tamen per peccatum originale mortem temporalem sibi consciverunt; ita licet Deus homines condiderit perpetuam felicitatem continuo optantes, per peccatum tamen actuale mortem aeternam sibi promeruerunt.

(1) *Sap.* 1. *v.* 13.

An unum peccatum possit esse poena quandoque alterius peccati.

23. ℟. esse posse; idque ex variis S. Scripturae testimoniis constat, sic Apostolus enumeratis Gentilium peccatis inquit (1): *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis*

eorum in immunditiam; et postea *tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt*. At peccatum per se spectatum non est poena alterius peccati, quia peccatum in se consideratum libere a voluntate egreditur, sed solummodo per accidens, quatenus in poenam praecedentium peccatorum a Deo subtrahuntur auxilia quibus homo destitutus in peccata labitur.

(1) *Ad Rom.* 1. *v.* 28.

An peccatum veniale in inferno puniatur poena aeterna.

24. ℟. peccatum veniale quoad culpam in hac vita non remissum puniri in inferno aeterna poena. Id expresse docet S. Thomas (1) his verbis: *Veniale peccatum non meretur poenam aeternam ex specie sua, neque ex parte inhaerentiae ad subiectum per se loquendo; quia non privat gratia; sed per accidens fit irremissibile peccato mortali conjunctum, in quantum est in subjecto privato gratia: et sic per accidens punitur poena aeterna*. Et sane poena est effectus ipsius culpae; ergo quamdiu remanebit culpa, remanere debebit pariter et poena, culpa autem remanebit in aeternum, quia damnati nulla unquam gaudebunt gratia, qua peccata sua detestentur, quum eorum voluntas in malo obfirmata sit; ergo poena duratura erit in aeternum; unde in hoc casu, ut ait S. Doctor, aeternitas poenae non respondet quantitati culpae, sed irremissibilitati ipsius.

(1) *Q.* 7. *de malo art.* 10.

An peccatum veniale in hac vita remissum quoad culpam, sed non quoad poenam puniatur in inferno poena aeterna.

25. ℟. probabilius non puniri: et haec sententia videtur esse divi Thomae, qui inquit (1): *Veniale* (non dimissum) *ideo in inferno aeternaliter punietur, quia semper manet, quum non sit ibi aliquid, quod culpam delere possit: sed poena ex hoc quod solvitur, expiatur. Et ideo alii dicunt, quod poena, cujus aliquis est debitor post culpam remissam, in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur, quod in inferno sit redemptio, quia poena, quae solvitur, non redimitur.*

(1) *In* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 5.

DISSERTATIO SECUNDA

De peccatis capitalibus.

SUMMARIUM

1. *Unde dicatur vitium capitale, et quot sint hujusmodi vitia.*

1. Quamvis apud latinos scriptores vitium capitale dicatur illud, quod poenam capitis meretur, juxta tamen S. Thomam (1) *dicitur illud, ex quo tamquam ex capite, seu fonte alia vitia, seu peccata prodeunt, praesertim secundum originem caussae finalis, quatenus ejus finis ita appetibilis est, ut vi, ac ratione ipsius, plura, ac*

diversa peccata committantur. Septem enumerantur hujusmodi peccata, superbia scilicet, avaritia, luxuria, ira, gula, invidia, et accidia. De singulis disseremus excepta luxuria, de qua alibi sermo instituetur.

(1) 1. 2. *q.* 84. *art.* 3.

CAPUT I.

De superbia, ejusque vitiis

SUMMARIA

1. *Superbia definitur quoad nomen, et quoad rem.*
2. *Est peccatum ex genere suo mortale.*
3. *Omnium primum.*
4. *Omnium gravissimum.*
5. *Omnium periculosissimum.*
6. *Quatuor sunt superbiae species.*
7. *Duae priores species sunt peccatum mortale, aliae vero duae, veniale.*

Superbia, inquit s. Thomas (1) *nominatur ex hoc, quod aliquis per voluntatem tendit supra id quod est. Unde dicit Isidorus lib.* 10 *Originum cap.* 18: *superbus dictus est, quia super vult videri, quam est*, quare ab eo (2) definitur: *inordinatus appetitus propriae excellentiae.*

(1) 2. 2. *q.* 162. *art.* 1.

(2) 2. 2. *q.* 162. *art.* 2.

2. Superbia in primis est peccatum ex genere suo mortale; nam ab Apostolo (1) *Superbi et elati* numerantur inter eos, *qui digni sunt morte*; sola autem mortalia mortis poenam merentur.

(1) *Ad Rom.* 1. *v.* 30.

3. Est 2° peccatum omnium primum, quia (1) *initium omnis peccati est superbia*; et (2) *a superbia initium sumpsit omnis perditio.* Et sane superbia importat inordinatum propriae excellentiae appetitum; homo autem dum peccat, excellentiae cujusdam aquirendae sibi causa peccat; quia tamen dum homo peccat, non semper tendit in bonum commutabile amore explicito excellentiae, sed vel propter delectationem capiendam, vel ob aliam causam, hinc est, quod superbia sit vitium speciale, eo quod directe modo quodam inordinato tendat in propriam excellentiam, cetera autem vitia nonnisi indirecte.

(1) *Eccl.* 10 *v.* 15.

(2) *Job.* 4. *v.* 14.

4. Est 3° omnium gravissimum, non quidem ex parte conversionis seu objecti, quod quidem leve esse potest, sed ex parte aversionis, quatenus homo se extollendo supra regulam, seu mensuram sibi a Deo praestitutam, non vult Deo, et Superioribus ab eo constitutis se se subjicere. Unde s. Thomas (1) inquit. "Ex parte aversionis superbia habet maximam gravitatem. "Quia in aliis peccatis homo a "Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, "sive propter desiderium cujuscum-

" que alterius boni; sed superbia " habet aversionem a Deo ex hoc " ipso, quod non vult Deo, et " ejus regulae subjici: Unde Boetius " dicit: *Quod cum omnia vitia fu-* " *giant a Deo, sola superbia se Deo* " *opponit*. Propter quod etiam spe- " cialiter dicitur Iacobi 4. *Quod Deus* " *superbis resistit.* " Doctrina divi Thomae intelligenda est de iis peccatis, quae licet directe a Deo avertant, non tamen habent pro objecto ipsam aversionem, ut est odium Dei, quod gravius est superbia, quae pro objecto habet non ipsam aversionem, sed propriam excellentiam, ob quam, quum nolit Deo subjici, ejusque regulae, ab eo avertit; quia qui non vult alteri se se subjicere, eo ipso ab ipso se avertit.

(1) 2. 2. *q.* 162. *art.* 6.

5. Est 4° omnium periculosissimum, tum quia, ut inquit s. Gregorius (1) *Alia vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam. . . . Superbia autem nequaquam unius virtutis extinctione contenta contra cuncta animae membra se erigit, et quasi generalis, et pestifer morbus corpus omne corrumpit*, unde a s. Isidoro (2) *ruina omnium virtutum* appellatur; tum quia, ut inquit Augustinus (3) *alia quaecumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant*. Hinc justi maxime sibi invigilare debent, quia eos praesertim aggreditur superbia, quum justum Angelum, et justum hominem, petierit, ac dejecerit.

(1) *Lib.* 34 *moral. cap.* 17.
(2) *Lib.* 2 *sentent. cap.* 38
(3) *Ep.* 211.

6. Quatuor superbiae species, seu modos ex s. Gregorio enumerat s. Thomas, quarum prima est, cum quis putat a se ipso habere bona gratiae, naturae, vel fortunae, vel ita se gerit exterius, perinde ac si a se ipso haberet, juxta illud Prophetae (1): *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt. Quis noster dominus est*: Sic pauper fruens alienis, potest se efferre, non secus, ac si propriis frueretur. Altera, cum quis putat bona a Deo accepta suis meritis deberi, vel ita se gerit, perinde ac si suis meritis essent debita; atque ita putando, vel ita se gerendo, animo se effert, ut nolit amplius Deo, et Superioribus subesse. Tertia, cum jactat se habere bona, quae non habet. Quarta, cum, despectis ceteris, singulariter videri vult habere, quod habet, sicut Pharisaeus, qui dicebat: *Non sum, sicut ceteri homines, velut hic Publicanus* (2).

(1) *Psalm.* 11. *v.* 5.
(2) *Lucae* 18 *v.* 13.

7. Duae priores species sunt peccatum mortale, cum ex deliberata voluntate procedunt, sive superbus ita interius credat, ex quo haereticus esset; negaret enim in primo casu Deum esse cujuslibet boni auctorem contra id Apostoli (1): *Quid habes*

quod non accepisti: in secundo casu Deum sibi faceret debitorem, sive exterius ita se gerat, perinde ac si bona, vel a se, vel suis meritis debita essent; affirmare enim exterius Deum non esse boni cujusvis auctorem, vel ejus bona nostris meritis deberi, esse non potest absque mortali. Tertia species venialis est, nisi quis glorietur de aliquo bono, quod sit cum mortali conjunctum, vel ita se jactando alios inducat in mortale. Quarta, pariter venialis est, nisi conjuncta sit cum gravi proximi contemptu. Priores duae species appellantur a Theologis superbia perfecta, et consummata, de qua locuti sumus numeris 2, 3, 4, 5, posteriores autem duae dicuntur superbia imperfecta.

(1) 1 *ad Corinth. cap.* 4 *v.* 7.

ARTICULUS I.

De superbiae filiabus.

SUMMARIA

1. *Tres sunt superbiae filiae, ambitio, praesumptio, et inanis gloria.*
2. *Ambitio quid sit, et quando peccatum lethale.*
3. *Praesumptio quid sit, et quando mortalis.*
4. *Inanis gloria quid sit, an per se prava.*
5. *Quando inanis gloria sit mortalis.*

1. Tres communiter recensentur superbiae filiae, ambitio scilicet, praesumptio, et inanis gloria.

2. Ambitio est inordinatus appetitus honoris et dignitatis, et lethale peccatum est 1° ratione materiae, ut si ambias dignitates, quibus assequendis indignus, ac ferendis impar. 2° ratione circumstantiarum, puta si modo, vel medio mortaliter malo officia et munera adipisci velis, puta per simoniam, per fraudem, detractionem etc. 3° ratione damni proximi, et detrimenti honoris divini, ut si alium longe te digniorem arceres a consecutione dignitatis.

3. Praesumptio est inordinatus appetitus aliquid aggrediendi supra vires; haecque peccatum mortale est 1° ratione gravis damni proximi: puta si quis velit exercere officium Confessarii, Judicis, Medici etc. sine sufficienti scientia: 2° ratione periculi proprii, videlicet si quis conscius propriae infirmitatis se se in proximas occasiones conjiciat, ut alios e periculo eripiat: damnata est enim haec propositio: *Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

4. Inanis, seu vana gloria definitur a S. Thoma (1) perversus, seu inordinatus appetitus manifestationis propriae excellentiae. Docet autem ibi s. Doctor appetitum gloriae per se pravum non esse, nec pariter peccatum esse, " quod aliquis velit " bona opera sua ab aliis approbari. " Dicitur enim Matthaei 5: *Luceat*

" *lux vestra coram hominibus*, sed ap-
" petitus inanis, vel vanae gloriae
" vitium importat. Nam quodlibet
" vanum appetere, vitiosum est se-
" cundum illud psalmi 4: *ut quid*
" *diligitis vanitatem, et quaeritis men-*
" *dacium*,,.

(1) 2. 2. *q.* 132. *art.* 1.

5. Explicat autem s. Thomas (1) his verbis, quando inanis gloria sit mortalis: " ex hoc aliquod pecca-
" tum est mortale, quod contrariatur
" caritati. Peccatum autem inanis
" gloriae secundum se consideratum
" non videtur contrariari caritati
" quantum ad dilectionem proximi.
" Quantum autem ad dilectionem
" Dei potest contrariari caritati du-
" pliciter. Uno modo ratione ma-
" teriae, de qua quis gloriatur;
" puta cum quis gloriatur de ali-
" quo falso, quod contrariatur di-
" vinae reverentiae secundum illud
" Ezech. 28: *Elevatum est cor tuum et dixisti*: *Deus ego sum*, *et* 1. ad
" Corinth. 4.: *Quid habes*, *quod non*
" *accepisti*? *si autem accepisti*, *quid gloriaris*, *quasi non acceperis*? vel
" etiam cum quis bonum temporale,
" de quo gloriatur, praefert Deo,
" quod prohibetur gerem. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua*, *nec fortis in fortitudine sua*, *nec divites in divitiis suis*: *Sed in hoc glorietur*, *qui gloriatur*, *scire*, *et nosse*
" *me*. Aut etiam quis praefert te-
" stimonium hominum testimonio
" Dei: sicut contra quosdam dici-
" tur Joannis 12: *Qui dilexerunt magis gloriam hominum*, *quam Dei.*
" Alio modo (*pergit s. Doctor*)
" ex parte ipsius gloriantis, qui
" intentionem suam refert ad glo-
" riam, tamquam ad ultimum finem,
" ad quem scilicet ordinat etiam
" virtutis opera, et pro consequendo
" non praetermittit facere etiam ea,
" quae sunt contra Deum, et sic
" est peccatum mortale. Si autem
" amor humanae gloriae, quamvis
" sit inanis, non tamen repugnet
" caritati, neque quantum ad id;
" de quo est gloria, neque quantum
" ad intentionem gloriam quaeren-
" tis, non est peccatum mortale,
" sed veniale. *Addit autem* (2)
" *inanem gloriam esse periculosum*
" *peccatum*, non tantum propter
" gravitatem sui, sed etiam propter
" quod est dispositio ad gravia pec-
" cata, in quantum scilicet per
" inanem gloriam redditur homo
" praesumptuosus, et nimis de se
" ipso confidens: et sic etiam paul-
" latim disponit ad hoc, quod homo
" paullatim privetur interioribus bo-
" nis.

(1) 1. 2. *q.* 132 *art.* 3.
(2) *In resp. ad* 3.

ARTICULUS II.

De filiabus vanae gloriae.

SUMMARIA.

1. *Enumerantur vitia a vana gloria prodeuntia.*
2. *Inobedientia tam generalis, quam specialis definitur.*
3. *Jactantia quid sit, et quando lethalis.*
4. *Hypochrisis quid sit, et quando mortalis.*
5. *Contentio quid sit, et quando mortalis.*
6. *Discordia definitur.*
7. *Est peccatum ex genere suo mortale.*
8. *Pertinacia quid sit, et quando mortalis.*
9. *Praesumptio novitatum quid sit, et quando mortalis.*

1. Septem vitia e vana gloria prodire post s. Gregorium docet s. Thomas, videlicet inobedientiam, jactantiam, hypochrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, et praesumptionem novitatum.

2. Inobedientia duplex est, alia generalis, quae habetur, quoties violatur quodcumque praeceptum ex alio fine, quam ex contemptu Superioris, alia specialis, et definitur violatio praecepti Superioris ex contemptu; haec, quae filia est vanae gloriae, semper est mortalis in re minima; quia contemnitur Superior, ut superior est, ideoque etiam Deus juxta illud (1): *Qui vos spernit; me spernit*; et quia ille, qui transgreditur praeceptum, ita affectus esse solet, ut nullo modo obedire velit Superiori, qualecumque sit illius praeceptum. Sed de hac inobedientia, seu de contemptu satis diximus tomo primo pag. 244. et seqq.

(1) *Lucae* 10 *v.* 16.

3. Jactantia definiri solet: inordinata propriae excellentiae depraedicatio per verba. Haec mortalis est 1° quando derogat caritati Dei, ut faciebat rex Tyri, qui (1) inquiebat: *Deus ego sum*: 2° quando derogat caritati proximi: puta cum quis se jactando prorumpit in contumelias aliorum, uti faciebat Pharisaeus, qui (2) ajebat: *Non sum, sicut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut hic publicanus*, vel se jactando alterius famae detrahit etc. 3° cum quis se jactat de peccato mortali, tum quia iste se jactando communiter sibi complacet, complacentia autem de mortali revera mortalis est; tum quia quaelibet virtus obligat, ne ipsa contemnatur; contemnitur autem, quoties quis gloriatur de ejus violatione. Unde iste tenetur 1° exprimere speciem peccati, de quo se jactavit; jactantia enim ex. gr. de fornicatione non solum opponitur humilitati, sed et castitati: 2° scandalum, puta si se jactando de duello, praesentes induxerit ad hoc crimen: 3° damnum, si quod forte dedit, puta se jactando

se rem habuisse cum tali puella; habetur enim in hoc casu damnum diffamationis puellae.

(1) *Exech.* 28 *v.* 9.

(2) *Lucae* 18 *v.* 13.

4. Hypocrisis definitur simulatio sanctitatis. Haec ex s. Thoma (1) est peccatum mortale 1° quando quis non curat *sanctitatem habere*, *sed solum sanctus apparere*; qui enim non curat sanctitatem habere, eo ipso dispositus est ad mortalia committenda; haec autem dispositio sine mortali esse non potest; unde in hunc perbelle cadunt verba haec Apostoli (2): *Habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*: 2° quando quis simulat sanctitatem, a qua deficit per peccatum mortale ob finem repugnantem caritati Dei, vel proximi, puta *ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quaecumque alia temporalia bona, in quibus finem constituit*. De disseminantibus falsam doctrinam loquitur Christus, cum (3) monuit: *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*, et Apostolus (4): *In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium. Si vero* addit s. Thomas *finis intentus non repugnet caritati, erit peccatum veniale, puta cum aliquis in ipsa fictione delectatur, de quo dicitur 4. Ethic quod magis videtur vanus, quam malus. Eadem enim ratio est de mendacio, et simulatione.*

(1) 2. 2. *q.* 111 *art.* 4.

(2) 2. *ad Timoth.* 3. *v.* 5.

(3) *Matth.* 7. *v.* 15.

(4) 1. *ad Timoth.* 4. *v.* 1.

5. Contentio definitur inordinata verborum contrarietas circa verum, vel impugnatio veritatis cum altercatione verborum. Peccatum mortale est, quoties impugnatur veritas ad fidem, vel mores pertinens. Hinc Apostolus (1) contentiones numerat inter opera carnis, quae qui agunt, regnum Dei non consequentur. Hujus criminis rei sunt non solum haeretici, qui veritates fidei, verbis, vel scriptis pertinaciter impugnant, sed etiam catholici, qui ex falsis praejudiciis, quae deponere deberent, veram morum doctrinam contentiose evertere nituntur. In crimen hoc incidunt, quoque causidici, qui justas, quas cognoscunt, causas impugnant, injustas vero garrulitate, et clamoribus sibi adjudicari nituntur.

(1) *Ad Galat.* 5. *v.* 20.

Si autem impugnetur veritas ad fidem, vel mores non pertinens, vel impugnetur falsitas cum inordinato modo, sic potest esse peccatum veniale, nisi forte tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc generetur scandalum aliorum. Unde et Apostolus cum dixisset 1. ad Timoth. 2. *Noli verbis contendere*, subdit: *Ad nihil enim utile erit, nisi ad subversionem*

audientium ita s. Thomas (1).

(1) 2. 2. *q.* 38. *art.* 1.

6. Discordia est contrarietas voluntatum in iis, in quibus oportet esse concordes ex caritate Dei, vel proximi. Discordia enim sita est non in opinionum, sed voluntatum contrarietate; quia opponitur concordiae, quae est effectus caritatis, quae voluntates conjungit in aliquo uno, unde esse potest inter aliquos discrepantia opinionum, non tamen voluntatum.

7. Discordia est peccatum ex genere suo mortale; quia Apostolus (1) eam numerat inter opera carnis, quae qui agunt, regnum Dei non consequentur; opponitur enim caritati, cujus est voluntates unire, fieri tamen potest, ut discordia non sit peccatum, ut cum quis bona fide aestimat hoc esse bonum; alter vero gerit ex eadem bona fide opinionem contrariam. Talis fuit dissentio inter Paulum et Barnabam, quae refertur in Actibus Apostolorum (2); immo quandoque laudabilis, quando scilicet *tollitur mala concordia*, *scilicet in mala voluntate. Et hoc modo laudabile fuit*, *quod Paulus posuit dissentiones inter eos*, *qui erant concordes in malo*, ut habetur in Actibus Apostolorum (3) Ita s. Thomas (4).

(1) *Ad Galat.* 5.

(2) *Act.* 15.

(3) *Act.* 23.

(4) 2. 2. *q.* 37. *art.* 1 *ad* 2.

8. Pertinacia est perseverantia in propria opinione contra agnitam veritatem. Mortalis est, quando veritas illa pertinet ad Fidem, vel bonos mores. Hujus criminis rei sunt non solum, qui propriae sententiae adhaerentes Ecclesiae definitionibus ad fidem, vel mores pertinentibus assensum non praebent, sed etiam ii qui propriae opinionis studio nolunt adhaerere sententiae saniori, ut habet s. Thomas (1).

(1) *q.* 9. *de malo art.* 2.

9. Praesumptio novitatum est vitium, quo quis inanis gloriae studio nova excogitare, vel jam antiquata instaurare praesumit. Haec grave erit peccatum, quoties ex ea oriatur fidei corruptio, vel morum perversio, vel antiquae disciplinae reformatio, vel scandalum. Hinc peccant graviter, qui nova excogitant contra Fidei veritatem, aut morum sanctitatem, qui novos ritus in sacramentis introducere nituntur, qui novas vestiendi formas, vel novas consuetudines introducunt, quae scandalum, vel aliorum damnum, vel morum corruptelam invehunt.

ARTICULUS III.

De superbiae remediis.

SUMMARIA

1. *Superbiae remedium est humilitas, quae definitur, atque necessaria ostenditur ad salutem aeternam consequendam.*
2. *Media indicantur ad humilitatem obtinendam numeris* 2, 3, 4.

1. Superbiae occurrit Christiana humilitas, quae definitur a S. Thoma (1): *Virtus temperans, et refraenans animum, ne immoderate tendat in excelsa.* Haec maxime necessaria est ad aeternam salutem consequendam, ut patet ex his Christi verbis, tum apud Matthaeum (2): *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum Caelorum. Quicumque ergo humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in regno Caelorum*, tum apud Lucam (3): *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur* Imo non solum necessaria est ad salutem, sed ex Cassiano (4): *Omnium magistra virtutum, caelestis aedificii firmissimum fundamentum*, et ex S. Leone (5): *Tota Christianae Sapientiae disciplina, tota victoria Salvatoris, quae et Diabolum superavit, et mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta.* Nil ergo mirum, si Augustinus ita ad Dioscorum scripserit: *Ut te Christo tota pietate subdas velim, non aliam tibi ad acquirendam, et obtinendam veritatem viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, hoc dicerem: non quia alia non sint praecepta, quae dicantur; sed nisi humilitas omnia quaecumque bona facimus et praecesserit, et comitetur, et secuta fuerit ... totum extorquet de manu superbia.*

(1) 2. 2. q. 161. art. 1.
(2) Cap. 18. v. 3.
(3) Cap. 18. v. 14.
(4) Collat. 15. cap. 17.
(5) Serm. 7. de Epiphania.

2. Ut autem humilitatem assequamur, haec erunt adhibenda media. Primo erit saepe saepius recurrendum ad Deum, ut possimus conformari Christo, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. Unde meditanda erit abjectio, et ignominia, cui Christus in vita mortali se subdere voluit, de qua ita scribit Augustinus (1): *Haec medicina, si superbiam non curat, quid eam curet, nescio.*

(1) Dominica secunda quadrag.

2. Considerando nosmetipsos, quid essemus ante ortum, purum nihil, quid in ortu, massa inermis, quid in vitae decursu, sepulchrum dealbatum, intus plenum foetore, et sordibus, unde dicere possumus cum Job. (1): *Putredini dixi, mater mea, et soror mea vermibus.* Quid in exitu, esca vermium. *Quid superbis* (2) *terra, et cinis.* Hinc S. Bernardus (3) inquit: *Ista tria semper in mente habeas quid fuisti, quid es, quid eris. Quid fuisti, quia sperma foetidum, quid es, quia vas stercorum, quid eris, quia esca vermium.*

(1) Job. 17. v. 14.
(2) Eccl. 10. v. 9.
(3) In serm. honestae vitae.

3. Considerando animae nostrae

indigentiam, quae juxta concilium Arauxicanum *de se non habet*, *nisi mendacium*, *et peccatum*, quaeque a se in peccata ruere potest, ab iis autem resurgere non potest: nostra propterea merita esse illius dona: *Quid habes*, inquit Apostolus (1), *quod non accepisti*, *si autem accepisti*, *quid gloriaris*, *quasi non acceperis*, tum peccata, quibus involvimur, nostram ad malum propensionem, pericula, quibus continuo expositi sumus.

(1) 1. *Corinth.* 4. v. 7.

4. Considerando poenas superbiae: *Qui enim* (1) *tenuerit illam*, *adimplebitur maledictis*, *et subvertet eum in finem*, *quia* (2) *Deus superbis resistit*, *humilibus autem dat gratiam.* Ubi sunt tot ii Principes, et Imperatores, quibus erat cor elevatum, et tumens? *Detracta est ad inferos superbia eorum*, ut de Lucifero dicit Scriptura (3).

(1) *Eccl.* 10. v. 15.
(2) *Jacob.* 4. v. 6.
(3) *Isaiae* 14. v. 11.

CAPUT II.

De Avaritia.

SUMMARIA.

1. *Avaritiae definitio tum quoad nomen*, *tum quoad rem.*
2. *Avaritia est vitium speciale.*
3. *Avaritia opponitur justitiae*, *et liberalitati.*
4. *Avaritia prout opposita justitiae est ex suo genere mortalis.*
5. *Avaritia ut opposita liberalitati est venialis*, *nisi caritati Dei*, *vel proximi adversetur.*
6. *Indicantur qui divitiarum amorem Dei amori praeferunt num.* 6. 7. 8.
9. *Quinam amorem divitiarum praeferant caritati proximi.*
10. *Avarus peccat in Deum.*
11. *Peccat in proximum.*
12. *Peccat in semetipsum.*
13. *Avaritia est morbus valde periculosus*, *et fere insanabilis.*

Avaritia ex Isidoro latine dicitur quasi *aeris aviditas*, quatenus aere, seu pecunia omnia bona fortunae possunt comparari; et distinguitur a cupiditate generatim, quae *quarumlibet rerum*, et delectabilium esse potest ex Augustino, quum e contra avaritia feratur solum in bona fortunae tamquam in proprium objectum. Unde ab eodem Augustino definitur (1): *Libido habendi pecuniam*, et a S. Thoma (2): *Immoderatus amor habendi*, vel (3) *inordinatus amor divitiarum.* Vitium capitale est, quia ex ea plurima alia oriuntur, de quibus inferius; unde ab Apostolo (4) dicitur *radix omnium malorum*, ex parte tamen executionis, quia *praebet opportunitatem adimplendi omnia desideria peccati*, secundum illud: *Pecuniae obediunt omnia* (5); non tamen ex parte finis, quia cum finis in bonis temporalibus conquirendis sit, ut homo per illa quam-

dam excellentiam sibi aquirat, ideo superbia, quae est appetitus excellentiae ex parte finis primum locum obtinet.

(1) *Lib. 14. de civit. Dei cap. 15.*

(2) 2. 2. *q.* 118. *art.* 1.

(3) *Ibidem art.* 4.

(4) *I. ad Timoth. cap. 6. v.* 10.

(5) *Eccl.* 10. *v.* 19.

2. Ex his consequitur avaritiam esse vitium speciale, quum habeat speciale objectum, nempe exteriora fortunae bona, quatenus ea appetit ultra necessitatem, aut congruentiam vitae ex proprii status conditione.

3. Avaritia duplici virtuti opponitur, *justitiae*, cum quis inordinato divitiarum amore surripit, vel retinet aliena, et *liberalitati*, cum quis nimis amat, vel desiderat divitias, etiamsi nolit surripere, vel retinere aliena.

4. Avaritia prout opponitur justitiae est ex suo genere peccatum mortale, quia tendit sua natura in acceptionem, vel retentionem rei alienae, quae sunt peccata ex genere suo mortalia.

5. Avaritia quatenus opponitur liberalitati est tantum peccatum veniale, nisi caritati Dei, vel proximi adversetur. Audiatur S. Thomas (1): *Si in tantum amor divitiarum crescat, quod praeferat caritati, ut scilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei, et proximi, sic avaritia est peccatum mortale; si autem inordinatio amoris intra hoc sistat, ut homo quamvis superflue divitias amet, non tamen praeferat earum amorem amori divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum et proximum, sic avaritia est peccatum veniale.*

(1) 2. 2. *q.* 118. *art.* 4.

6. Amorem divitiarum amori Dei praeferunt 1.° qui propter Deum eas amittere parati non sunt; huic causae adscribit Cyprianus multorum Christianorum defectionem a fide: *Decepit*, inquit (1), *multos patrimonii sui amor, nec ad recedendum parati, atque expediti esse potuerunt, quos facultates suae velut compedes ligaverunt. Illae fuerunt vincula, illae catenae, quibus et virtus retardata est, et fides pressa, et mens vincta, et anima praeclusa, ut serpenti terram, secundum Dei sententiam, devoranti praeda, et cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhaererent.*

(1) *Lib. de lapsis.*

7. 2.° Qui de divina providentia diffidentes in divitiis fiduciam, et spem collocant. De his legimus in Scriptura (1): *Qui confidit in divitiis suis, corruet*, et alibi (2): *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum, et praevaluit in vanitate sua.* Magnam enim isti irrogant injuriam Deo providentissimo hominum patri, qui magis in incerto divitiarum, quam in ipso spem suam ponunt.

(1) *Proverb.* 11. *v.* 28.

(2) *Psalm.* 51. *v.* 9.

8. 3.° Ii qui licet abunde habeant, unde honeste pro sui status conditione vivere possint, nullum in congerendis opibus modum statuunt; iste enim agendi modus ostendit eos opibus adhaerere tamquam fini, non vero tamquam mediis, quibus utantur ad necessaria vitae munia. Hinc legimus (1): *Non est finis acquisitionis eorum, exterminati sunt, et ad inferos descenderunt*, et alio in loco (2): *Vae qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis, nunquid habitabitis vos soli in medio terrae?*

(1) *Baruch.* 3. *v.* 18.

(2) *Isaiae* 5. *v.* 8.

9. Amorem quoque divitiarum praeferunt caritati proximi, qui superflua habentes, ea pauperibus non distribuunt, sed de his alibi.

10. Ex his consequitur 1.° avarum peccare in Deum, cujus amorem postponit amori divitiarum. *Nam*, inquit Augustinus (1) *multa jubet Christus, et non facis, jubet avaritia, facis: jubet Christus, ut vestias pauperem, et non facis; jubet avaritia, ut fraudem facias, et hoc potius facis.*

(1) *In psalm.* 96.

11. Consequitur 2.° avarum peccare in proximum, quia, ut ait Cyprianus (1): *Ex avari pecunia nulla est in clientes largitio, cum indigentibus nulla partitio, et pecuniam suam dicunt, quam veluti alienam domi clausam sollicito labore custodiunt, ex qua non amicis, non liberis quidquam, nec sibi denique impertiunt.*

(1) *Ep. ad Donat.*

12. Consequitur 3.° avarum peccare quoque in se ipsum. Etenim pro divitiis congerendis nullam sui corporis, et animae rationem habet. Hanc avari miseriam, et in se ipsum iniquitatem describit Ecclesiastes (1): *Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias fructum non capiet ex eis ... Quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? Dulcis est somnus operantis, sive parum, sive multum comedat; saturitas autem divitis non sinit eum dormire. Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, divitiae congregatae in malum domini sui.*

(1) *Cap.* 5. *v.* 9.

13. Consequitur 4.° avaritiam esse vitium valde periculosum, et morbum ferme insanabilem, tum quia alia vitia usu ipso sedantur; sic gula cibo et potu satiatur, et quandoque ad fastidium. Luxuria fornicatione, aliave immunditia expletur, et quandoque ad execrationem; at avaritia nullis opibus contenta est, imo quo magis crescunt opes, eo magis inardescit, et accenditur, unde avarus hydropico comparatur, cui *quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae*, tum quia alia vitia in senectute aut omnes, aut fere omnes vires amittunt suas; at avaritia in senectute augetur, et roboratur, quum enim videat senex multo plu-

ribus indigere in senectute, ejus animus fit in avaritiam proclivior. Unde Ecclesiastes, ut jam observavimus, scripsit: *Avarus non implebitur pecunia.* Nec hoc vitium locum solum habet in divitibus, verum etiam in pauperibus, qui ut advertit Augustinus (1) licet *egeant facultate, ardent tamen cupiditate. Unde quum Dominus dixisset facilius esse camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum Caelorum, Apostoli apud se dixerunt, quis poterit salvari ... Viderunt enim etiam ipsos pauperes, etsi non habentes pecuniam, tamen habere cupiditatem, et avaritiam.*

(1) *In psalm.* 15.

ARTICULUS PRIMUS.

De avaritiae filiabus.

SUMMARIA

1. *Avaritiae filiae recensentur.*
2. *Avaritiae filiae, nempe proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, obduratio contra misericordiam definiuntur numeris* 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.

1. Quum divitiae valeant ad comparanda omnia fere bona externa, quae hominem perficere quodammodo possunt, hinc ad eas comparandas plura committuntur peccata, quae a Theologis filiae avaritiae appellantur. Praecipuas recenset S. Thomas (1), atque hae sunt: proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, et contra misericordiam obduratio.

(1) 2. 2. *q.* 118. *art.* 8.

2. Proditio est illicita manifestatio rei alicujus, vel personae in proximi damnum contra fidem ipsi debitam lucri causa. Dicitur contra fidem ipsi debitam, quia si fides non violetur, non incurritur in crimen proditionis. Hinc qui nullo fidelitatis vinculo obstrictus occultum alicujus peccatum manifestat, erit quidem detractor, non vero proditor. De proditione in litteris aperiendis, et in secretis manifestandis alibi disserimus.

3. Fraus est astuta deceptio alterius in facto.

4. Fallacia est astuta deceptio alterius in verbo, seu verborum mendacium, vel aequivocorum usurpatio ad decipiendum alterum.

5. Perjurium est ejusmodi verborum usurpatio juramento firmata. De hisce tribus vitiis fusior habetur sermo in commentario de praeceptis Decalogi.

6. Inquietudo est immoderata animi sollicitudo ad aquirenda bona temporalia, ne forte in futurum desint. Hanc sollicitudinem improbavit Christus (1) inquiens: *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Haec enim omnia gentes inquirunt. Quaerite ergo primum regnum Dei, et haec omnia adjicientur vobis.*

(1) *Apud Matth. cap. 6. v. 31.*

7. Violentia est rei alienae per vim usurpatio.

8. Obduratio demum contra misericordiam est prava animi affectio, qua quis ita rebus suis tenaciter adhaeret, ut proximorum inopia minime commoveatur. Hinc praeter alios obdurationis contra misericordiam rei sunt, qui penuriae tempore urbe expellunt peregrinos, si tantum habeant, ut sibi, et iis subveniant. Unde Ambrosius (1) inquit: *Sed et illi, qui peregrinos urbe prohibent, nequaquam probandi, expellere eo tempore, quo deberent juvare . . . cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri. Ferae non excludunt feras, et homo excludit hominem? Ferae, ac bestiae communem putant omnibus victum, quem terra ministrat.*

(1) *Lib. 3. de offic. cap. 7.*

ARTICULUS II.

De avaritiae remediis.

SUMMARIA

1. *Remedia proponuntur numeris* 1, 2, 3, 4, 5.

1. Considerent avari 1.° quam inconstantes sint divitiae, *transeunt velut umbra* (1): *Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum, et nihil invenerunt in manibus suis* (2).

(1) *Sap. 5. v. 9.*

(2) *Psalm. 75. v. 6.*

2. Considerent 2.° verba haec Sapientis (1): *Detestatus sum omnem industriam meam . . . . habiturus heredem post me, quem ignoro, utrum sapiens, an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, et sollicitus fui, et est quidquam tam vanum? Stulte*, ajebat Christus (2): *Hac nocte animam tuam repetent a te: quae autem parasti, cujus erunt?*

(1) *Eccles. cap. 2. v. 18.*

(2) *Lucae 12. v. 20.*

3. Considerent 3.° *avaro nihil esse scelestius, nihil iniquius, quam amare pecuniam; hic enim et animam suam venalem habet* (1), *quia qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, et in laqueum Diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum, et perditionem. Radix enim malorum omnium est cupiditas* (2): *unde mortuus est dives, et sepultus est in inferno* (3).

(1) *Eccl. 10. v. 9.*

(2) 1. *ad Timoth. cap. 6. v. 10.*

(3) *Lucae 16. v. 22.*

4. Considerent 4.° Christum, *qui propter nos egenus factus est, cum dives esset, ut illius inopia divites essemus*: qui ex pauperibus parentibus natus, pauperes discipulos habens, cum pauperibus vitam duxit, et tandem nudus in cruce mortuus est.

5. Considerent 5.° eum, *qui dat pauperi* non indigere: *qui despicit deprecantem, sustinere miseriam* (1) *quia foeneratur Domino, qui misere-*

tur pauperis (2): unde prae oculis semper habeant monitum Christi (3): *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo, et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur; thesaurizate autem vobis thesauros in Caelo, ubi nec aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.*

(1) *Prov.* 28. *v.* 27.

(2) *Prov.* 19. *v.* 17.

(3) *Apud Matth. cap.* 6. *v.* 19.

CAPUT III.

De ira.

SUMMARIA

1. *Ira definitur, et prout est motus naturalis, utilis est, et necessaria ad felicitatem humanam promovendam.*
2. *Ira prout est motus voluntatis quandoque bona, quandoque mala.*
3. *Solvitur objectio.*
4. *Ira quatenus mala definitur.*
5. *Ira esse potest inordinata vel ex parte objecti, seu vindictae, vel ex parte modi irascendi.*
6. *Ira inordinata ex parte objecti est ex genere suo mortalis.*
7. *Ira inordinata ex parte modi est tantum venialis, nisi adversetur caritati Dei, vel proximi, vel sui ipsius.*
8. *Ira est vitium capitale.*

1. Ira, seu iracundia, ut est passio, nil aliud est, quam motus appetitus sentientis ob injuriam illatam exardescentis, quem plerumque sequitur voluntas puniendi auctorem injuriae. Hic motus prout est effectus pure naturalis a Deo nobis datus est, ut eo juvemur ad improborum audaciam comprimendam; unde non solum utilis, sed et necessarius ad humanam felicitatem promovendam. Et certe, ut ait Chrysostomus: *Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur.*

2. Ira prout est deliberata, seu a voluntate definitur appetitus vindictae; iste autem appetitus, si congruat rectae rationi bonus erit, malus autem, si non congruat. Primus appetitus dicitur ira per zelum, secundus vero ira per vitium. Unde Gregorius (1) inquit: *Sciendum est, quod alia est ira, quam impatientia excitat, alia, quam zelus justitiae format: illa ex vitio, haec ex virtute generatur.*

(1) 1. *lib. Moralium cap.* 30.

3. Nec dicas Scripturam prohibere appetitum vindictae his verbis (1): *Non quaeres ultionem, et non eris memor injuriae civium tuorum*; etenim respondetur Scripturam prohibere appetitum vindictae propter ipsam vindictam, seu prout est malum alterius, qui appetitus pugnat cum caritate, qua fratres nostros diligere debemus; at non prohibet, ut quis vindictam appetat ad correctionem ipsius delinquentis, ad exem-

plum aliorum ad conservationem ordinis, ad reparationem sui juris.

(1) *Levit.* 19. *v.* 18.

4. Ira per vitium definitur inordinatus appetitus vindictae, vel quasi vindictae. Dicitur 1.° *inordinatus*, quia si ira sit ordinata, seu secundum rationem, ut diximus, bona est. Sic Christus, qui peccare non poterat, circumspexit *cum ira* (1), iratusque flagello ejecit de templo vendentes et ementes (2): unde legimus (3): *Irascimini, et nolite peccare.* Dicitur 2.° *vel quasi vindictae*, quia ille, qui in res inanimes irascitur, puta artifex ex ira projicit instrumentum, pictor pennicillum, scriptor calamum, non appetit vindictam, et tamen peccat; quia in se ipso dominari passionem permittit.

(1) *Marci* 3. *v.* 5.

(2) *Joannis* 2. *v.* 15.

(3) *Psalm.* 4. *v.* 5.

5. Ira esse potest appetitus inordinatus, seu peccatum dupliciter, uno modo ex parte objecti, seu vindictae, quod quatuor modis ex S. Thoma contingit, appetendo puniri eum, qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est justitiae conservatio, et emendatio delinquentis: altero modo ex parte modi irascendi, ut si quis nimis interius irascatur, vel exterius nimis manifestet signa irae, licet justam appetat vindictam.

6. Ira inordinata ex parte objecti est genere suo peccatum mortale, repugnans caritati, et quandoque justitiae; caritati quidem, ut si non propter debitum finem, puta ex odio alteri damnum optes, vel inferas; justitiae autem, si cupias puniri aliquem sine justa causa, vel ultra meritum, vel non secundum legitimum ordinem; quum quisque, etsi reus, jus habeat, ut non puniatur, nisi ab eo, qui legitimam habet puniendi potestatem, et secundum ordinem juris. Hinc Apostolus (1) iram numerat inter opera carnis, quae qui agunt, regnum Dei non consequentur. Haec ira esse potest venialis, vel ob imperfectionem actus, puta quando motus irae antecedit rationem plene deliberatam, vel ob levitatem meteriae, puta si malum exiguum optes, vel inferas proximo.

(1) *Ad Galat.* 5.

7. Ira inordinata ex parte modi irascendi nonnisi venialis est, fieri tamen potest mortalis: *Ut si ex vehementia irae aliquis excidat a dilectione Dei, vel proximi* S. Thomas (1), vel scandalum praebeat infirmis, vel suae valetudini graviter noceat.

(1) 2. 2. *q.* 158. *art.* 3.

8. Ira vitium capitale est, quia ex ea plura oriuntur vitia; quum enim feratur in vindictam, quae vehementer animum inflammat, fit, ut ejus explendae libidine homo in plura vitia incidat, quae irae filiae appellantur.

ARTICULUS I.

De irae filiabus.

SUMMARIA

1. *Assignatur ex S. Thoma congrua ratio, cur sex sint irae filiae.*
2. *Indignatio quid sit, et quando mortalis.*
3. *Tumor mentis quid sit, et quando mortalis.*
4. *Clamor quid sit, et quando mortalis.*
5. *De blasphemia, contumelia, atque rixa remissive.*

1. Irae sex sunt filiae, vel enim delitescit in corde, et ex ea oriuntur indignatio, et tumor mentis; vel est in ore, et ex ea gignuntur clamor, blasphemia, atque contumelia, vel ad facta procedit, et ex ea producuntur rixae, *per quas intelliguntur nocumenta omnia, quae facto proximis inferuntur ex ira* ita S. Thomas (1).

(1) 2. 2. *q.* 158. *art.* 7.

2. Indignatio est animi commotio, qua quis eum, a quo injuria sibi, vel iis, quibus favet, est facta, indignum reputat sua familiaritate, colloquio, et subsidio. Haec erit mortalis, si contineat odium grave, vel scandalum, vel gravem contemptum, vel voluntatem ea non praestandi, ad quae sub gravi tenetur.

3. Tumor mentis est animi motus diversas vindictae vias excogitantis, est mortalis, vel venialis pro ratione vindictae cogitatae.

4. Clamor est inordinata, et confusa locutio adversus aliquem. Mortalis est si ex gravi odio, vel contemptu erumpat, vel grave scandalum praebeat.

5. De blasphemia, contumelia, atque rixa nihil dicimus, alibi plura dicturi.

ARTICULUS II.

De irae remediis.

1. *Remedia proponuntur numeris* 1. 2. 3. 4. 5.

Cogitent 1.° iracundi incredibilem in scelestissimos homines patientiam Dei conditoris, qui quamvis in singula momenta sit injuriis lacessitus, solem tamen suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos. Si Deus toties ulcisceretur, quoties meremur, ubi essemus?

Cogitent 2.° admiranda patientiae, et benignitatis exempla, quae nobis exhibuit Christus, dum inter nos ageret; quot ille calumnias, ludibria, probra pro nobis passus sit, *qui tamquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum* (1), qui dum cruci affigeretur pro suis crucifixoribus rogabat Patrem, ut illis agnosceret (2). Hinc S. Ba-

silius (3) inquit: *Si paupertate afflìgeris, memor sis Domini nostri Jesu Christi, qui cum dives esset, nostri gratia egere voluit. Si vero et indoctus, et stultus appellaberis, reminiscere eorum, quae a Judaeis jactata sunt in veram sapientiam*: Samaritanus es, et Daemonium habes. *Alapa, seu pugillo caesus es? At enim etiam Dominus. Expuit aliquis in faciem? Eadem et Dominus est passus: Nec enim ab expuentibus, aut caedentibus faciem avertit. Calumniam pateris? Et Dominus passus est. Tua laceratur vestis? et a Domino quoque vestis per vim extracta, et super eam missae sortes. Nondum condemnatus es, nondum cruci affixus. Multa tibi toleranda, ut ad ejus imitationem pervenias. Talia igitur et horum similia tibi concurrant, mentisque tuae impetum, et iram compescant.*

(1) *Act.* 8. *v.* 32.

(2) *Lucae* 23. *v.* 34.

(3) *Hom. de ira.*

Cogitent 3° se plura habere vitia, quae offendere, et irritare possunt, quae tamen ab aliis ferenda sunt. *Dum alienos excessus*, inquit S Gregorius (1), *aspicimus nostra, quibus in alios excedimus, delicta cogitemus; considerata quippe propria infirmitas mala nobis excusat aliena; patienter namque illatam injuriam tolerat, qui meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari.*

(1) *Lib.* 5° *Moralium cap.* 30.

Cogitent 4° nihil faciendum esse, aut statuendum, dum irae motu percelluntur, facile enim in plura crimina ruent: *In mansuetudine* (1) *perfice opera tua, et super gloriam hominum diligeris.* Praeceptum hoc inculcabat S. Ambrosius (2), atque ibi laudat Architam Tarentinum, qui villicum suum aliquando iratus his verbis compellavit: *o te infelicem, quem affligerem, nisi iratus essem.* Id docet quoque Poeta.

. . . . Ne froena animo permitte calenti
Da spatium, tenuemque moram, mala cuncta ministrat impetus.

(1) *Eccl. cap.* 3. *v.* 5.

(2) *Lib.* 1. *de offic. Magistrorum cap.* 21.

Cogitent 5°, et animo saepe revolvant aurea haec Apostoli verba (1): *Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis . . . . irascimini, et nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram . . . Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, et misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.*

(1) *Ad Ephes.* 4. *v.* 1.

CAPUT IV.

De gula.

SUMMARIA

1. *Gula definitur, atque exponitur causa finalis edendi, vel bibendi.*
2. *Gula peccatum est.*
3. *Peccat, qui ob solam voluptatem manducat, vel bibit.*
4. *Species gulae duae sunt.*
5. *Quinque numerantur gulae excessus hoc versu comprehensi. Prepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.*
6. *Quinam peccent* praepropere.
7. *Quinam peccent* laute.
8. *Quinam peccent* nimis.
9. *Quinam peccent* ardenter.
10. *Quinam peccent* studiose.
11. *Comessatio, et potatio ab ebrietate sejuncta est ex genere suo mortalis.*
12. *Quilibet excessus in cibo, vel potu peccatum mortale non constituit.*
13. *Quinam excessus mortale peccatum inducat.*

1. Gula a S. Thoma (1) definitur *inordinatus appetitus edendi, et bibendi.* Dicitur inordinatus *ex eo quod recedit ab ordine rationis, in quo bonum virtutis moralis consistit.* Porro ordo rationis postulat, ut cibus, et potus sumantur in ea quantitate, qualitate, et modo, pro ut exigit necessitas, vel utilitas naturae. Haec esse debet causa finalis edendi, ac bibendi. Quidquid ergo sumitur ultra eam necessitatem, vel utilitatem jam peccatum est; unde Augustinus (2) *Cum natura quodammodo poscit supplementa, quae desunt, non vocatur libido, sed fames, aut sitis; cum vero suppleta necessitate amor edendi sollicitat, jam libido est, jam malum est.* Et alio loco (3): *Hoc me docuisti (Domine) ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Porro medicamenta tum ob necessitatem, tum ob utilitatem naturae sumuntur.

(1) 2. 2. *q.* 148. *art.* 1.

(2) *Lib.* 4. *contra Julianum c.* 14.

(3) *Lib.* 10. *Confess. cap.* 31.

2. Ex his consequitur 1° gulam esse peccatum, utpotequae recedat ab ordine rationis, in cujus recessu peccatum situm est.

3. Consequitur 2° eum, qui non excedit in quantitate, qualitate, et modo, sed tamen cibum, vel potum sumit ob solam, quam in iis percipit delectationem, peccare. Etenim cibi, et potus delectatio a Deo hominibus data est, ut ii allicerentur ad cibum, et potum alendo corpori, et viribus reficiendis opportunum, et necessarium; qui ergo in cibo, et potu solam voluptatem consectatur, non corporis conservationem, ob quam alimentorum usui delectationem annexuit Deus, is pervertit ordinem naturae, ordinando non medium ad finem, sed finem ad medium. Adde quod finis humanarum

actionum debet esse bonum honestum, non delectabile, ut sic homo distinguatur a belluis, quae in suis operationibus solam voluptatem consectantur; quare damnata est haec ab Innocentio XI propositio: *Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Dixi ob solam delectationem, quia nullum peccatum est cibum delectabilem cum delectatione sumere. Etenim auctor naturae Deus eo fine alimentis annexuit delectationem, ut ea facilius sumerentur; ideoque facilius retinerentur, ac digererentur, et sic melius haberetur corporis nutrimentum, vitaeque conservatio: Quare Augustinus (1) ait, *Non solum cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem.*

(1) *Lib.* 4. *contra Jul. cap.* 14.

4. Duae sunt gulae species, comessatio, et ebrietas; illa in immoderata cibi, haec in nimia potus sumptione sita est.

5. Quinque sunt gulae excessus, seu quinque sunt modi, quibus gulae peccatum committitur, quos ex S. Gregorio recenset S. Thomas hoc versiculo comprehensos

Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

6. Peccant *praepropere*, qui ordinatium comedendi tempus absque causa antevertunt; isti enim in cibo, et potu potius voluptati, quam necessitati satisfacere intendunt; et aliunde nocent valetudini. *Nec hoc facientes*, inquit S. Antoninus (1) *sani vivere possunt (cum ponant indigestum super indigestum; unde mali humores generantur, et caput etiam fumositatibus est gravatum, et male aptum ad spiritualia), et hoc nisi magnus labor excuset, ut laborantes in agris, viatores, pueri dum sunt in augmento.*

(1) *P.* 2. *tit.* 6. *c.* 1.

7. Peccant *laute*, qui nimis pretiosos cibos, aut liquores conquirunt ob solam delectationem, *ut capones, phasianos, perdices etc., vina solemnia etc.; Si tamen utantur cibis delicatis propter infirmitatem, vel debilitatem hoc exigentem, aut generis nobilitatem, ut Princeps, aut temporis congruitatem, ut in nuptiis, et conviviis discretis, potest esse hoc absque peccato* ita S. Antoninus loco citato. Unde Augustinus (1): *In omnibus talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupiditatis, vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem foedissimae gulae flamma in vilissimum ardescat.*

(1) *Lib. de doctrina Christ. cap.* 12.

8. Peccant *nimis*, qui nimio cibo, vel potu se ingurgitant " Perpetrari " potest istud vitium ita circa vilissimos cibos, et potus, sicut " circa delicatos, et pretiosos. Unde " dicitur Ezech. 16: *Haec fuit ini- " quitas Sodomae sororis tuae, sa-*

" *turitas panis, et aquae.* De quan-
" titate autem cibi, vel potus non
" potest dari una certa regula omni-
" bus secundum eamdem mensu-
" ram, sed plus, et minus exigitur
" secundum varietatem complexio-
" num, et fatigationum . . . Tan-
" tum ergo potest quis comedere,
" et bibere, quantum credit se in-
" digere ad sustentationem, et exe-
" cutionem eorum, quae sibi incum-
" bunt agenda, ita ut non usque
" ad nauseam sumat, sed cum ali-
" quali adhuc appetitu finem faciat. Idem S. Antoninus.

9. Peccant *ardenter* qui *nimia aviditate cibum, vel potum sumunt. Ad quod pertinere videtur comedere nimis rapaciter, et festinanter.* Idem adhuc S. Doctor.

10. Peccant demum *studiose* qui cibos quaerunt nimis accurate, nimioque studio praeparatos, ut magis delectent. Et in hoc praecipue solent *delinquere divites, et etiam praelati Ecclesiae*, qui naturales cibos miris modis exagitant, et invertunt, ut multiformis saporis gratiam consequantur; *alius ministrorum contundit, colat alius, et conficit, substantiam vertit in accidentia, naturam mutat in artem, ut saturitas transeat in esuriem.* Haec S. Antoninus ex Alano de planctu naturae postea subdit: *sed magnam conscientiam sibi debent facere tales de tanto tempore, quod amittunt, et faciunt amittere ministris pro hujusmodi praeparatione, et expensis superfluis, quibus deberent pauperibus subvenire.*

11. Comessatio et potatio etiam ab ebrietate sejuncta, est peccatum ex genere suo mortale. Idque probatur perspicuis sacrae Scripturae testimoniis. Christus inquit (1): *Vae qui saturati estis.* In quem locum ita scribit S. Basilius (2): " Ventrem
" plus aequo replere, et cibis ag-
" gravare maledictione dignum est
" dicente Domino: *Vae qui saturati estis.* Apostolus (3) non solum ebrietates, sed et comessationes enumerat inter opera carnis, quae qui agunt regnum Dei non consequentur. Hinc peccant mortaliter, qui cibo, et potu se ingurgitant usque ad vomitum, imo vomunt de industria, ut iterum edendi, vel bibendi voluptati indulgere possint; hoc enim est plus quam bestiale, et naturam rationalem maxime deturpat. Quare auctor sermonum inter Augustinianos (4) ait: *Frequenter usque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt . . . pejores animalibus judicandi sunt: quum enim animalia amplius, quam eis opus est bibere nolint, illi et duplum, et triplum, quam eis oportet, cibum, et potum accipiunt; et unde tribus, aut quatuor diebus refectionem rationabilem potuerant habere, uno die cum grandi peccato suo contendunt perdere potius, quam expendere.* Merito propterea damnata est ab Academia Lovaniensi haec propositio: *Comessatio, qua quis, secluso scandalo, et gravi sanitatis damno se cibo et potu*

ingurgitat usque ad vomitum, ac re ipsa usque ad vomitum se provocat, ut iterato epulari possit, nonnisi veniale peccatum est. Peccant pariter graviter, qui carne, aut sanguine humano vescuntur. Hoc enim recto naturae instinctui repugnat; horrentque omnes gentes etiam barbarae. His tamen alteratis per medicinam uti quandoque licet, quia per alterationem desinunt esse caro, et sanguis humanus.

(1) *Apud Lucam cap. 6 v. 15.*

(2) *In Asceticis cap. 2.*

(3) *Ad Galat. 5.*

(4) *In appendice Sermonum S. August. sermone 244.*

12. Hic tamen notandum non quemcumque nimium excessum in cibo, vel potu constituere peccatum mortale, sed esse debere valde gravem; qualis esset ille ex parte potus, qui mentem adeo perturbaret, ut aptus vix esset homo suis actionibus communibus, et facilibus dirigendis; ex parte cibi quoties vomitus ex quantitate illius proveniret. Dixi ex quantitate; si enim vomitus ex alio capite oriatur, puta ex debilitate stomachi, vel ex qualitate cibi, non erit mortalis, sed quandoque nullum peccatum. Ex quo consequitur ex solo vomitu non posse colligi intemperantiam mortalem.

13. Porro nimium excessum in cibo, et potu, non tamen valde gravem peccatum mortale non inducere constare videtur ex his Sanctorum Augustini, et Thomae testimoniis. Augustinus (1) inquit: *Quoties aliquis in cibo, aut potu plus accipit, quam necesse sit, ad minuta peccata pertinere noverit.* Et S. Thomas (2): *Si vero in vitio gulae intelligatur inordinatio concupiscentiae tantum secundum ea, quae sunt ad finem, ut potequia nimis concupiscit delectationes ciborum . . . . est peccatum veniale.* At nimius excessus, licet non enormis aliunde potest parere peccatum mortale. Et primo quidem ratione scandali; unde ajebat Apostolus (3): *Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.* 2° ratione gravis damni corporalis, ut si quis ex nimio excessu graves morbos sit contracturus, unde dicitur (4): *Propter crapulam multi perierunt*, vel spiritualis, ut si praevideat inde excitandos motus libidinosos, quibus consentire solet etc. 3° ratione impotentiae servandi gravia praecepta, puta solvendi debita, alendi familiam, implendi sua gravia munia etc. 4° ratione finis ultimi, qui constituatur in ventre. Tales erant Epicurei, de quibus ait Apostolus (5): *Quorum Deus venter est.*

(1) *Serm. 4 in die animarum.*

(2) 2. 2. *q.* 148. *art.* 2.

(3) 1. *ad Corinth.* 8. *v.* 13.

(4) *Ecclesiast.* 37. *v.* 34.

(5) *Ad Philippenses* 3. *v.* 19.

ARTICULUS I.

De ebrietate.

SUMMARIA

1. *Ebrietatis definitio.*
2. *Ex Scripturis ostenditur ebrietatem esse peccatum mortale.*
3. *Id ipsum ostenditur ratione.*
4. *Peccat graviter, qui vult etiam indirecte ebrietatem.*
5. *Ebrietas est mortalis, licet non sit assidua.*
6. *Peccat mortaliter, qui scienter fumo, tabacco etc. se inebriat.*
7. *Non licet se inebriare ex Medici praescripto ad sanitatem recuperandam.*
8. *Solvitur prima objectio.*
9. *Solvitur secunda objectio.*
10. *Solvitur tertia objectio.*
11. *Non licet se inebriare ad vitandam mortem ab altero intentatam.*
12. *Gula est vitium capitale.*

1. Hactenus de comessatione, et potatione, prout ab ebrietate distinguitur, nunc de ipsa ebrietate, quae definitur excessus in potu usque ad privationem usus rationis.

2. Excessum in potu, per quem usus rationis amittitur esse peccatum mortale constat tum ex Scripturis, tum ratione. Et primo quidem ex Scripturis. Isaias (1) inquit: *Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis.* Et Apostolus, ut jam vidimus excessum hunc enumerat (2) inter ea peccata, quae *qui agunt, regnum Dei non consequentur.*

(1) *Cap. 5. v. 11.*
(2) *Ad Galatas 5.*

3. Ratio quoque suffragatur. Nam 1° qui se voluntarie privat potentia proxima utendi ratione, qua homo supra belluas est elevatus, et se ineptum reddit ad agenda humano modo ea, quae ad virtutem, officium, necessitatem animae, et corporis pertinent, iste deturpat imaginem Dei, et ad belluarum conditionem se dejicit; ergo peccat graviter; talis autem est ille, qui se voluntarie inebriat. 2° peccat graviter, qui se privat magno bono in naturalibus; at ratio praestantissimum hominis bonum, et inter ejus bona primum; ergo qui ea se privat voluntarie graviter peccat. 3° homo nullum habet in suam rationem dominium, sed solam administrationem; sicut ergo peccat mortaliter, qui se membro privat, quia illius administrationem habet, non dominium; ergo et qui voluntarie se usu rationis privat.

4. Ex his consequitur 1° peccare graviter non solum eum, qui sciens, et volens se inebriat, sed etiam eum qui non intendens se inebriare, bibit tamen quantum potest, non curans, an ebrietas secutura sit, nec ne; tum etiam eum, qui probabiliter putat, vel suspicatur secuturam ebrietatem, et pergit bibere;

isti enim se exponunt ejus periculo, sicque eam indirecte volunt. Similiter peccant mortaliter, qui alios salutationibus, vulgo *Brindisi* invitant ad bibendum, vel aliis subministrant vinum, quantum velint, uti quandoque faciunt caupones, si inde praevidere possint ebrietatem; nam in hoc casu cooperantur ebrietati aliorum.

5. Consequitur 2° ebrietatem esse peccatum mortale, licet non sit assidua. Nec dicas S. Caesarium (1) asserere ebrietatem esse peccatum mortale, *si assidua sit*. Etenim respondet S. Thomas (2) assiduitatem non esse caussam formalem, cur ebrietas sit peccatum mortale, sed quia esse non potest, ut quis assidue se inebriet, quum sciens, et volens in ebrietatem incidat, dum multoties expertus est vini fortitudinem, cum e contra saepe contingat, ut qui semel inebriatur, ignoret vim liquoris, et sic a peccato excusetur.

(1) *Serm.* 41 *de Sanctis*.

(2) 2. 2. *q.* 150. *art.* 2. *ad* 1.

6. Consequitur 3° eum quoque peccaturum mortaliter, qui sciens, et volens inebriaret se fumo, tabaco, odore lupuli; quia sic amittitur etiam ratio, et proxima ejus potentia.

Licet ne infirmo se inebriare ex medici praescripto ad vitam conservandam.

7. ℟. probabilius non licere. Etenim, ut ex dictis patet, ebrietas est intrinsece, et natura sua mala, non secus ac pollutio; sicut ergo non licet se polluere ad vitam conservandam, ita nec se inebriare ob eumdem finem; quum *non sint facienda mala, ut eveniant bona*, ut inquit Apostolus (1) Ceterum haec quaestio pro praxi inutilis est; quum medici ipsi fateantur nullo unquam in casu ebrietatem esse necessariam ad sanitatem recuperandam.

(1) *Ad Rom.* 3. *v.* 8.

Objicies 1° potus de se ordinatus est ad vitae conservationem; si ergo potus usque ad ebrietatem sit vitae conservandae necessarius, non erit immoderatus, ideoque licitus; quum regula sumendi potus sit bona corporis valetudo, et praesentis vitae necessitas.

8. ℟. potum esse quidem ordinatum ad vitae conservationem, non tamen quomodocumque, sed congruenter ad bonum rationis conservandum; quum virtutes omnes morales ad illud servandum ordinentur; quare licet concedatur potum usque ad ebrietatem non esse immoderatum habita ratione valetudinis, erit tamen immoderatus speciata natura, et conditione hominis, quae exigit, ut vires inferiores rationi subordinentur, atque ab ea regantur; si ergo ratio in bonum corporis destruatur per ebrietatem, jam ratio subditur viribus inferioribus, et sic invertitur ordo naturae. Nec dicas amissionem vitae esse gravius malum, quam privationem rationis

ad tempus. Etenim amissio vitae est quoque gravius malum, quam pollutio, et tamen haec non est licita ad vitam servandam.

Objicies 2° licet sibi amputare membrum ad vitam servandam; ergo et privare se usu rationis ad tempus.

9. ℟. partem ad totum ordinari natura sua; quare si non possit totum conservari absque partis amissione, pars ipsa amittenda est, alioquin et ipsa quoque interiret; sic enim servatur ordo naturae; at hic ordo invertitur, si ratio corpori, non vero corpus rationi subdatur, illaque amittatur, ut hoc servetur.

Objicies 3° licet se privare usu rationis per somnum; ergo id licebit quoque valetudinis recuperandae causa per potum.

10. ℟. per somnum quiescere, non amitti usum rationis, contra vero per potum; etenim quum vires inferiores indigent quiete per somnum, quiescit pariter rationis officium in illis regendis; at si homo quocumque tempore excutiatur, statim ratio suum reassumit officium; contra vero per potum ratio redditur impotens viribus inferioribus regendis; unde si ebrius quocumque modo excutiatur, suae rationis usum non recuperabit; quod signum est inde rationem amitti; ita ut amplius in ejus arbitrio non sit ea uti, et bene, et virtuose operari cum sibi placuerit; sicut potest ratione uti somno non obstante, si aliquem adhibeat, a quo in tempore excitetur, aut horologium, aut aliud simile, per quod somnus excutiatur. Adde quod quies rationis per somnum violenta non est, nec naturae repugnans, sed naturalis, instituta ab Auctore naturae ad instaurationem virium, secus dicendum de privatione rationis per potum. Adde insuper, quod ebrius exponitur periculo multa flagitia perpetrandi, non autem somno indulgens.

11. Ex his colligitur, ut communius docent Theologi, non licere se inebriare ad vitandam mortem ab altero sibi intentatam, nisi se inebriet, vel inebriet alterum ad impediendam civitatis proditionem; tum quia, quum ebrietas sit per se mala, non sunt facienda mala, ut eveniant bona, tum quia potus de se non est ordinatus ad vitandam mortem ab altero intentatam, vel ad impediendum proditionem; unde si sit immoderatus, nunquam erit licitus. Quare auctor sermonis 232 de tempore inter Augustinianos ait: *Solent ebriosi ita se excusare, ut dicant: persona potens me coegit, ut amplius bibam . . . Ad excusandas excusationes in peccatis ista praetendimus . . . Etiamsi ad hoc veniretur, ut sibi diceretur: aut bibe, aut morieris; melius erat, ut caro tua sobria moreretur, quam per ebrietatem anima moreretur.* Solet hic sermo adscribi S. Caesario, sed hoc incertum est; quia in eo citatur Beda, qui floruit seculo octavo, S.

Caesarius seculo sexto.

12. Gula capitale vitium est, quia quum pro fine habeat delectationes gustus, quae vehementer appetitum commovent, facile homo labitur in ea peccata, quibus hae delectationes comparari queunt.

ARTICULUS II.

De gulae filiabus.

SUMMARIA

1. *Enumerantur gulae filiae.*
2. *Inepta laetitia definitur.*
3. *Scurrilitas quid sit.*
4. *Immunditia quid sit.*
5. *Multiloquium quid sit.*
6. *Hebetudo mentis quid sit.*

1. Quinque gulae filias potissimum S. Thomas post divum Gregorium recenset, ineptam laetitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium, hebetudinem mentis.

2. Inepta laetitia est immoderata hilaritas percepta ex rebus, quae nullam parere possunt delectationem; quamque propterea ratio aversatur sive ob turpitudinem, sive ob inanitatem. Ad hanc pertinent motus lascivi, et indecori, gestus effeminati, choreae dissolutae, tripudia.

3. Scurrilitas est immoderatum commovendi risum per jocos, et ludicra studium. Haec venialis est, si jocus tantum laedat personae decorem, mortalis autem, si gravem injuriam inferat proximo, vel ad libidinem inducat, vel in Dei, aut Religionis contemptum redundet. Hinc est, quod ab Apostolo (1) his verbis damnatur: *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.* Synodus Tridentina (2) per Episcopos coercendos jubet eos omnes, qui verbis s. Scripturae abutuntur ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, libellos famosos etc.

(1) *Ad Ephes.* 5. *v.* 3.

(2) *Sess.* 4. *circa finem.*

4. Immunditia est omnis impuritas verborum, atque factorum, et omnis obscaenitas, qua corpus et anima helluonum, et potantium contaminatur, unde Tertullianus (1) inquit: *Appendices gulae, sunt lascivia, atque luxuria.* Et S. Hieronymus (2): *Venter cibo, meroque distentus despumat in libidinem.*

(1) *Lib. de jejun.*

(2) *Ep. ad Oceanum.*

5. Multiloquium, sive nimia loquacitas plerumque peccatum veniale est, aliquando mortale, quum in Dei, vel proximi injuriam effunditur; quod hominibus cibo, aut potu nimium exhilaratis saepe contingit. Arcana enim sibi credita revelant, *quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas* (1), praesentes contemnunt, absentibus detrahunt, et de rebus divinis irreverenter loquuntur: hinc legimus in psalmis (2): *Prodiit quasi*

ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis: cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt: posuerunt in Caelum os suum, et lingua eorum transivit in terram.

(1) *Prov.* 31. *v.* 4.

(2) *Psalm.* 72. *v.* 7.

6. Hebetudo mentis perniciosissimus gulae effectus est. Crapula enim, et ebrietas ita mentis aciem obtundunt, ut homo ineptus evadat ad veritatis et rerum divinarum contemplationem, et ad actiones omnes, quae ingenii quidpiam, prudentiaeque requirunt. Unde inquit Christus (1): *Attendite, ne forte graventur corpora vestra in crapula, et ebrietate.*

(1) *Lucae* 21. *v.* 34.

ARTICULUS III.

De gulae remediis.

SUMMARIA

1. *Remedia proponuntur numeris* 1. 2. 3. 4.

1. Considerent 1.° gulae deditii imminetem mortem, quae cito finem ponet ventri, et escis, omnibusque gulae voluptatibus. *Esca*, ait Apostolus (1), *ventri, et venter escis: Deus autem et hunc, et has destruet.*

(1) 1. *ad Corinth.* 6.

2. Considerent. 2.° gulae deditos eos esse, *qui ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt* (1); quare dives ille, qui epulabatur quotidie splendide, sepultus est in inferno (2). Ut enim ait Tertullianus (3): *Apud inferos in divite convivia cruciantur, in paupere vero jejunia recreantur.*

(1) *Job.* 21. *v.* 13.

(2) *Lucae* 16. *v.* 22.

(3) *Lib. de jejuniis.*

3. Considerent 3.° quot mala ex gula inde profluant, corpori morbos, menti tenebras affert, sancta desideria extinguit, carnem reddit spiritui rebellem, luxuriae fomenta subministrat. Quis hostem suum contra se roborabit? Haec meditentur sereno tempore, et proponant imposterum necessitatis gradus futuros sibi cibi, potusque mensuram; optimeque sibi consulent, si semper in mensa aliquid sibi subtrahant praesertim palato gratius, sic enim discent, semetipsos vincere.

4. Considerent 4.° demum Christum non solum in vitae decursu vulgari victu usum fuisse, sed morti proximum sitim acerbam pro nobis passum esse. *Ubi*, inquit S. Joannes Climacus (1), *poculum bibiturus acceperis, memineris acetum, et fel Jesu Christo oblatum, atque ita sobrietatis limites non transilies.*

(1) *In suae scalae mysticae gradu* 14.

CAPUT V.

De invidia.

SUMMARIA

1. *Invidiae definitio.*
2. *Tristitia de bono proximi potest contingere quatuor modis, qui assignantur numeris* 2. 3. 4. 5.
6. *Interrogandus poenitens, qualis fuerit ejus tristitia de bono proximi.*
7. *Invidia est ex genere suo mortalis.*
8. *Invidia est peccatum capitale.*

1. Invidia definitur a Tullio (1) aegritudo ex alterius rebus secundis, sed melius Theologi ex S. Thoma (2) invidiam definiunt; ajuntque esse tristitiam de bono alterius, prout est imminutivum nostrae excellentiae.

(1) *Lib.* 3. *Tuscul. q.*

(2) 2. 2. *q.* 36. *art.* 1.

2. Ut haec definitio clarius intelligatur, notandum, tristitiam de bono proximi ex S. Thoma (2) contingere posse quatuor modis. 1.° cum quis dolet de alterius bono, v. gr. potestate, quatenus sibi vel aliis timet aliquod malum; et haec tristitia vocatur timor, quae erit licita, si timeat malum sibi, vel aliis injuste inferendum, secus illicita. Sic Esther, et Mardocheus tristabantur de exaltatione Aman, a quo sibi et populo Judaeorum grande malum timebant.

(2) 2. 2. *q.* 36. *art.* 2.

3. Potest 2.° quis dolere de alterius bono, non quod eo alter sit praeditus, sed quia ipse caret. Haec tristitia non est invidia, sed aemulatio, quae bona est, si sit circa bona animi; ut si quis videns alterius virtutes doleat eas sibi deesse; sic enim inducitur ad aemulationem; unde ajebat Apostolus (1): *Aemulamini spiritualia.* Si vero sit circa bona temporalia, erit bona, si bonum sit conveniens, et debito fine, mala vero, si inconveniens, et malo fine appetatur.

(1) 1. *Corinth.* 14. *v.* 1.

4. Potest 3.° quis dolere de alterius bono, quatenus is eo indignus est. Haec tristitia dicitur indignatio, quae quidem potest esse bona, si quis doleat, quod improbi evehantur ad dignitates sive ecclesiasticas, sive seculares propter damnum, quod inde in Ecclesiam, vel Rempublicam redundare potest, mala autem, si sit de bonis spiritualibus, vel temporalibus, quae a Deo peccatoribus conceduntur; hoc enim esset divinam providentiam criminari.

5. Demum potest 4.° quis dolere de alterius bono, quatenus alter eo bono ipsum aequat, vel superat, et sic imminuit ejus excellentiam, et haec tristitia est proprie invidia. Etenim, ut ait Augustinus (1): *Amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coaequentur, vel inferioribus, ne sibi coaequentur, vel superioribus, quod eis*

non consequetur. Ad invidiam revocatur gaudium de malo proximi, quatenus per illud augetur nostra excellentia, et illa proximi diminuitur.

(1) *Lib. de Genesi ad litteram cap.* 14.

6. Ergo si poenitens se accuset de invidia, interrogandus erit, qualis fuerit ejus dolor de alterius bono, et si cognoverit ejus dolorem non esse invidiam, et habere objectum bonum, interrogandus adhuc, num crediderit se peccare, et qualiter ita dolendo; nam in hoc casu peccasset ex conscientia erronea; interea docendus est, in quo sita sit invidia, ne inposterum peccet.

7. Invidia est peccatum ex genere suo mortale. Etenim et Apostolus (1) invidiam recenset inter ea peccata, quae qui agunt, regnum Dei non consequentur. Deinde invidia caritati adversatur; nam caritas gaudet de bono proximi, invidia autem de eodem tristatur. Hoc peccatum est eo gravius, quo praestantius est alterius bonum, de quo tristatur; unde quum spiritualia longe superent temporalia, si quis tristetur de alterius bonis spiritualibus, gravissime peccat, et peccatum dicitur in Spiritum Sanctum, quia per hanc invidiam homo quodammodo invidet Spiritui Sancto, qui in suis operibus glorificatur.

(1) *Ad Galat.* 5.

8. Invidia est peccatum capitale; quum enim invidia involvat tristitiam de alterius bonis, fit inde, ut homo impellatur ad aliqua facienda, vel ut fugiat tristitiam, vel ut ei satisfaciat. Hinc S. Augustinus (1) inquit: *Non potest superbus esse non invidus. Invidia filia est superbiae. Sed ista mater nescit esse sterilis, ubi fuerit, continuo parit.* Quid autem pariat, prae ceteris Patribus edisserit S. Cyprianus (2), qui postquam dixit Diabolum fuisse primum invidum, eo quod viderit hominem subintrasse in gratiam Dei, a qua ipse exciderat, advertit invidiam introisse in mundum juxta illud (1): *Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum, qui sunt ex parte ejus*; atque excitasse Cain ad perpetrandum fratricidium, Esau ad sui fratris persecutionem, fratres Joseph ad eum vendendum, Saul ad Davidis odium, et mortis intentationem, subinde haec scribit: *Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, si videat alterum ditiorem etc.*

(1) *Tractatu de zelo, et livore.*

(2) *Sap.* 2. *v.* 24.

ARTICULUS I.

De invidiae filiabus.

SUMMARIA

1. *Enumerantur invidiae filiae.*

1. Quamvis plurima vitia ex invidia origenem trahant, ut jam vidimus ex S. Cipriano; quinque tamen post S. Gregorium recensentur a S. Thoma, quae ex ea proxime fluunt, et sunt odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis, et afflictio in prosperis. De odio, susurratione, et detractione alibi disseritur; exultatio autem in adversis, et afflictio in prosperis per se manifesta sunt, opponuntur enim caritati, cujus est *gaudere cum gaudentibus*, *et flere cum flentibus* juxta Apostolum (1): *Etenim pro invicem sollicita esse debent membra*: et si quid patitur unum membrum, compatiantur alia membra; si autem unum gaudet, congaudeant et alia (2).

(1) *Ad Rom.* 12. *v.* 15.
(2) 1. *ad Corinth.* 12. *v.* 26.

ARTICULUS II.

De invidiae remediis.

SUMMARIA

1. *Remedia proponuntur numeris* 1. 2. 3.

1. Considerent 1.° invidi, quam caduca sint hujus vitae bona, opes nempe, honores, pulchritudo etc.: quare haec omnia contemnere debent, ut non efficiantur *inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invidentes* (1); *Qui enim nihil usquam humanum admiratur, huic procul dubio dominari invidia nullo modo poterit* ait S Basilius (2).

(1) *Hom.* 11. *de invid.*
(2) *Ad Galat.* 5. *v.* 26.

2. Considerent 2.° invidiam soli invido nocere; neque enim quia invidet, bono illo caret proximus; neque si illo spolietur, inde illud obtinebit; imo invidendo perdit vitam aeternam, bonum longe majus omnibus bonis temporalibus, quam mereretur, si de bono proximi gauderet.

3. Considerent 3.° omnes homines unius Dei, et unius matris Ecclesiae filios esse, et unius corporis membra, cujus caput Christus est; quorum proinde debet esse cor unum, et anima una; unde unusquisque debet bonum alterius tamquam proprium reputare.

CAPUT SEXTUM.

De acedia.

SUMMARIA

1. *Acedia definitur tum late, tum stricte sumpta, ejusque gravitas in-*

dicatur.

2. *Duplex bonum spirituale distinguendum est.*

3. *Acedia vitium capitale est.*

1. Acedia considerari potest late, vel stricte. Late sumpta definiri potest animi tristitia in exercitio virtutum ob incommodum illis adjunctum; ut si quis tristetur, quod debeat sacro interesse ob frigus, quod inde pati debet. Sic late sumpta non est vitium speciale, sed generale, quia omne vitium adversatur bono virtutis oppositae; erit autem mortalis, vel venialis, prout inducit ad transgressionem gravis, vel levis praecepti. Stricte sumpta definiri potest tristitia de Dei amicitia comparanda per mandatorum observantiam; quum enim Deus proponatur homini ut finis ultimus per mandatorum observationem consequendus; si quis doleat, et tristetur, quod sic debeat Dei amicitiam sibi comparare, et aeternam beatitudinem adipisci; ideoque Dei amicitiae, et aeternae beatitudinis consecutionem non curet, tristitia haec proprie acedia est, quae est peccatum ex toto genere mortale, quia directe opponitur amori benevolentiae erga Deum.

2. Ut autem in hac re intelligatur mens divi Thomae, notandum duplex esse bonum spirituale, unum quod consistit in ea honestate, quae ex cultu virtutum exurgit, alterum, quod invenitur in relatione virtutum ad Deum tamquam ultimum finem, ut scilicet eum consequamur; eique tamquam beatitudinis nostrae objecto ex caritate adhaereamus, et hoc bonum spirituale appellatur divinum, quatenus Deo nos unit, atque conjungit. Tristitia ergo de bono spirituali, seu animi aegritudo in exercitio virtutum ob difficultatem illis adjunctam est acedia late sumpta, quae communis est omnibus vitiis; qui enim aliquod vitium diligit, eo ipso aversatur bonum virtutis oppositae. At tristitia de bono divino ex caritate diligendo, seu tristitia de unione cum Deo obtinenda per exercitium virtutum, et mandatorum observantiam, et sic de aeterna salute comparanda, est acedia proprie, seu stricte sumpta.

3. Acediam vitium esse capitale demonstrat S. Thomas (1): *Ea ratione, quia ex acedia homo impellitur ad aliqua facienda, vel ut fugiat tristitiam, vel ut tristitiae satisfaciat.* Et sane eo ipso quo quis per taedium avertitur a bono divino, inde incidit in mala innumera, quae illi bono contraria sunt.

(1) 2. 2. *q.* 36. *art.* 4.

ARTICULUS I.

De acediae filiabus.

SUMMARIA

1. *Enumerantur acediae filiae.*
2. *Malitia quid sit, ejusque gravitas.*
3. *Rancor quid sit, ejusque gravitas.*

4. *Pusillanimitas quid sit, et quando mortalis.*
5. *Desperatio quid sit, et remissive.*
6. *Torpor quid sit, et quando mortalis.*
7. *Evagatio mentis quid sit, et quando mortalis.*

1. Quamvis innumera sint mala, quae ex acedia profluunt, sex tamen a divo Gregorio enumerantur, nempe *malitia*, *rancor*, *pusillanimitas*, *desperatio*, *torpor circa praecepta*, *evagatio mentis circa illicita.*

2. Malitia est aversatio, contemptus, et derisio tum bonorum spiritualium, tum piorum hominum, qui suis exemplis nos ad pietatem inducere conantur; haec gravissimum peccatum est; nam hujus vitii rei *turbabuntur* (1) *in inferno timore horribili .... prae angustia spiritus gementes. Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improprii. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore.*

(1) *Sap.* 5. *v.* 2.

3. Rancor est indignatio adversus Superiores, aliosque, qui monitis, increpationibus, correptionibus ad spiritualia bona impellere nituntur. Haec grave peccatum est juxta illud (1): *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.*

(1) *Prov.* 29. *v.* 1.

4. Pusillanimitas est vitiosa virium diffidentia in aggrediendis iis, quae ad Dei obsequium pertinent; sicut enim peccat ille per praesumtionem, qui vult aggredi aliquid, quod est supra vires suas; ita e contrario peccat per pusillanimitatem ille, qui non vult tendere in id, quod est suis viribus divina gratia adjutis proportionatum. *Et inde est*, inquit S. Thomas (1), *quod servus, qui acceptam pecuniam domini sui fodit in terram, nec operatus est ex ea propter quemdam pusillanimitatis timorem, punitur a Domino, ut habetur Matth.* 28. *et Lucae* 19. Est peccatum mortale, quoties quis per pusillanimitatem retrahitur ab iis, ad quae sub gravi tenetur.

(1) 2. 2. *q.* 133. *art.* 1.

5. Desperatio est vitium, quo quis salutis aeternae consequendae spem omnem abjicit. De hac, ubi de vitiis spei oppositis.

6. Torpor est languor animi, quo praecepta vel praetermittuntur, vel negligenter implentur. Mortalis est quando inducit ad ea omittenda praecepta, quae graviter obligant; et maxime est periculosus, quando in causa est, ut praecepta negligenter impleantur juxta illud (1): *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter*, seu negligenter. Hinc Apostolus (2) vehementer hortatur, *ut simus sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.* Nam, ut ait S. Paulinus (3): *Vicina morti labes est torpor animorum.*

(1) *Jerem.* 48. *v.* 10.

(2) *Ad Rom.* 12. *v.* 11.

(3) *Ep.* 36.

7. Evagatio mentis est inquieti animi motus, quo ob taedium rerum spiritualium ad objecta exteriora se transfert, ut delectationem, quam ex rebus spiritualibus non sentit, ex iis objectis percipiat. Mortalis est in orationibus, aliisque piis operibus graviter praeceptis, si sit in parte notabili. Hujus peccati rei sunt, qui, ut refert Apostolus (1) de Atheniensibus, *ad nihil aliud vacant, nisi dicere, aut audire aliquid novi*; qui propterea in oratione non delectantur, nec in studio, unde tempus in otio consumunt, quod est fons, et origo malorum plurium juxta illud (2): *Multam malitiam docuit otiositas.* Hoc vitio etiam infectae sunt mulieres, quae, ut scribit Apostolus (3): *Otiosae discunt circuire domos: non solum autem otiosae, sed et verbosae, et curiosae, loquentes quae non oportet.*

(1) *Act.* 17. *v.* 21.

(2) *Eccl. cap.* 33. *v.* 29.

(3) *Ad Timoth.* 5. *v.* 13.

ARTICULUS II.

De acediae remediis.

SUMMARIA

1. *Remedia proponuntur num.* 1. 2. 3. 4.

1. Considerent 1.° acediosi terribilem illam Christi Domini in acediosos prolatam sententiam (1): *Utinam frigidus esses, aut calidus? Sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo*; quae verba satis demonstrant tepidos, et desertos a Deo tandem deseri, et desertos ob gratiae subtractionem in malo obdurari; et tandem in infernum trudi; quod patet ex parabola servi inutilis, qui eo quod usus non fuisset talento sibi tradito, ejectus fuit *in tenebras exteriores*, ubi est *fletus, et stridor dentium* (2).

(1) *Apocal.* 3. *v.* 15.

(2) *Matth.* 25. *v.* 30.

2. Considerent 2.° haec Christi monita (1): *Veniet nox, quando nemo potest operari. Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant.* Exacta enim hac brevissima vita *tempus* bene operandi *non erit amplius* (2). *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum* (3).

(1) *Joannis* 9. *v.* 4. *et cap.* 12. *v.* 35.

(2) *Apocalyp.* 10. *v.* 6.

(3) *Ad Galat.* 6. *v.* 10.

3. Considerent 3.° saepe bona spiritualia, vitam, et mortem Christi, tum actiones Sanctorum, et sic ad Christi, et Sanctorum imitationem accendentur: *Quia quanto magis cogitamus de bonis spiritualibus, tanto magis nobis placentia redduntur, ex quo cessat acedia*, inquit S. Thomas (1).

(1) 2. 2. *q.* 35. *art.* 1. *ad* 4.

4. Considerent 4.° quam brevis, et quam exiguus labor ab iis exigatur pro immensa et aeterna mercede. *Quod* enim (1) *in praesenti est momentaneum*, *et leve tribulationis nostrae*, *supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.*

(1) 2. *Corinth.* 4. *v.* 17.

FINIS



INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Numerus primus indicat paginam, secundus paragraphum.

A

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

R

S

T

V

ERRATA **CORRIGE**

Pag.	Colum.	Lin.	Errata	Corrige
6	2	13	Episcopisi, deoque	Episcopis, ideoque
59	1	15	traversae	transverse
42	2	12	emprimenda	exprimenda
153	2	21	abrupum	abruptum
164	2	5	actuum	operum
181	2	16	conditionis	contritionis
201	2	33	decertat	decertet
221	1	25	Gonzakez	Gonzalez
238	1	5	deflectionem	deflexionem
242	2	34	Hurieus	Hulricus
346	1	15	Malum	nullum
252	1	6	sanctificaos	sanctificatos
Ibidem	1	31	fidum	Fidum
284	1	25	aggravante	aggravantes
285	2	27	se	si
288	1	12	Jullius	Tullius
Ibidem		15	continua	continuo
301	2	34	fuisse	fecisse
311	2	11	exeguendi	exequendi
314	2	1	Ego	Ergo
Ibidem		8	culpabilis	inculpabilis
321	2	10	Ibi	Hi
327	1	13	Renandotius	Renaudotius
337	2	1	uam	quam
348	1	4	agere	egere
Ibidem	2	6	Jarentinum	Tarentinum
357	1	31	Imminetem	Imminentem
263	2	28	corrumpti	corrumpi